




ANTONII GENUENSIS
DISCIPLINARUM METAPHYSICARUM ELEMENTA,
MATHEMATICUM IN MOREM ADORNATA.

Oportet in ea re maxime, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemquam confidere, suopte judicio ac propriis sensibus niti ad investigandam & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tamquam rationis expertem ..... Quare, ... sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur.

Lactant. lib. II. *cap.* VII.

Epistola, quam Auctor hic præfixerat, quum tres priores Metaphysicæ Tomos Bened. XIV. primum dicavit.

BENEDICTO XIV.

REI CHRISTIANORUM PUBLICÆ

PONTIFICI MAXIMO

Regnique in terris Dei supremo Principi.

Laborum suorum primitias

ANTONIUS GENUENSIS

D. D. D.



DIVINA lege cautum est, B. P. M. ut rerum humanarum omnium primitiæ per manus Summi Sacerdotis Deo sacrentur. Quid autem Deo & Pontifici suo offeret Levita? Nempe quando beatæ regionis portio nulla obtigit, laborum saltem suorum primitias lætus exhibebit: secundum hæc hilari mente & animo litabit. Viri ordine Levitæ, professione Philosophi, genio Telluris honorum incuriosi, idest, ut vulgus censet, paupertate τρισμέγιστοι, primitias vides, τρισμέγιστος, Tu, B. P. M. Maximus nempe Ecclesiæ Princeps, Doctor, Pater,

Elementa nimirum Metaphysicæ, non ejus, quæ inanes umbras captet, aut de cassis vocibus disserat, sed intimioris & sacræ disciplinæ, qua divinarum, humanarumque rerum omnium ac vitæ tranquillæ & beatæ fundamenta prima continentur, quamque majores nostri, viri illi μακαρες, ipsam dixere & habuere sapientiam. Plures sunt, qui mirantur, me tantum operæ in his studiis posuisse: tu, cujus ratione & manu Regnum Cælorum, quod in terris Christus servator noster fundavit, moderatur Deus, cujus regni sapientia est & principium, & medium, & finis; non ignoras quantæ mihi suppetant rationes, quamobrem laboris me mei non pœniteat. In primis autem intelligis, quantopere omnes mortales intersit rerum omnium, quæ sunt, aut erunt, initia, processum, fines habere perspecta; sine quorum cognitione neque constans, & tranquilla hæc nobis esse potest vita; nec illam plene beatam queamus adipisci. Tum te latere non potest, quam turpe sit Sacerdotibus, quod B. Basilius gravissime pronunciat, perstrepentibus, qui foris sunt, profanis hominibus, & mundana sapientia sapientiæ divinæ petulanter insultantibus, nos velut inertia ac muta pecora tacere. Vetusti illi Patres nostri non dubitaverunt latebras omnes Græcæ eruditionis scrutari, sicubi aut repetenda essent ab illis velut ab injustis possessoribus, quæ in rem essent nostram, aut ipsis suis armis, veluti Philistæus gigas mucrone suo, essent confodiendi. Horum ego vestigia pressi; hos mihi imitandos proposui, dum mundi philosophia perniciali isti pessimorum quorumque colluviei arginem pro virili ponere studui. Emersere nuper, quod scis, ab Aquilone, viri aliquot ingenio præfidentes, linguà procaces, animo atque moribus depravati, qui quum rationi suæ divinam rationem, quæ summa est, substituendam in Religione non ignorarent, per summum nefas divinam omnem providentiæ, & Religionis œconomiam, altissime repetita oratione, sophismatibus suis subvertere conati sunt.

Quis

. . . . . Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssi
Temperet a lacrymis?

Ad eum nunc ego giganteum conatum quoad potis sum infringere adgredior: id unum in his Metaphysicæ Elementis specto. Tuo quoque moveor exemplo, qui, ut mittam hoc in loco tot Ecclesiasticorum canonum volumina, totque decretales epistolas, in quibus morum præcepta ex remotissima sapientia repetis, in iis certe libris, quos *de beatorum hominum canonizatione* summa cura scripsisti, & Miraculorum hostes, in primis Spinozam, & Prophetiarum derisores, ex penitissima ipsa Metaphysica, tam mascule, tantaque orationis elegantia, nitore, ac perspicuitate contudisti, ut illi in te non Pontificem modo revereri, sed acutissimum & disertissimum philosophum formidare didicerint, sibique operæ pretium habuerint, cur impudentiæ se suæ pœniteret. Accedunt eodem curæ illæ maximæ, quibus Romæ literas magnanime promovisti, dum veterem, quæ supererat adhuc, scholarum rubiginem atque squalorem detergis, gravissimosque Philosophos, & in omni literarum genere subactos viros velut in orbis domicilium revocas, novosque literatorum consessus, in quibus res quæque gravissimæ pertractentur, cogis; quod intelligas ipse penitissime, Religionem Christianam, idest supremam Dei Sapientiam *absconditam a seculo*, in Christo tandem patefactam, Philosophiam non adspernari, neque evertere, sed velut pedissequam individuam adsciscere, & præclaro consortio sibi copulare. In quo non modo immortalia Ecclesiæ decora Leones, Gregorios, Innocentios, Alexandros humanarum, divinarumque rerum scientissimos ipsos & consultissimos, amantissimos vero doctorum hominum, atque vehementes literarum inter christianos Auctores, plane imitaris, atque exprimis, sed acutius etiam rationis & fidei remotissimos fines longe prospectas. Quæ quum sint, quantis nominibus & Pontifici Summo, & maximo Philosopho, & lite-

rarum Parenti atque litteratorum hominum justo æstimatori opuſculum hoc qualecumque Levita debet ? Quod ſupereſt, tu Regni in terris Princeps imperato; Eccleſiæ ſupremus Doctor divinæque legis interpres doceto: Chriſtianorum Pater amantiſſimus foveto. Paratus ſum a te Principe & Doctore, ſi quæ peccavi (peccavi certe multa) pœnam & ſapientiam juxta obſequentiſſimus accepturus: a Patre amorem & tutelam adverſus eos, qui, quantum alii profecere, ſibi demtum putant, & immaniter iraſcuntur. Nam tu jubes, & obſequimur: doces, & audimus: amas, & exultamus. Scilicet, quæ data eſt Chriſto æterno Eccleſiæ Pontifici *ex hominibus aſſumpto in Cælo & in terra omnis poteſtas*, eam Tu manu geris, ejus ex aſſe hæres conſtitutus in Petro: & Tibi *non hœdos* tantum, *ſed & oves paſcere* mandatum, & *confirmare fratres*: & caritatis, qua primum Reſpublica Chriſtiana coaluit, ſemper continetur, ut ſit in omnibus *mens una & cor unum*, poſitus es fons uberrimus. Nam idcirco a Petro, cujus Tu ſucceſſor es, pluſquam a ceteris diligi in extrema cum Apoſtolis converſatione ſollicitus Chriſtus poſtulavit. Te igitur obſecro atque obteſtor, Pontifex, Doctor, Pater Maxime, ut ne invitus Sacerdotis tui oblationem acceptes, ſimulque jubeas quæ ſint pollutæ ſacrificii mei partes, doceas quas fieri acceptiores oporteat. Te Chriſtiani Regni incolumitati natum ſempiternum Deus ſoſpitet.

LECTO-

LECTORI HUMANISSIMO.

QUÆ causæ me duodeviginti ab hinc annis impulerint, quamobrem primum Elementa disciplinarum Metaphysicarum perscripserim, deinde ausus sim edere, eas tu habes, paucis quidem verbis, sed satis, ut opinor, in ea epistola enarratas, quam ego ad lectorem dedi, Primæque parti *editionis primæ præfixi. Vix autem credidissem in tanta præcellentium librorum copia, quibus hoc ævi Europæ Bibliothecæ satiscunt, meos libellos domesticis laribus dedicatos, nec ulla doctrina distinctos nec accuratos, necdum perpolitos lima, ab ullo tam avide lectum iri, ut ii legi occœpere. Itaque contra accidit, quam ego existimaveram. Ac lectitari primum cœpti sunt, rei, ut fit, novitate, atque ab iis, qui vetera veluti vieta fastidiunt. Accessit exigua libellorum moles, quod nou ultimum est oblectamentum, quo legare, inter cynœdos præsertim nostros magna volumina reformidantes. Mox (quod miraculi loco habeo) plerique etiam hominum doctorum degustaverunt. Postremo rumor latius pervulgatus est, ac eorum quoque plures excivit, quorum judicium ut est ab omni partium studio alienum, ita nemo est tam impudentis oris, qui non revereatur. Ita factum est, ut intra non multos annos, postquam ego scilicet altera editione integrum opus hic vulgaveram, non in Italia modo, sed ultra Alpes quum undique conquirerentur, sæpe sint excusi, misere licet ubique fœdati.*

Exhinc duplex exiit fama. Plerique nimio studio abrepti celebrare opus, atque in privatas publicasque Scholas invehere: adolescentibus philosophis prælegere: me (quod omnem fidem superat) rerum Metaphysicarum veluti novum parentem habere. Quantopere ego ejusmodi hominum sententias demirarer vix dici potest. Eram scilicet mihi curtæ supellectilis meæ plane conscius, ut sæpe ipse mecum viderem, eas commentatiunculas, quas ego vix adolescentium crepundia censerem, tantis laudibus efferri, agnosceremque, no-

non admodum esse difficile, quibus sumus & studiis, & moribus, hominem nulla etiam stipendia emeritum, locum obtinere aliquem in litteraria Republica; sæpius vero me puderet, nulla adhuc barba, iis cogi assidere, quos constat Reipublicæ philosophicæ velut Coryphæos esse & Dictatores. Ita nempe vetustam & severam disciplinam nos juniores philosophi obliteravimus.

Jam plerique alii omnia ex adverso prædicare: leve opus contemnere: ambitiosum scribendi genus, ac Mathematicorum æmulans institutum salse elevare: demonstrationes veluti insignes parologismos proscindere, sæpeque cachinnis accipere: infartas rebus longe petitis & alienis paginas: nimiam atque juvenilem adrogantiam: gravissimos veteres atque recentes philosophos male multatos, incertum impudentius, an contumeliosius: Scholæ barbariem & ineptias sæpe revocatas in Scenam.

At alii aperte bellum indicentes, firmis lateribus & ingenti voce vociferari, infames atque intestabiles auctores pravo studio celebratos: dogmata sæpe ambigua, & quo spectent in dubio: specie improbantis fœdissimos errores incautis lectoribus propinari, lepido sæpe assumto stylo, quo quasi catapotia ἀνώδυνα, ut Celsus ait, lenius deglutiantur; novas pravo artificio inductas formulas, vetereſque, & antiquitate sacratas abrogatas: gravissimas res per ludibrium pertractatas: ficta adversus hostes bella; nec leves conjurationis suspiciones. Adeo verum, nihil in vulgo modicum!

Hos ego rumores quum in dies percrebrescere audirem, omniaque rimarer attente, adjeci animum, ut quod parum considerate ac juveniliter scripseram, ad incudem rejicerem, anceps, atque eo incertior, quo vehementius judicia inter se decertabant. Nec libellos tantum meos ad quæstionem vocavi, & exasciare institui, sed me in primis: verebar enim ne, quod ego pertimescebam valde, quidquam mihi adhæreret, quo fieret, ut jure mihi bellum pararetur. Postquam diu meipsum, meaque concutiissem, duo mihi eo examine constiterunt: & illos, qui me summis laudibus extollebant, humanius licet, sed longe tamen (quid attinet dissimulare?) falsos: & hos qui ora, vultus, artus, membra dilacerabant, immanius facere, quam oporteret, quamque ego meritus essem. Sed priores illi eo mihi visi sunt formidabiliores, quo amicitiores; quippe quoniam animos in me ingentes & confidentiores exsuscitare poterant, mi-

bi-

hique id persuadere, quod nemo est, qui non pronis auribus accipiat, & me scilicet in Philosophorum gente esse aliquem. Hos itaque constitui omnium maxime mihi cavendos, eosque non aliter audiendos, quam excantatricem olim Syrenem Ulysses: ne postquam Circes pocula bibissem, nullus mihi amplius in humanam formam superesset reditus. Itaque, lector, si tu his nomen dedisti, ego tibi gratias & habebo maximas, & ago; Sed mihi (oro te ut ignoscas) tua istac palpitatione usus non est. Apage sis igitur cum istis blanditiis. Audin tu illum? Secundæ res acrioribus stimulis animos explorant; quia miseriæ tolerantur; felicitate corrumpimur.

Igitur adversariis meis bene precari, atque cum iis familiarius agere cœpi: neque enim eram ignarus, quantam, si sapimus, utilitatem ex inimicis nostris capere possimus; quibus qui irascuntur, ii non animadvertunt, mortalium esse neminem, qui sine gravi acutoque exploratore, ac admonitore perpetuo, non sæpe marceat, & naturæ cedat. Id ego propalam profitebor, me longe ex illis uberiorem fructum collegisse, quam ex amicis. Illi me ut omnia cribrarem, ventilarem, excuterem, seligerem adegere: hi palpantes ad somnum incitaverant. Intellexi vero illos (odio, an amore non quæsiverim) vehementius fuisse commotos, & iracundius, quam æquum efflagitabat: jura omnia divina & humana sæpe violasse: sed tamen tam teneor, quam si nulla ira, nulla invidentia, nulla ignorantia, verum ingenuus ac modestus veritatis amor commovisset. Sæpe illi ineruditi quæstionum, quas ii nobis excitavere, qui ab omni ratione & pietate sunt extorres, atque in præsenti litterarum historia plane hospites, ea vertunt crimini, quæ, quo spectant, ignorant. Sæpe vetustis armis armati, clypeis, lorica, præustis hastis, ac tenuibus quoque arundinibus, nec ultra arma virumque cano *sapientes, primum nova arma, nova bella mirati; deinde tesseris insueti, una Troes Rucculosque habent, patriamque prodi inique clamant, & turbas minime necessarias concitant. Non raro adeo sunt suspicaces, ut cantherino ritu ad umbras etiam contremiscant; atque audentiores, quod imitari desperent, publicos hostes decernendos judicant. Sunt quidam, qui nisi fecialis ex more sciverit, nisi auspicato, arridentibus avibus, & Capitolino Jove, atque paludatus*

processeris omnia fœda inceptu, fœda exitu, quippè non est jure, obmurmurant.

Non pauci familiariter cum manibus, æternis idolis, ceterisque nugis Platonicorum diu multumque versati, eaque philosophia extabefacti, corpulentiorem & opimiorem junioris philosophiæ vultum velut profanum aversantur, nosque, nisi similiter animo contabuerimus, Epicuri de grege porcos deblaterant. Ad geometrica, & physica vocabula expallescunt. Eruditionem omnem limes & suspiciosi despectant. O lymphata capitula! Sed ecce, sunt qui voculas captant, apicesque, atque latinæ linguæ imperiti, veteribusque fragoribus assueti aures, ægre ferunt conceptas olim formulas, etiam ubi nullum sacrum jus sancit, negligi, omniaque eversum iri occentant. Hos ego omnes juxta audiendos existimavi: quippe qui si non semper docent, sæpeque quid ipsi sibi velint ignorant; at demonstrant tamen, quibus in rebus æquum sit iis etiam obsecundare interdum, qui eo intemperiei venere, ut nec mala pati sua, nec remedia possint.

Sed illorum tamen judicia tota mente repetenda censui, qui graviora aut monebant, aut culpabant; quique vellent quædam latius ac sine ambagibus deducta; nonnulla abolita; minorem iis scriptoribus delatum honorem, quibuscum decerto, majorem illustribus Auctoribus, quibus detractum videbatur: addita pleraque, quo hæc materies in justum corpus abiret: ordinem in quibusdam restitutum. His ego quum auscultandum esse decrevissem, quantum otii mihi abs reculis meis aliis suppetebat, in eam rem retractandam animum verti totum. Nondum autem perfeceram, quum ecce mihi Roma afferuntur amicorum literæ plenæ illæ timoris & sollicitudinis, quibus me certiorem facerent, fuisse, qui non contenti dicteriis, probris, clandestinis artibus, quibus me tot per annos exercuerant, vexaverantque, ad Sacrum Indicis Tribunal *omnem causam detulerant, sapientissimi Senatus sententiis me oppressum iri sperantes. His ego tantum abest ut fuerim commotus, ut potius magnopere mihi atque libellis meis gratulatus sim. Quid enim mihi magis ex animi sententia contingere poterat, quam ut tot virorum sapientum & integerrimorum admonitionibus ditescerem, ac domesticas animi opes augerem? Qua ex re ego impense lætatus sum. Testantur id eæ litteræ, quas primum ad Eminentissimum Cardinalem*

Lan-

Landi Indicis Congregationi *Præfectum, copiosas, & sæpe scripsi: deinde plures & sæpius ad amplissimum Cardinalem Galli, qui postquam Landi vita cessit, ei in eodem munere suffectus est, cujus ego & sapientiam, & humanitatem vix verbis meis æquiparaverim. Sed & coram in familiari colloquio idipsum professus eram Antonio Visconti, viro multa doctrina & morum gravitate conspicuo, nunc apud Polonos Pontificio Legato: & Opitio Pallavicini & ipsi summi ingenii viro, per id tempus inter nos item Pontificio Legato, nunc ad Regem Hispaniarum. Nemini vero omnes animi mei latebras perspectiores esse confido, quam Joanni Baptistæ Rufini, Pontificio hic Internuncio, cujus ego hominis mentis ne amplitudinem, an fidem & integritatem magis laudaverim, incertus sum. Idem sæpe viro doctissimo, atque in divinis humanisque literis peritissimo, nunc S. P. Magistro, id temporis in eo Tribunali a secretis T. A. Richini testatus sum. Quæ ego non ambitiose evulgo, sed ut ii qui curiosius, quam necesse est, in aliorum vitæ rationes inquirunt, cognoscere queant, nihil mihi optatius contingere potuisse, quam quod nominis mei adversarii velut postremum machinarum suarum telum, atque, quod sibi belle plaudebant, internecinum, in me emiserunt. Itaque cœptum est totum opus velut e fundamentis excitari, me ne latum quidem unguem ab eorum decretis abscedente, quorum gravi maturoque consilio tota hæc res pertractabatur.*

His tantorum virorum luminibus & præsidiis instructus ad novam operis mei editionem festinabam, ut eorum querelis satisfacerem, quicumque mihi bellum, jure, an injuria, indixerant. Prius vero quam ei rei manum admoverem differtur rumor, Bibliopolas, quorum unus est ac solus bonorum omnium & malorum finis, privata utilitas, tertiam Neapolitanam editionem clanculum perfecisse. Quæ res quam me conturbaverit ex eo cognosci potest, quod apud Regem oblato libello ejus conatus veluti atrocis injuriæ questus sim. Nam præterquam quod videbantur judicium sapientissimi Senatus publico contemptu antevertisse; accedebat etiam tanta editionis fœditas, tam multæ ac misere depravatæ sententiæ, tot luxata membra, verba aut ingesta aliena manu, aut in novum habitum commutata, ut me cogerent aperte profiteri, me, repugnante licet humanitate, partus alioquin meos veluti suppositítios habiturum.

Neq

Nec vero magis humaniter cum iisdem libellis Veneti ac Germani se gesserant typographi; quod jam ludum ex pluribus virorum doctorum litteris & querimoniis non sine magno animi dolore didiceram. Hæc me impulerunt ut rem maturarem. Non me autem fugiebat, adhuc esse plura, quæ seu emendatrice manu, seu ascia indigerent. Sed consultius putavi tot conatibus tempestive occursum ire, quam expectare ut fœdius etiam promulgarer, mihique non æqui criminatores per fas atque nefas insultarent.

Hæc habui, humanissime lector, quæ te de tota hac re edocerem. Quid autem hac editione egerim tædet me nunc dicere. Paucis te, re magis, quam verbis convictum velim: sic habe, te quasi novum opus accipere. Prima pars pene integra recusa est. Quæ pars erat tertia, secunda facta est, & ea nova facie atque habitu exornata. Porro secunda quæ fuerat, & ipsa corpulentior in tertium locum secessit. Tum & quarta accuratior, & limatior prodit. Ita autem ego tibi hanc editionem sisto, eoque pacto, ut veteres obliviscaris omnes: neque enim illas meas esse volo. Hanc ego editionem solemnem habeo. Si quid vero habes, quod etiamnum cor urit, velim tu aperte proferas: me enim ex eorum esse numero scito, qui lacessiti proficiant. Quod tamen quum efficis, id velim memineris, disserentium inter se reprehensiones non esse vituperandas: maledicta autem, contumelias, tum iracundias, concertationesque in disputando pertinaces, indignas mihi philosopho videri. Valetudinem tuam cura, & vale.

Neapoli anno epochæ christianæ 1760. Kalendis Aprilibus.

LECTO-

LECTORI
ΦΙΛΟΣΟΦΩ. (*)

PAUCA sunt, Lector, quæ de Elementis hisce Metaphysicæ monere te debeo. Libri inscriptio prima est, quæ te monet, in usum privatorum adolescentium ea comparata esse: Prælegebam nimirum illa privatis auditoribus, atque, uti apud nos in more est, dictabam. Quum autem adolescentium alii quidem non satis pulchre litteras pingerent: alii in iis excipiendis, quæ dictabantur, aut pigri essent, aut non satis attenti: alii politam latine scribendi artem ignorarent; eveniebat sæpe, ut me in scriptis meis non amplius agnoscerem: adeo verba, atque verborum ordinem, & sententias ipsas corrumpebant. Ea prima causa fuit, non levis certe, qua, ut hæc typis mandarem, motus sum. Res igitur tironum captui accommodatas, etsi ex universa re Metaphysica decerptas, heic habebis, modo si scholia excipias, quæ ego eam ob rationem adjicienda existimavi, ne nuda illa dogmatum positio lectorem fastidiret, ac quasi conficeret.

Alterum, quod te rogatum volo, est, ne ex stylo nares contrahas, priusquam in re Metaphysica latine scribendi difficultatem perpenderis. Quis enim de rebus obscuris atque difficillimis, non solum dilucide, sed verbis etiam ornate dixerit? Quis porro notiones magna ex parte in Europæ barbarie natas, atque apud barbaros adultas, latina semper oratione persequutus fuerit? Præterea plurimis in rebus vocabula latina deficiunt, nedum vocabulorum ordo. Quæ si quis latine velit efferre, næ is Philosophis deridiculus fuerit. Sed & quædam veteri habitu erant in scenam vocanda, partim, ut barbaræ gravitatis (est enim cuique ævo sua) ratio aliqua haberetur; partim quoque ne ab iis ipsis despiceremur, quibus nos sedulo placere studuimus. Ceterum, nisi vehementer fallor, non modo minus barbare, sed paullo etiam dilucidius hæc explicui, quam solent nostri.

Ter-

(*) Epistola quæ primæ fuerat editioni præfixa; quam, ut & sequentem, hic exhibemus, ne qua parte Lector fraudari videatur.

Tertium, quo te volo, est, ut quemadmodum ego hæc dum scriberem, Eclecticorum philosophandi libertate usus sum, ita & tu, si tantum abs rebus tuis tibi ocii est, ut de his judicare velis, eadem libertate fruaris oportet. Solemnem enim hanc habeo editionem, me cum iis, qui sacramento rogati uni se sectæ mancipaverunt, negotium non habere. Nam hos Philosophos esse non censeo; præcipue quum quidam sint, qui prius se Aristoteleos, Cartesianos, aut Newtonianos esse oportere censuerunt, quam Aristotelis, Cartesii, aut Newtoni dogmata noscerent. At enim, libertas hæc philosophiæ Religioni adversatur. Qui hæc prædicant quænam sit philosophandi libertas, ignorent necesse est. Eam ego libertatem philosophandi voco, quæ RECTA RATIONE duce utitur, non eam, cui tantum opinio præjudicata potest, ut etiam sine ratione valeat auctoritas: *recta autem esse nequit ratio nisi directa virgula regatur. Hæc autem quæ esse alia potest nisi æterna? Ea scilicet, quæ partim natura rerum ipsa sese prodit; partim divina patefactione. Quæ si hæc libertas Religioni adversatur, recta quoque ratio Religioni adversabitur, quo quid impius dici potest? Qui ex recta ratione, inquiunt, philosophatur, auctoritatem divinam aut præterit, aut contemnit. Atque isti*

Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.

Nam quum hæc reprehendunt, ignorant summam esse rationis humanæ regulam Dei rationem & auctoritatem. Itaque hi videntur ne primis quidem, ut dicitur, labris, germanam philosophiam, ejusque viam & rationem degustasse. Qua de re quoniam in Elementis Artis Logico-Criticæ disputo, supervacaneum puto aliquid hoc in loco addere.

Atque ex his intelligis, Lector, quid voluerim, quum in Prolegomenis scripsi, Italis libertatem adhuc philosophandi *deesse. Nempe apud plurimos regnat adhuc Aristoteles. Hi putant non posse Arabico-Peripateticam philosophandi rationem everti, quin Theologia evertatur, aut obscuretur. Scilicet stabili, si superis placet, conjugio inter se juncta sunt. Qua persuasione, quid, non dicam absurdius, sed Religioni Christianæ perniciosius esse potest? Quasi nimirum non possit Christianorum Religio stare sine Græcorum atque Arabum Philosophia. Alii vero ab hac secta desciverunt, sed assuetudine serviendi servile contraxerunt ingenium; quare quum non possint* sibi fidere, suoque judicio ac propriis sensibus niti, *servitutem commutarunt, & Cartesio, aut Newtono,*

aut

aut id genus aliis se mancipaverunt. Alii tandem, tametsi barbariem fastidiant, at, quod gravius est, omnem hanc recentiorum Philosophiam, ut Atheismi Scholam perhorrescunt. Nempe, tota Europa, quæ ita nunc philosophatur, Atheismi Schola est? Scilicet! Videant quam rem gerant.

Hæc sunt, Lector, quæ monere te volebam. Nunc ut æquo animo adsis, atque rem cognoscas oro, judiciumque tuum libere humaniter tamen feras, ut pernoscere possim, premenda mihi adhuc sint & nonum in annum, Universæ Christianæ Theologiæ Elementa Dogmatica, Historica, & Critica, *in quibus terendis totus jamdiu sum, an edenda (a). Spem face, & vale.*

(*a*) Hæc ego scribebam an. 1742. Sed alia nunc mens est, alius animus. Seponamus hæc in scriniis senectuti, si vita suppetat, otia.



LECTORI PHILOSOPHO

ANT. GEN. F.

(*)

QUUM ELEMENTORUM METAPHYSICÆ, *quæ dudum ego vulgaveram, exemplaria essent hic rara, essentque qui, contra quam ego opinarer, adhuc illa desiderarent, cœpere me fratres Gessari, juvenes optimi, expostulare, ut & secundis curis, quod editum eorum erat, in publicum iterum emittere vellem, & quod deerat addere. Ego vero, qui ab iis studiis animum averteram, negare. Difficile enim dictu est quam me absterreat memoria exantlatorum bona parte sterilium harum* ακροασεων *laborum. Itaque eo, unde lætus evaseram, respectare, horrebat animus. Erat ad manus tertia eorum* Elementorum *pars, breviuscula illa, &, quod ego ludens alias dixeram,* monogramma. *Eam ut publici juris facerent, si vellent, non refragabar. Sed illi a me acriores curas exigebant, quas ubi in me suscipere vellem, tota* prioris partis, *res nempe intricatissima, materies refundenda erat, ad sua principia revocanda, novaque forma exprimenda, quod ego nec volebam, nec si vellem, curæ aliæ, & valetudo, pectoris morbo jamdiu labefactata, patiebantur. Accedabat illud, quod hæc studia paucis inter nostros sapere viderem, quamplurimis esse suspecta. Et tota quidem philosophia ejusmodi est, ut, quod ille dixit, paucis contenta sit, plurimis vero invisa, quam idcirco qui vituperare velit, is secundo populo facere potest: sed nulla tamen æque, quam ea, quam nos nostris politiorem dandam curaveramus. Nam Metaphysicum fanaticum tantum audire, lucro est: non enim sine ratione pejora timeat. Quid quod totius philosophiæ nescio quis horror me invasit? Nam quum videam ejus cultores omnibus invidorum ac furentissimorum hominum telis esse subjectos, nihil interesse censeo, tanto capitis dolore philosophum miseriam sibi consciscere. Enimvero si quæ hic inter mortales esse*

(*) Fuit hæc epistola alteri editioni præscripta, quam ob eamdem rationem hic exhibemus, qua superiorem edendam tertio curavimus.

esse beatitudo potest; ea profecto in vita tranquilla & pacata sita est. Huic, si sapimus, litare curas omnes oportet, ab eaque distinere omnia, quibus illa deturbatur. Turbas sibi creare ejus est, qui vitæ rationum imperitus sit. Non id malorum sat est, quod a natura habemus, ut voluntaria arcessere quasi degustandi amore, sit necesse?

Homunculi quanti sunt quum recogito!

Ac subiit quandoque animum, beatiores esse Caffaros, aliasque barbaras gentes, apud quas litteræ nondum provenere; quippe quæ naturam sectantes ducem, ut nihil quod supervacuum est concupiscunt, ita nec alii aliis eas ob res insidias struere didicere; in syllabis, & apicibus crimina venari, ignari: reos punire, quam facere, consuevere. Confirmabat me in hac phrenesi, quod quum superiori anno in nostra studiorum Academia orationem ad litteras exhortatoriam dixissem, eaque studuissem demonstrare, quantopere in publicam felicitatem litteræ influere possint, si rite ac sancte tractentur, fuere qui, non obmurmurando, sed palam prædicarent, me toto, ut dicitur, Cælo aberrasse, ac quum publicam, quam litteræ moliuntur, perniciem ob oculos omnium proponere debuerim, ego contra ad litterarum studia impellere plurimos conatus essem. Quis á me in hoc rerum statu exigeret non ut scriberem modo quidquam, sed ut cogitarem? At quamquam ego de sententia non discedebam, nec jucundius quidquam esse, quam philosophari, nec in rem publicam utilius; impetrare tamen ab animo non potui, ut quod illi a me postulabant totum efficerem. Itaque quum nec omnia vellem concedere, quæ rogabant, nec negare omnia, privatum primæ ac secundæ partis, quo ego usus fueram, exemplar, exscribendum tradidi. Sunt in eo adnotata plurima, deleta, mutata, addita. Tertiam præterea illam partem exsuccam, & monogrammam, qualem ego privatis auditoribus dictaveram, addidi; talem tamen in qua perspicax lector pauca admodum ad naturalem Theologiam attinentia desiderare possit; nam ea præcipua theoremata, quibus profanum genus refelli possit, complexus sum. Hæc ut publica de privatis faciant non refragor. Cetera mihi pax sit, oro. Futuri sunt, non ignoro,

Odiosicique & multum incommodistici

plures, qui, quæ ego promisi pluries, non desinant expostulare. Addent fortassis etiam convicia; me Lucinam clamasse.

masse.

maſſe, partu nondum concepto. *Sed certum mihi eſt, ſtare decreto. Cochelas ego ſapientes ajo, quæ quum caletur,*

Suo ſibi ſucco vivunt, ros ſi non cadit.

Jam erunt alii, qui indignabuntur, me tot ſpinoſas veterum concertationes revocaſſe. Ego vero revocem? eos oro, ut præſentem Europæ litterariam rem accuratius diſcant. Intelligent me, & omnes qualeſcumque, quas ego gratus Deo refero, vires in pietatem tuendam impendere debuiſſe, qua re nihil nec antiquius, nec carius habere debemus; &, niſi hallucinor, egiſſe aliquid, eo tempore, ac iis moribus, quibus nec quidquam magis negligitur, nec eſt quidquam magis neceſſarium. Ac fieri quidem poteſt, ut rerum mearum amor mihi illudat; quod ſi eſt, ego humanitati veniam peto, ac nec dictum, nec cogitatum profiteor, quodcumque minus cum Chriſtianæ ſapientiæ regula conſentit: ſed conſcius mihi ſum, me in omnibus his qualibuſcumque laboribus non aliud ſpectaſſe, niſi pietatem, ac Religionem: in eam omnes ego dudum converti curas. Nam & ignorare non potui, quodnam eſſet Sacerdotis officium; & eo occulto quodam genio impellebar; ut idcirco nemo me jure poſſit reprehendere, ut ſi quidquam valeo, quod quam ſit exiguum ſentio, in his potiſſimum occuper. Nec id ego nunc dico, quaſi horum gratiam initurus, aut laude occupaturus præmium; ſed ut iis, qui aliena curioſius perſcrutantur, ſuſcepti a me Operis cauſas & rationes explicem, quo, ſi ab ingenio diſcedere queant, deſinant tandem maledictis aliorum inſtituta inceſſere.

Audivi ego quoſdam, qui in partis hujus primæ ordinem acrius inveherentur: exiſtimabant enim pleraſque eo a me innexas propoſitiones a rebus, de quibus diſſero, alienas eſſe, nec videre, quid cauſæ fuerit, quam ob rem voluerim tot ατοπα *inter ſe concatenare. Quos ego oro ut Metaphyſicæ Generalis naturam & finem penitius introſpiciant. Monuerat F. Baco, Metaphyſicam univerſali cuidam mentium humanarum cognitioni principia communia præſtare debere. In hac igitur priori parte eum ſcopum ob oculos habui: ei cogitavi. Inde quædam natæ propoſitiones, quas ſi ad res peculiares, de quibus diſputo, retuleris, velut alieno loco poſitas cenſere poſſis, ſed quæ tamen cum fine illo generico conſentiunt, atque inde rationem habent ſuam. Ac poteram ego illas ita deducere in conſectaria, ut facile appareret, ar-*

ctius

ctius quoque totum inter se corpus ac cum fine suo cohaerere, quam quod librorum isti degustatores judicant. Sed nec necessarium illud erat, nec elementa decebat: Elementorum enim est non integras res exhaurire, sed lineamenta prima tradere: iis instructi industrii adolescentes ipsi per se generica illa singularibus aptare debent. Est etiam hoc exercitium necessarium, si Philosophi evadere cupiunt. Nam Philosophia non tam in aliorum praeceptis ediscendis est posita, quam in mentis vi exercenda, & subtilitate judicandi & ratiocinandi contrahenda, quod nemo consequitur, qui non ipse sibi fidere incipiat, & rebus perpendendis assuescere. Quin etiam obest plurimum philosophari volenti nimis copiosus doctor, [illegible] nihil [illegible] discipulorum curiositati & perquisitioni. Quae eadem ratio est, cur Philosophus futurus meditari magis, quam legere, contra quod hodie fit, debeat: nam plurima lectio non tempus modo meditandi pene totum subtrahit, sed animum quoque opprimit, ac paullo stupidiorem efficit: Sed haec alias. Tu, interim, lector Philosophe, profice, si quid est, quod hinc in rem tuam convertere possis, & vale. Dabam Neapoli anno aerae Christianae MDCCLX. *Idibus Aprilibus.*



IN-

INDEX

CAPITUM.

PRæfatio, complectens principia Ontosophiæ & Cosmosophiæ. Pag. 9
DEFINITIONES. 10
CAP. I. [illegible] Dei, Entis, Nihili, Possibilis, Impossibilis, Necessarii, Contingentis. 11
CAP. II. De Relatione, Subjecto, Adjuncto, Substantia, Attributo, Modo. 19
CAP. III. De Essentia, & Natura. 23
CAP. IV. De Identitate, & Distinctione. 29
CAP. V. De Uno. 32
CAP. VI. De Potentia, & Caussis. 36
CAP. VII. De Spatio, Infinito, Duratione, & Motu. 49
CAP. VIII. De Perfectione, Veritate, Bonitate, Similitudine, Ordine, Proportione, Pulchritudine. 55
POTISSIMÆ PROPOSITIONES ONTOSOPHICÆ, ET COSMOSOPHICÆ. 62
Postulata. ibid.
CAP. I. Generalia quædam Theoremata de Ente, Nihilo, Possibili, & Impossibili. 68
CAP. II. De Natura Entis Contingentis, & Necessarii, deque Substantia generatim. 77
CAP. III. De Relatione generatim, & ontologice. 87
CAP. IV. De Essentiarum origine prima, deque primis hujus rerum universitatis exordiis intelligibilibus. 89
CAP. V. De Substantiarum origine, & indestructibilitate. 101
CAP. VI. De Legibus, quibus rerum universitas regitur, generatim differitur. 118
CAP. VII. De Uno, & Universalibus. 125
CAP. VIII. De Natura Mundani Spatii. 134
CAP. IX. De Rerum Differentia & Distinctione. 158
CAP. X. De Rerum Perfectione, Bonitate, & Veritate. 162

CAP.

CAP. XI. *De Tempore, & Motu.* 172
CAP. XII. *De primis Corporum substantiis ac Mundi origine physica.* 180
CAP. XIII. *De Fato ac Providentia.* 203
DISSERTATIO. *Scepticismus confutatus.* 228
APPENDIX. *Libri duo.* 263



NOI

NOI
RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di revisione, ed approvazione del P. F. *Gio. Tommaso Mascheroni* Inquisitor Generale del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *Antonii Genuensis Disciplinarum Metaphysicarum Elementa Tomi* 5. *stamp.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Giuseppe Remondini* Stampator di Venezia, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 7. Decembre 1778.

(*Piero Barbarigo Rifor.*
(*Francesco Morosini* 2°. *Cav. Proc. Rif.*
(*Girolamo Grimani Rifor.*

Registrato in Libro a Carte 393. al Num. 1400.

Davidde Marchesini Segr.

Addì 11. Decembre 1778.

Registrato nel Magistrato Eccellentiss. contro la Bestemmia.

Gio. Pietro Dolfin Segretario.

ELE-



ELEMENTORUM METAPHYSICÆ MATHEMATICUM IN MOREM ADORNATORUM

PROLEGOMENA.

§. 1. ERuditioni humanæ suas esse partes vulgatum, & usu receptum est. Vulgatum, Philosophiam partium illarum unam esse, ejusque partes esse quatuor, Logicam, Metaphysicam, Physicam, Ethicam. Sed ea in re qui ita sentiunt, videntur aliquid dicere, quum tamen nihil plane dicant. Neque enim animadvertunt, quod magnopere oportuit, se nec cum Philosophiæ originatione, nec cum vetustis Philosophis, nec cum doctrina sua satis consentire. Nam primum Philosophiæ vocabulum studium sapientiæ, idest eorum omnium, quæ sunt, aut esse possunt, scientiæ, dicitur. Deinde eadem cum notione Græcis Philosophis, qui illud ad nos demandarunt, usurpatum est, ut Cicero testificatur (*a*). Præterea Logica, quum ars sit universæ sapientiæ studium rite instituendi, Philosophiæ hujus, quæ sapientiæ quædam sit pars, esse pars nequit: minus quoque Metaphysica, quæ

(*a*) *Lib. 2. de Offic.*

ipsa generalis sapientia est (a). Quod si Philosophia pro tota eruditione humana, ut fit, accipiatur; tum ut Logica, & Metaphysica pro partibus Philosophiæ habeantur, non valde repugnabo. Quamquam rectius illa *Ars Philosophandi*, hæc *Prima*, & *generalis Philosophia* dici possit.

§. 2. Quod ad Metaphysicam attinet, cujus Elementa nunc sumus explicaturi, in opinione paulo etiam absurdiore erat Henricus Morus, quum Metaphysicam definivit, *Artem recte contemplandi res incorporeas*, (quo vocabulo accipit Deum, & mentes creatas) *quatenus e lumine naturæ facultatibus nostris innotescunt* (b). Non quod vocabulum *Artis* in eo reprehendam, quod quidam imperite faciunt; quippe est illud Disciplinis omnibus commune, ut Artibus omnibus *Scientiæ*, & *Sapientiæ* vocabula, quemadmodum non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor Plato disserit (c); sed quod e facultate & scientia maxime generali, artem fecerit arctioribus, quam par est, limitibus comprehensam, dum ad substantias tantum incorporeas, & intelligentes illam retulit, quarum integræ tractationes Metaphysicæ quidem sunt, sed non totum exhauriunt.

§. 3. Ut igitur propria Metaphysicæ notio comprehendatur, observandum est, rerum omnium, quæ a nobis percipi possunt, tria esse suprema genera: nam aut æternæ sunt, aut factæ, aut possibiles. Ea itaque disciplina, quæ tradit caussas, & rationes maxime generales rerum æternarum, factarum, & possibilium, earumque rerum ordinem, ac leges, Metaphysica appellatur, quasi scientia physicis disciplinis sublimior. Nempe in hoc a Physica distat Metaphysica, quod illa proximas rerum naturalium caussas, hæc remotas, & maxime genericas investiget: illa exteriorem, & oculis subjectum; hæc interiorem, & intelligibilem rerum ordinem perscrutetur.

§. 4. Ex quo patet vere docuisse Scholasticos, esse hanc Scientiam, & Sapientiam universalem, eique ceteras quasi famulari, suaque principia ab illa mutuari. Quod cum in omnibus Scientiis verum experitur, tum verissimum in Juris naturæ, & Theologiæ studiis: ita ut risui pateant, qui nondum animo Metaphysicis exculto, Jurisprudentiæ natu-

tu-

(a) *Conf. Arist. Lib.* 1. *Metaph.* & *proœm. Rhet.*
(b) *In Enchir. part.* 1. *cap.* 1. §. 1. (c) *In Gorgia.*

turalis, & rerum divinarum scientiam affectant. Patet ergo longe lateque Metaphysicæ materiem vagari.

§. 5. Patet & utilitas: nam si studiorum humanorum scopus est hominum felicitas; eaque posita est in perfecta voluptate ex perfecto bono manante; optimumque bonum moribus rite conformatis obtinetur; moresque rite conformant Ethica, & Theologia; his vero Metaphysica prænotiones primas substernit (ex §. 4.); hominum vitæ, societati, & Religioni utilissima est Metaphysica. Ut ne quid dicam de utilitate, quam affert in mentis cultura, capacitate potissimum, & ratiocinandi facultate, exercendis. Nec parva est voluptas perquirendi, & contemplandi *interiora Mundi*, seu potius intelligibilem, & verum Mundum ex indivisibilibus causis, ordineque invisibili pulcherrime constructum, ad quem non pertingit populus, qui phænomena tantum mundana admiratur, nec esse putat, nisi quod oculis contuetur suis. Primarum enim substantiarum totius rerum universitatis, unde Mundus hic aspectabilis emergit, essentia, earum vires, series, ordo, fines, pulchritudo; tum Primæ causæ in Mundo creando, conservando, & ad fines suos ducendo, ars, vis, actiones, quantum patere possunt, soli huic possunt nostro Philosopho.

§. 6. Sed opponunt, Metaphysicos ferme omnes in Fanatismum proruisse, absurdorum systematum auctores fuisse, & aut Atheos, aut Atheismo infectos, paulo liberiores in philosophando, parum certe pios. Principio hæc vitia, si quæ sint, aut quæ sunt, non sunt Artis, sed hominum. Deinde id verum, saltem generatim, esse nequit. Nam possumus infinitos, eosque meliores, Metaphysicos in medium afferre, qui moribus integris, ratione recta, magna, atque sincera pietate excelluerunt, in primis ex Latinis Patribus, S. Augustinum, S. Anselmum, S. Thomam, & veteris Scholæ magna illa ingenia. Possumus alios, qui quum essent literarum expertes, aut fanatici, aut scelesti, aut Athei fuerunt. Præter quam quod non male observavit Verulamius (*a*), nunquam consummatos philosophos Atheos fuisse, sed eos, qui Philosophiæ cortice contenti fuerunt. Hi enim quum nec nihil, nec tantum, quantum satis est, in Philosophia vi-

A 2 derent,

(a) *Præfat. in libros de Aug. Scient. & in Serm. Fid. serm. 16.*

derent, curiositate novandi in absurdas sententias, & in ipsum Atheismum prolapsi sunt.

§. 7. De Methodo ad hanc Scientiam perveniendi contendunt Philosophi. Platonici a natura Dei incipiendum putarunt, eam ob rationem, quod in Deo sint rationes, & caussæ rerum omnium genericæ, quas idcirco qui cognoverit, is omnium nobilissimam sapientiam consequetur. Nemo est, qui Platonicis non assentiretur, si faciliorem aditum ad Dei notitiam, quam qui est ad sapientiam universalem, patefecissent. Scio eos contendisse, nos mundum Dei intelligibilem participatum habere, in quo veræ sapientiæ principia dignoscere valeamus. Hinc Socrates, Plotinus, Alcinous, Malebranchius secessionem a sensu, & corporeis ad animi interiora passim præcipiunt. Sed hæc speciosa magis sunt, quam vera. Quis enim eorum, qui serio philosophatur, hæc in animo suo vidit, nisi postquam ex particularibus hausit, & subtili ratione confecit? Itaut mirum sit in hac literarum Europearum luce systemata illa Philosopho ulli placere potuisse.

§. 8. Rectius igitur sentiunt ii, qui analytica via, & ratione ex rebus factis instituta ad hanc scientiam contendendum docent: est enim hæc certior, & securior. Quinimmo quum sapientia illa innata, & lumen internum Platonicorum, nisi eo nomine ipsa ratio & vis intelligendi accipiatur, quæ profecto divina res est, sint commenta hominum atra bile laborantium; nulla reliqua est via, qua sapientia universalis acquiri possit, nisi sensuum, meditationis, atque conjecturæ. Hinc in adolescentibus Metaphysicarum rerum studiosis exigitur Mathematicarum, & Physicarum disciplinarum scientia aliqua.

§. 9. Miror interim virum doctum Paulum Mathiam Doria (*a*), quum egregie docuisset, ab hac scientia hypotheses omnes arbitrarias eliminandas, addidisse, eos omnes, qui via a nobis tradita (§. 8.) ad Metaphysicam contendunt, non posse non levibus hypothesibus & ruinosis adhærere, cujus rei exemplum profert Johannem Lockium, qui, inquit, totam suam Metaphysicam in ea statuit hypothesi, *mentem instar tabulæ nudæ corpus subire, ideasque omnes sensu, & meditatione acquirere*.

§. 10. Nihil enim minus accurate scribi potuit. Nam pri-

(a) *Lib. 2. Metaphysicæ Propugnatæ*.

primum, quæ potest esse ratio magis thetica Philosophandi, quam per indubia experimenta, & ratiocinia ex certis experimentis desumta, atque hinc collecta generica axiomata? Deinde quæ ratio philosophandi magis hypothetica, quam quæ ex idea UNIUS, *ex mundo intelligibili*, *ex lumine interno* Plotini, aut Malebranchii repetitur, quum eæ res & mirifice sint controversæ, & sanioribus Philosophis ridiculæ? Tandem cum Johannes Lockius propositionem illam, *mentem subire corpus instar tabulæ nudæ, ideasque omnes sensibus, & meditatione sibi comparare*, quæ Peripatetica est, toto opere de intellectu humano demonstret, ea pro arbitraria hypothesi haberi nequit, nisi ab eo, qui aut quid hypothesis sit non satis teneat, aut qui Lockii opus non perlegerit.

§. 11. Quod vero addunt, Metaphysicam Platonicam retinendam, & quod a gravissimis Philosophis probata, & longa præscriptione confirmata, & quod Religioni apprime consentanea sit, nihil moramur. Primum quod non heic auctoritatem, sed rationem spectemus, eamque Pythagora, & Platone cariorem habeamus. Deinde, si auctoritate pugnandum esset, recentiorum methodus, nec minus doctis, nec paucioribus probata est, & Democrito, Aristotele, atque Epicuro non est recentior. Postremo qui Platonicam Metaphysicam esse Christianæ religioni consentaneam scribunt, ne primoribus quidem labiis eam degustarunt. Quis enim ignorat, & circa ideas æternas, & circa materiæ naturam, atque originem, & circa originem, & naturam animorum, quam solemnia erret Plato? id in præsentia scire sit satis, nullam fuisse Philosophorum sectam, ex qua graviores pluresque in Christianam religionem irrepserint errores. Sed ea de re alibi.

§. 12. Jam vero quod ad originem hujus disciplinæ spectat, quum ea sit sapientia maxime universalis (ex §. 3.) eam arcessere possis ex eo tempore, quo homines sapere cœperunt, idest ex quo fuerunt. Sed cum heic quæramus non sapientiæ humanæ originem, sed tantum eorum tempus, qui primi peculiariter de Sapientia universali aliquid commentati sunt, & subtilius de rebus incorporeis, ac primis rerum caussis sunt philosophati, ut vetusta illa tempora omittamus oportet. Videntur ergo primi e Philosophis de his rebus paullo subtilius disputasse

Pythagoras, & Scholæ Eleaticæ fundatores, atque ab iis doctrinam illam ad Platonicos, Peripateticos, & Stoicos manasse. Multa profecto sunt de his rebus in Platonis libris, atque Eleatensium fragmentis, tum vero & Platonicorum omnium, præsertim Tullii, Alcinoi, Jamblici, Porphyrii, Augustini, quæ lectu digna sunt. Ceterum primus omnium ut alias Scientias, ita hanc, de qua agimus, in justam artem retulisse videtur Aristoteles in libris XIII. Metaphysicorum. Quamquam conamina, tentamina, specimina potius Metaphysicæ sunt libri illi, quam integrum, & justum opus: ac nihilo tamen secius adeo perfectum, elaboratumque Arabes illud ac Scholastici censuerunt, ut cum infiniti eorum huic studio per totam vitam incubuerint, vix ultra moliri sint ausi, sed in eo interpretando contabuerint. At tantum abest ut illud illustraverint, ut potius plurimis commentis, & deridiculis opinionibus, homines nec Græce docti, & bonæ Philosophiæ ignari, depravaverint. Itaque ex iis Peripateticis Metaphysicis præter Alexandrum Aphrodiseum, & Themistium, pauculosque alios veterum, recentiorum vero B. Thomam, ac majorum Gentium Scholasticos quosdam, qui proculdubio acutissimi fuere, vix eorum unus aut alter dignus est qui legatur.

§. 13. Sub initium Seculi XVII. primum Verulamius, deinde Cartesius, atque in Italia nostra quidam Patavinæ, atque Bononiensis Scholæ Philosophi, hæc, ut alia studia, plurimum promoverunt. Et Cartesius quidem cum sex de prima Philosophia meditationes scripsisset, in quibus pauca de natura mentis humanæ, de natura Dei, de origine idearum complexus est, quæ nec pro merito prosequutus est, nec satis accurate demonstravit; ejus tamen admiratores pro integra Metaphysica illas habere coeperunt. Ex eo tempore *jocularis illa*, inquit Henricus Morus, Metaphysica regnavit. Sed fuere tamen inter Cartesianos viri doctissimi, qui longe, lateque hanc Scientiam deduxerunt, quorum præcipui sunt Sylvanus Regis, Joannes Claubergius, Le Grande. Inter Metaphysicos Scholæ Cartesianæ numerari quoque potest Benedictus Spinoza, qui sano adhuc sincipite meditationes Cartesianas Geometricum in morem adornavit (1). Sed & omnium cele-

(1) Nondum, quantum constat, id temporis in Atheismum ruerat. Nam eodem circiter tempore libellum scripsit *Cogitata Metaphysica*, ex quo patet recte tum de Deo sensisse.

celeberrimus fuit Malebranchius, quum in aliis scriptis, tum præcipue in opere vulgatissimo *de inquirenda veritate*.

§. 14. Sed a renatis litteris nullibi latius hæc studia exculta videntur, quam in Anglia, idque duas potissimum ob rationes; tum quia ab Aristotelica servitute maturius descivere, atque tota ingeniorum libertate usi sunt; & quia perpetuum jamdiu cum Atheis atque acerrimum certamen habuerunt, quos illic magno agmine effrænis tum præcipue ingeniorum libertas generavit. Habent interim Angli Metaphysici, id quod raro in Gallis, vix in Italis nostris reperias, horridam obscuritatem, nec raro enthusiasmum. Nam ego ulli concedam, ut Angli æqui & systematici ingenii, ac judicii palmam, quum aliis, tum potissimum Italis præripere possint? cujus (ego rei manifestarium do exemplum longi discriminis Scoti, & Thomæ Aquinatis. Celebrantur igitur in his studiis apud Anglos præter Franciscum Baconum, Henricus Morus, Parckerus, Cudworthus, Tillotsonus, Lockius, Clarckius, & alii plurimi. Sed abusi plerique Anglorum sunt, ut dixi, libertate illa ingeniorum, atque æquo justius rationem provehentes totam Theologiam, & rationem turbaverunt, id quod disci facillime potest ex Anglorum historia litteraria. Ex recentioribus Germanis plurimos commemorare possemus, nisi elementorum angustiæ prohiberent prolixius ea de re disserere. Eorum itaque præcipui sunt Leibnitius, quocum Clarckius acerrimas de *ratione sufficiente*, & de *vacuo* concertationes habuit, & Wolfius, qui methodo synthetica omnes Metaphysicæ partes explicuit, de quo vide judicium nostrum in historia Artis Logico-criticæ.

§. 15. In tanta autem Metaphysicorum librorum copia, institutiones in usum adolescentium accuratas, si quas dedere Clericus, Tumingius, Corsinus, ac pauci alii, excipias, in quibus interim bona pars rerum Metaphysicarum desideratur, nondum, ausim dicere, habemus: nam, ut cetera mittam, partem hujus disciplinæ Theologicam, quæ longe est lateque diffusa, ac præcipua, non mihi pro merito pertractasse videntur. Quæ caussa fuit, quamobrem nos elementa hæc, atque in usum privatorum nostrorum auditorum, collegerimus, atque adornaverimus.

§. 16. Ea autem in tres partes partimur. Prima parte *principia Ontosophiæ*, & *Cosmosophiæ*, idest Metaphysi-

cam generalem, complectitur. Pantheistas ac Fati assertores in ea parte præcipue refellendos suscepimus, ac in primis Benedictum Spinozam. Altera *Theosophiam*, idest scientiam Dei, divinarumque rerum, ac pietatis & religionis adversus Deum. Cum Deistis in hac parte bellamus. Tertia *Psychesophiam*, idest tractationem de mente, & natura humana. Hic cum Epicureis decertamus. His tribus partibus tractatiunculam addimus de *Principiis legis naturæ* contra eos, qui *libertini* dici solent; deque officiis humanis breviter disserimus.

§. 17. Ita autem hæc tradimus, ut meminerimus perpetuo, nos Elementa tironibus scribere, quibus illi ad hæc mundi intelligibilis penetralia, si amant, quasi manu ducantur; non autem omnibus numeris absolutum opus, quod docti homines legant; neque enim eo audaciæ prorupimus, ut imbecillitatis nostræ simus immemores. Quamquam hac in re etiam atque etiam eos, quibus scribo, rogo, ut veteris effati illius meminerint, *philosophandum*, *sed paucis*. Nam illa demum studia nos totos occupare debent, quæ vitæ humanæ quum privatæ, tum publicæ felicitatem propius spectant, quæque in actione magis, quam in contemplatione consistunt: Hæc non sunt quidem contemnenda: sed in iis per totam vitam insenescere, & in sola contemplatione versari, ejus est, qui haud se miminerit hominem, & societati natum.

§. 18. Si qui autem erunt (nam fuisse quosdam audivi) quos aut sententiæ quædam offendant; aut judicia de aliorum opinionibus nostra; aut res ipsæ in animum scrupulos suspicionesque generent: eos magnopere oratos volo, esse ea non solum præter omnem animi mei mentem, sed cum ea pugnare: veritati enim sacrifico, non errori. Illud quoque animadvertant velim, dubia, quæ in iis sæpe exsuscitantur, qui his de rebus philosophantur, a tribus causis proficisci posse, rei nempe ipsius sublimitate, methodo & disciplina, Doctoris imbecillitate. Erunt hic plura non modo sublimia, sed mentibus humanis impervia, quæ ipsa suapte natura cum tirones, tum longe quoque progressos fatigent. Hinc nascentes ambages qui mihi tribuunt iniqui sunt. Disciplinæ ac imbecillitatis ingenii mei quid aliud agere possum, nisi ut veniam deprecer?

ELE-

ELEMENTORUM METAPHYSICÆ

PARS PRIOR,

Complectens principia Ontosophiæ & Cosmosophiæ.

PRÆFATIO.

§. 1. QUI res Metaphysicas literis tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinæ summam in Metaphysica manum imponerent; sive contemnentes, tanquam parva, quæ prius discimus elementa; sive ad suum non pertinere officium opinati; seu quod proximum vero, nullam ingenii sperantes gratiam, circa res, etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas. Ego, cum nihil existimem huic disciplinæ alienum, sine quo exactum Metaphysicum non posse fieri constat, nec ad ullius rei summam, nisi præcedentibus initiis perveniri posse, sciam, Elementa scripturus, ad minora illa, sed quæ si negligas non sit majoribus locus, demittere me non recusabo, nec aliter instituendos, & formandos in hac Scientia adolescentes suscipiam, quam si nihil ejus unquam inaudivisse putem.

§. 2. Igitur Ontosophiam voco scientiam maxime universalem circa ens, ejusque proprietates generatim occupatam. Quæ definitio eadem pene est, quæ Metaphysicæ ab Aristotele tribuitur (*a*). Ex quo patet priorem hanc, ut vocavimus, elementorum Metaphysicorum partem, universam complecti Metaphysicam, duasque, quæ sequentur, tractationes esse potius Metaphysicæ particulares. Quidquid sit, hanc scientiam, quam heic adumbramus, plenius discere possumus ex Ontologia Wolfii, qui quamquam nimius plerumque est, & morosus, & paullo obscurior; plurima tamen acute detegit, atque minutatim, & solide demonstrat.

§. 3.

(*a*) *Lib. 3. Metaph. cap. 1.*

§. 3. Henricus Morus (a) crassum errorem esse putat existimare tractationem de Ente ad Metaphysicam pertinere, quod id Logicæ sit proprium. Qua in re vulgari, & Logicæ, & Metaphysicæ notione vir alioquin acutus decipitur. Putat nimirum Metaphysicam circa solas substantias incorporeas intelligentes occupari, Logicam vero esse artem de notionibus abstractis disputandi; qui duo sunt errores veterum quorumdam, & vulgarium Philosophorum. Conferatur §. 1. Prolegomenon.

§. 4. Cosmosophiam vero vocamus scientiam, quæ principia, originem, ordinem, & leges hujus rerum universitatis tradit. Ea Cosmogonia vocari etiam solet, sub quo nomine Angli *historiæ universalis* Auctores eam historiæ illi præposuerunt. Observat autem Burnetius (b) Cosmogoniam eandem esse cum Theogonia Gentilium: quippe apud quos prima Numina partes Mundi fuerunt, quod copiose post veteres demonstravit Vossius in Theologia Gentili. Sed distinguenda tamen est a Geogonia, quæ tantum circa Tellurem nostram versatur. Collegit hanc Metaphysicæ partem peculiari opere Wolfius. Sed nemo subtilius, & eruditius his de rebus disputat, quam Radulphus Cudworthus, qui una opera veterum omnium, & recentiorum systemata operose explicat.

DEFINITIONES.

QUAS hic damus definitiones ex communi pene Philosophorum sensu accepimus. Paucorum tantum vocabulorum vulgatas notiones aut omnino delevimus, aut emendavimus, quod eas nec satis exactas, & parum ad differendum commodas experti essemus. Uno verbo, recordati sumus Logicæ Canonis, *non esse in definitionibus a sensu literatorum communi abscedendum*, ita tamen ut non simus obliti alterius, definitiones vocabulorum esse arbitrarias, licereque a definitione communi discedere, si minus sit recta.

CAP.

(a) *Ench. part.* 1. *cap.* 2.
(b) *In Archæologiis.*

CAP. I.

Notiones Rei, Entis, Nihili, Possibilis, Impossibilis, Necessarii, Contingentis.

DEFINITIO I.

RES est, quodcumque exstitit, est, futurum est, aut possibile, seu substantia id sit, seu modus.

Scholion. Nullum est aliud vocabulum, cui in his Elementis ampliorem notionem adscribamus, idque ex usu ipsorum latinæ linguæ Scriptorum. Quum autem hucusque Res, & Ens, quorum vocabulorum notiones nos distinguimus, apud Metaphysicos pro eodem usurpata sint, quæretur fortasse ex nobis, qua ratione dispescuerimus. Quibus respondemus id factum, ut commodius cogitationes nostras explicaremus, quæ non levis causa est, cur Philosophus novas vocabulorum definitiones tradat. Quod semel sub initium adnotasse sit satis.

II. *Entis* nomine intelligimus quidquid exsistit, seu substantia sit, seu modus. Exsistentiæ autem vocabulum eam excitat notionem, quæ significantioribus explicari nequit.

Scholion. Ens latinis, licet sequioribus, ejusdem prorsus vis fuit, atque ὂν Græcis: apud utrosque enim est a verbo substantivo, idest exsistentiam significante. Quæ quoque ratio fuit, qua *Ens* a *Res* distinxerimus. Adnotandum tamen est Platonicos plerumque vocabulum ὂν cum emphasi adhibuisse, eoque tantum ens æternum, & immutabile significasse, ut primum ex Platone, deinde etiam ex Plotino, Alcinoo, aliisque Platonicis discimus: qua ratione Mosi Platonem confert Eusebius (a), quasi eadem sit notio vocabuli *Jehovah* Mosaici, quo se Deus appellat, & ὂν Platonici. *Jehovah* certe per ὂν septuaginta verterunt, idest Platonice, ut putat Clericus (b). Ex quo & illud patet, cur Plato res hujus mundi vocet *non entia*, nempe *nec æterna, nec immutabilia*: ei enim solæ ideæ æternæ, *ante omnia* scilicet, & *extra omnia*, sunt entia: mundus entium umbris constat; quia corpora fluxa sunt, nec constantia.

Qua

(a) *Præp. lib.* 11. *cap.* 9. *conferatur & Petavius tom.* 1. *l.* 1. *cap.* 6. *de Theologicis dogmatibus.* (b) *Ad cap.* III. *Exod. v.* 15.

Qua ex re & illud quoque intelligitur, quid sibi velint Philosophi, quum docent, veram scientiam, seu certam evidentemque cognitionem, non esse nisi de rebus æternis & immutabilibus: corpora opinione tantum comprehendi. Nam res æternæ dicuntur eæ, quæ eodem semper modo se habent, quales sunt, quæ *entia* Platonice dicuntur.

III. Vocabulo *nihil* duæ excitantur notiones, una Entis, altera privationis rei alicujus in Ente illo.

Scholion. Vocabulum *nihil* negativum est: *vocabula autem negativa absentiam idearum positivarum explicant, velut insipidum, silentium, nihil*. Qui ex. g. dicit, ante conditum mundum erat nihil, notiones duas exprimit, mundi, & absentiæ mundi. Ita quum dico Chymera nihil est, obversatur menti notio Entis, & absentiæ Chymeræ ex numero Entium. Ineptiunt igitur, qui definiunt nihilum per vocabulum, cui nulla respondet notio, aut qui nihil vocant, quum nihil cogitamus. Scriptores divini Hebraici *nihili* vocabulo idem aliquando significare videntur, quod Epicurei vocabulo *inanis*. Ita Propheta, *extendit Cælum sicut nihilum*. Et Job, *appendit terram super nihilum*: nisi fortassis nihili vocabulo aerem intellexerint ex populari loquendi modo.

IV. *Possibile* voco id, quod nec exsistit, nec certum est utrum exsistet, sed tantum non repugnat exsistere, velut hominem integræ valetudinis cras mori; esse habitatores in Luna.

Scholion. Sedulo animadvertendum, ne misceantur Possibilitatis, & Probabilitatis notiones, quod minus prudentes sæpe faciunt. Nam probabilitas spectat rationum, quibus ad aliquid affirmandum, aut negandum impellimur, pondera: possibilitas autem ipsam rei naturam. Itaque probabilitas locum habet quum in *Entibus*, tum in *Possibilibus*, & *Impossibilibus*: at possibilitas locum non habet in pugnantibus. Cui errori causam dedisse videtur canon ille Logicorum, *possibilitatem esse primum probabilitatis absolutæ gradum, quum alicujus rei existentia quæritur*.

V. *Ea non repugnare* dicimus, quæ simul esse possunt, velut ex datis tribus lineis, quarum duæ quomodocumque sumtæ tertia majores sint, triangulum confici; materiam moveri: cetera.

VI. Repugnare dicimus, quæ simul esse non possunt, veluti tres lineas, quarum duæ sunt semper tertia mino-

res,

res, triangulum conficere: aut circumferentiam circuli cum quatuor lateribus quadrati conjungi.

Scholion. Si quis quærat, qua Methodo perspici possit, utrum duo, aut plura repugnent sibi mutuo, nec ne, is utatur regulis, quas in Logica, dum de usu ratiocinationis loqueremur, tradidimus. Eæ huc redeunt, ut resolvamus ideas omnes in simplices; ut ipsas simplices ex omnibus adspectibus versemus; ut cum omnibus ideis affinibus comparemus; ut inde separemus, quas ad illas non pertinere putamus; ut si res primo non processit, examen iterum instituamus, ut utamur aliorum cogitatis, & inventis: ut studeamus mentis capacitati, & acumini, ac judicio augendis; & ut similes Analytices regulas adhibeamus. Post quod examen vir prudens facile fortassis dignoscet, res rei conveniat, an adversetur. Quod si ne tum quidem, quod quærebat, invenerit, tunc ut ne ulterius quærat, monendus.

VII. *Futurum* voco id quod non solum possibile est, idest quod non solum non repugnat exsistere, sed quod certum est statutum, veluti cras oriturum solem, homines omnes aliquando tandem morituros. Igitur notio futuri, ex nostris definitionibus, est notio possibilis determinati, atque alicui tempori adscripti.

Scholion. Hinc patet eandem rem, quamquam absolute necesse est, ut futura, vel non futura sit, uni tamen possibilem tantum haberi posse, alteri futuram, si iste, non ille certo sciat aliquando exstaturam, quod attente observandum est dum Scriptores leguntur. Præterea duæ istæ postremæ definitiones ob id etiam accurate observandæ, quod in utraque, & revelata, & naturali Theologia magnum habent usum, dum de scientia, voluntate, libertate, gratia Dei, rebus suapte natura gravissimis, & valde implicitis, disputatur adversus Atheos, Fati potissimum assertores. Itaque, ut id loco exempli proferam, non sine gravi ratione quærunt quidam, sint admittenda hujusmodi *possibilia* in mente Dei, seu respectu divini intellectus, an omnia sint *futura*? Nam si admiseris, videberis fateri, novas in Deo voluntates esse posse, quibus possibilia evadant futura. Sin vero negaveris, Spinozisticum Fatum inducere videberis. Sed quum constet possibilia esse infinities infinita, ac propterea si altera cum alteris conferantur, nasci infinita *contradictoria*, seu *incompossibilia*; certum esse debet, ea Dei voluntate, qua hoc voluit Universum, non posse omnia esse

futu-

futura, & ad hoc Universum pertinentia. Cæterum nobis investigare nos licet, quid in infinita æternitate efficere Deus constituerit. Quare quum S. Augustinus in lib. 3. de libero arbitrio, & alicubi etiam S. Thomas, omnium Metaphysicorum subtilissimi, scribant, nullum entis genus Universo deesse, eaque in quadam esse gradatione posita, a perfectione infinite parva prope ad infinite magnam, id ita intelligendum est, ut ea exsistere, aut esse futura intelligamus, quæ sunt inter se compossibilia.

Sunt qui futura ad duo quoque genera referunt, ut alia sint *absoluta*, alia *conditionata*. Quæ divisio si non objecta, sed Dei intellectum spectet, supervacanea esse videtur: etenim quum *futuri* notio relationem dicat ad mentem prævidentem; quæ conditionata *futura* vocantur, vel sunt futura concatenata cum possibilibus, aut certe mere possibilia. E. g. *pulvis pyrius ardebit*, *si ei ignis admoveatur*: sunt duo possibilia, quæ conjunctim intellecta futurum constituunt. Utuntur hac partitione passim Theologi, quum maxime implicatas quæstiones agitant super scientia, decretis, & providentia Dei. Non hic disquiram, apte necne, quæ Theologi curæ erunt: id scio, hæc vocabula talia esse, quibus nihil realis respondeat, nec in Deo, cujus scientia non multiplex est, aut varia, sed unica, & simplicissima intellectio; nec rerum in natura, in qua nihil fortuiti, nihil vagi, incertique est, sed omnes effectus, & causæ sapientissime concatenata sunt. Sed quando dum de rebus divinis disputatur, profecto est aliquid indulgendum humanæ mentis imbecillitati; in eum saltem usum utiliter utemur.

VIII. Possibilium duo statuuntur genera: nam alia quidem *absoluta*, & *intrinseca*, alia vero *relativa*, & *extrinseca* possibilia dicuntur. Ad prius genus referuntur ea, quorum *essentialia* esse simul possunt, ut animal vi ratiocinandi præditum, figura chiliogona, seu mille laterum. Ad posterius referimus, quæ non tantum intrinsecus possibilia sunt, sed etiam extrinsecus, id est ex relatione ad certas causas, quibus effici possunt.

Schol. Ut id clarius intelligatur, observabunt lectores, possibilitatis notionem duabus ex fontibus nasci, nempe ex inspectione *essentialium* rei, quæ constet uniri posse, & *potentiæ*, qua uniri possunt: Illa possibilitas intrinseca appellatur, hæc extrinseca. Ceterum quæratur possibile ne aliquid sit, primum possibilitas intrinseca pervestiganda, dein-

deinde extrinseca. Nisi enim sciatur aliquid intrinsecus possibile esse, ignoretur oportet, an tanta sit potentia, ut effici possit. E. g. quæritur an possibilis sit alter mundus, idest alter globus terraqueus viventibus ornatus? Primum examinabimus intrinsecam possibilitatem, deinde extrinsecam, seu potentiam causæ, a qua esset procreandus. Sed si constet rem aliquam exsistere, aut unquam extitisse, inde quoque esse possibilem intellige: *ab actu* enim *ad potentiam*, ut dicitur in Scholis, rite argumentamur. Scilicet est impossibile, ut id exsistat, quod impossibile est exsistere; ex quo conficitur, ut quod exsistit, necessario sit possibile.

IX. *Impossibile* vocamus id, quod ob secum pugnantem naturam exsistere nequit, veluti circulus quadratus, idem simul esse & non esse.

Schol. Eodem modo, quo de notione *possibilis* superius diximus, notio impossibilis nascitur, vel ex adspectu essentialium, vel ex adspectu externæ causæ: & inde *impossibilitas intrinseca*, hinc *extrinseca* proficiscitur. In id autem curæ acres intendendæ, ut ne hallucinemur in *impossibilibus* statuendis. Nam quoniam mentes nostræ finitæ sunt & breves, ut non possint essentias rerum, & relationes plene inspicere, ita nequeunt semper dimetiri rerum potentias activas: ex quo fit ut difficillimæ sæpe sint certæ notiones *impossibilitatis*, quum intrinsecæ, tum extrinsecæ. Sed non idcirco debemus ad alterum extremum deflectere, ut asseramus, nullum eorum, quæ nos impossibilia putamus, ne hoc quidem, *idem posse simul esse & non esse*, *impossibile* esse, quod scilicet Deus, qui infinita scientia, & potentia præditus est, fortasse tamquam possibile spectat, atque habet, quæ opinio Cartesii fuisse videtur. Qui enim sic ratiocinatur, purum in Rempublicam literariam scepticismum inducit, quum prima eruditionis humanæ fundamenta subvertat. Itaque ratio hujus portentosæ opinionis inepta est: quippe ut observatum est Nicolao Malebranchio acutissimo viro (a) quamquam Deus in eo infinite mentibus nostris præstet, quod ille omnia *possibilia*, & *simul*, clareque, & distincte intueatur, nos pauca clare, atque distincte, nec simul: plura autem obscure, & confuse: at in quibusdam, quæ nos clare, & distincte percipimus, veluti nos exsistere, idem simul esse, & non esse, totum esse

(a) *De Morali, & Relig. lib.* 1.

esse sua parte majus, & in quibus idcirco certi sumus certitudine mathematica, nullo is pacto certior est; quia quum certitudo mathematica gradus non habeat, sed in divisibili sit posita, ubicumque est, eadem & tota est: itaut si in his cogitationibus in Deo sit major, nostra certitudo non erit tota, nec certitudo; quod nescio an Dei sapientiæ, & providentiæ deroget, qui nos, ut isti ajunt, ita fecerit, ut nihil certi scire possimus. Quod quum asseruisset nuper Huetius (a) Wolfio jure scepticus est habitus. Sed de his alibi. Ceterum non male observat Clericus (b) Cartesium more suo effugium illud callide petiisse, ne sententiæ suæ de essentia corporis in trina dimensione, censura ab Ecclesia inureretur, ob mysteria eucharistica, quæ ille ita sarta tecta servabat, asserens Deum & impossibilia facere posse. At enim, voluntas Dei est infinitæ potentiæ: ergo nihil est ejus respectu impossibile: nam quod fieri nequit per aliquam potentiam, id ei limites constituit. Respondeo, quum dicimus Deum esse omnipotentem, id ita intelligimus, ut is sola voluntate efficere possit, quæ ejusmodi sunt, ut secum ipsa non pugnent: nam hæc non posse, non potentiæ est defectus, sed rei ipsius, quæ exsistentiæ non est capax. Ponamus, ut id clarius intelligamus, Deum velle ut ego simul sim, & non sim: quum duæ hujusmodi voluntates sint æqualis potentiæ, ac oppositæ, ad effectum determinandum necesse est alteram ex altera subtrahere: ut autem si a numero quocumque, velut 8, subtrahas æqualem 8, superest o; ita si ex infinita potentia infinitam subtrahas, superest nihil. Fieri igitur nequit quod oppositis Dei voluntatibus faciendum esset.

X. Impossibilia *moralia* vocant Philosophi, quæ quidem sunt *possibilia intrinseca*, sed tamen, quia cum Dei natura pugnant, fieri a Deo nequeunt, velut eum mentiri, errare, peccare, aut peccati esse auctorem. Inter nos dicuntur etiam impossibilia moralia quæ aut difficillime usu eveniunt; aut honestati, & naturæ morali adversantur, quæque extra ambitum libertatis naturalis haberi debent. Primi generis esset, phthisim curari: alterius omnia, quæ lege vetantur: ea enim pro moraliter impossibilibus haberi debent.

Schol. Hæc definitio in librorum lectione attente est recolenda, ne absurdas, aut falsas aliis sententias tribuamus. Quod

(a) *La foiblesse de l'Entendement humain.*
(b) *Ontologiæ cap. 4. §. 3.*

Quod Novatiani tertii seculi hæretici fecerunt, qui quum legerent in libris Evangelicis, eos, qui semel resipuerunt, si iterum excidant, non posse iterum resipiscere, iis spem salutis ademerunt, ut B. Cyprianus libro de lapsis retulit. Etenim quod *αδυνατον* ibi dicitur, morale tantum est, non physicum. Spectat etiam huc Politicorum illud, Rempublicam, si ad magnitudinis extremum gradum pervenerit, stare non posse, quod *summis negatum sit stare diu*, ut loquitur Lucanus. Moralia hæc sunt impossibilia. Sed hæc Critices sunt.

XI. *Necessarium exsistentiæ* vocamus, quod exsistentiæ suæ causas non habet, quodque pugnat non exsistere: cujusmodi est solum ens æternum.

Schol. Vulgatum est apud Philosophos, ens æternum *necessitate naturæ suæ* exsistere. Significatur autem non ita esse, ut *contingentia*, quæ vocant, quasi ita exsistat, ut potuerit non exsistere, sed necessario exsistere: quæ exsistendi necessitas quum non externa sit, sed in Entis æterni natura, idcirco naturæ suæ necessitate exsistere dicitur. Interim quum hunc loquendi modum Spinoza in Ethica passim usurpet, ut quum scribit Deum necessitate naturæ suæ intelligere possibilia omnia, necessitate naturæ mundum efficere, necessitate naturæ sequi quod optimum est, observetur, id intelligere, non quod Deus externo Fato subjiciatur, sed quod talis sit ejus natura, ut illa non possint non ita fieri; qua in re Stoicis consentit. Ita Spinoza ipse mentem suam explicat in primo Ethicæ Schol. Sed hæc loco suo.

XII. *Necessarium essentiæ* est, quod essentiam habet immutabilem, quod solum æternum est, ut præclare Plato docet. Nam quæcumque sunt facta, ut per se non sunt, ita mutabilia sunt. Sed an necessitate naturæ omne ens æternum sit incommutabile ita, ut nequeat fingi æternum mutabile, alias. Nam quamquam id veteres Philosophi omnes fatentur, at revera suis systematis negare id videntur, dum eorum plurimi materiam æternam, sed mutabilem, statuunt.

XIII. Necessarium ad *exsistentiam* dicitur id, sine quo aliud exsistere nequit. Ita si non exsistente A, nequeat exsistere B, tum A dicetur necessarium ad exsistentiam τυ B. Demonstrabimus suo loco *ens æternum intelligens* esse necessarium ad exsistentiam mundi ita, ut illo subla-

to, exsistere mundus nequeat, quo evertetur purus *materialismus*, ut vocant, nempe crassus Epicureismus.

XIV. *Necessarium ad essentiam* est id, sine quo essentia *rei* haberi nequit. Vocatur a Wolfio *Essentiale*. Quod vocabulum retinendum censuimus ob facilitatem, & compendium loquendi: destituimur enim his in rebus propriis vocabulis, ob *rerum novitatem*. Ita soliditas dicitur necessaria ad essentiam corporis, æqualitas circumferentiæ a centro ad essentiam circuli.

Schol. Sunt qui putant Mentem, idest cogitationem, æternam, esse *necessariam* ad *essentiam mundi*, qualis Spinoza, qui mentes ceteras æternæ Mentis esse modificationes docet. Est hic Pantheismus. Alii vim activam, & hilarchicam ad essentiam materiæ necessariam faciunt, cujusmodi Aristoteles, Leibnitius, & alii: quos loco suo examinabimus.

XV. A necessario, & intrinsece dependet a B, si B sit necessarium ad essentiam τȣ A, cujusmodi est homo a mente & corpore, triangulum a tribus lateribus, & quælibet res a suis *Essentialibus*.

XVI. A extrinsece dependet a B, si B tantum necessarium sit ad exsistentiam τȣ A, non etiam ad essentiam. Ita mundus a Deo, & effectus omnes a suis causis.

Schol. Patet igitur, quid sit unum ens ab alio intrinsece, aut extrinsece pendere, quod ut accurate observetur volo, quod inde facilius gravissimæ quæstiones ad Cosmosophiam pertinentes explicentur, totumque Spinozæ systema intelligatur atque confutetur. Atheus autem iste paullo aliter hæc explicuit: *Quodcumque in se exsistit, & in suo, non in alterius rei conceptu intelligitur, a nullo intrinsecus pendere* dicit: *contra vero, quodcumque in alio exsistit, & per ejus intelligitur conceptum*. In prima classe ponit substantiam; in altera substantiæ affectiones.

XVII. *Ens contingens* vocant philosophi quodcumque extrinsecus, & libere ab alio pendet, qualia sunt omnia facta & possibilia, quæ *necessitate naturæ* non exsistunt, adeoque non exsistentia intelligi possunt. Ita contingens, & necessarium opponi dicimus, ut, quod unum est, nequeat esse alterum.

CAP.

CAP. II.

De Relatione, Subjecto, Adjuncto, Substantia, Attributo, Modo.

XVIII. R*Elatio* est nexus unius rei cum alia, aut ordo unius ad aliam, qui valeat nos una cognita, ad alterius cognitionem ducere. Est autem is nexus vel *realis*, vel *moralis*, vel *intellectualis*: ille in ipsa rerum natura constat, veluti nexus patrem inter & filium: alter opinione hominum, veluti relatio virum inter & uxorem, inter actiones quasdam & seculi leges honestatis, aut turpitudinis: tertius tandem sola cogitatione constituitur; atque hujusmodi sunt relationes inter ideas arbitrarias & commentitias.

Schol. Relativa sunt hujusmodi, ut nequeat unum sine altero cognosci, unoque posito alterum ponatur necesse sit, quemadmodum Philosophi tradunt; quod potissimum evenit in relationibus *realibus*, quæ ubique gentium eædem sunt. In *moralibus* autem & *intellectualibus*, quæ apud omnes non sunt eædem, axioma illud obtinere nequit. Quinimo monemus, ne hujusmodi relationes generales censeantur. Quod quum quidam non observassent, aut ex præsentium, & patriæ moribus prava de antiquis judicia sibi efformarunt: aut ex iis systematis disciplinarum, quæ ipsi animo conceperant, de veterum systematis judicarunt: ut inde patet, quod varia recentiorum Philosophorum systemata antiquis omnibus communia fuisse, sectatores paulo eruditi conati sint demonstrare, ut Burnetus theoriam Telluris, Morus & Raphson spatium, Spinoza & Tolandus Pantheismum, Bælius Manicheismum, alii alia. Observatum id in Arte Logico-Critica.

XIX. In Relationibus distinguimus & earum *subjecta*, & *rationes*. *Subjecta* relationum sunt illa, inter quæ nexus est, ordo, & relatio: nexus ipse ratio dicitur relationis.

Schol. Paullo aliter Scholastici: nam tria distinguunt, *fundamentum*, *terminum*, & *rationem fundandi*. *Illud* vocant subjectum unde ducitur nexus: *terminum* subjectum ad quod ducit nexus: *rationem* id propter quod est nexus. Tria hæc certe in triplici illo relationum genere (def. 18.) omnino obtinere debent, & acri judicio distingui, ut ordine ratiocinemur. Patet autem ex iis quæ di-

cta sunt, relationem non percipi, nisi perceptis subjectis, inter quæ est, & ratione, propter quam est.

XX. Subjectum est id, cui aliquid adhærere, vel inhærere percipitur. Adjunctum vero, quod subjecto adhæret, vel inhæret. Veluti tela subjectum est picturæ, pictura adjunctum telæ.

Schol. Relativæ sunt ideæ adjuncti & subjecti: itaque nequit altera sine altera percipi, ne per abstractionem quidem, ut Scholastici loquuntur. Interim nihil vetat particulatim eas expendere, & separatim de iis disputare, quod faciunt Ethici dum vitiorum, atque virtutum naturam examinant, quasi a Mente eorum subjecto abstractam: Physici vero dum leges motus tradunt abstracti a corpore.

XXI. Substantia est primum subjectum ejus, quod est, aut fit, quod ita exsistit, ut intrinsecus a nullo communi ac anteriori subjecto, sed a suis tantum essentialibus pendeat, ac semel positum, sine nova actione per se esse & conservari possit.

XXII. Accidens est adjunctum substantiæ, quod illius aut essentiam, aut exsistentiam limitat. Itaque est aut *qualitas*, aut *modus*: qualitas essentiam finit: modus exsistentiam.

Schol. Nihil tot inter Philosophos concertationes excitavit, quam non satis enucleata substantiæ notio, nec ullæ magis contentiones vitæ, atque eruditionis humanæ intersunt, quam quæ de natura veræ substantiæ agitatur, quippe quæ Deum, universitatis rerum naturam, & naturam hominis spectant, quod paullo post intelligemus. Inter veteres Græcos Philosophos de Universi substantia diu ita disputatum est, ut qui eorum disputationes legit, incertior, quam adiit, discedat. Fuere qui unam eamque immensam, & immutabilem primam Universi substantiam, ac fundamentum dicerent, veluti Eleatenses, & Aristoteles. Alii plures ac prope infinitas, ut Democritici, & Epicurei. Recentioribus temporibus Scholastici, in primis Scotistæ, Arabibus, ac proinde Aristoteli simplicius adhæserunt: quidam nimis quam par erat, ut ad impietatem usque aberraverint, velut David a Divinando, Abelardus, Jordanus Brunus, qui hanc primam substantiam, seu materiam Universi primam, ut vocant, Deum esse putaverunt; quod tandem mortalium omnium teterrimus Benedictus Spinoza integro docere conatus est systemate. Quicumque hinc originem Spinozismi factam

arbi-

arbitretur, is rem acu tetigisse mihi videtur: nam a materia Aristotelis prima, eaque activa, seu natura genitrice prædita, veluti per gradus primum ad Arabismum, mox ad Pantheismum ventum est. Confer Schol. definitionis XXIV. Sed Gassendistæ, Cartesiani, ac Newtoniani Democriti quidem substantias revocaverunt; sed in spatio, ac communi earum fundamento minime convenerunt; quorum quidam, ut Cartesiani, nullum esse sibi persuasere, præter extensionem, quam atomi ipsæ mole sua conficiunt; alii, ut Newtoniani, immensum hoc spatium posuerunt, ipsam Dei immensitatem esse rati, qua de re alibi. I. Leibnitius novam substantiæ notionem, substantiarumque novam theoriam invenit, qua de re loco suo. Generatim vero Lockius (*a*) negat nos ullam claram & distinctam substantiarum notionem habere: nam etsi sciamus, inquit, esse rerum quæ sunt, aut fiunt prima quædam subjecta, at quæ sunt, ignoramus. Id quod confirmari potest ex eo, quod gravissimi Philosophi super natura primarum Universi substantiarum immane quantum discordaverint. Ego sic censeo, substantiarum realium notiones, nec claras, nec distinctas nos habere; sed claram esse & distinctam abstractam, & genericam substantiæ ideam. In eo peccare Philosophos ajo, quod nimis confidenter hanc abstractam notionem omnibus sæpe rebus singularibus aptant.

XXIII. *Essentialia entis* vocamus ea, ex quibus primum entis essentia componitur, quæque in entibus simplicibus nec ex se mutuo, neque ab alio priore pendet intrinsecus, licet in entibus compositis ab aliis pendere possint. Ita extensio, soliditas, cetera, essentialia sunt corporis.

Schol. In entibus compositis, qualia sunt corpora, essentialia sunt prima componentia: at in primis componentibus, seu substantiis, essentia ab anterioribus pendere nequeunt.

XXIV. *Attributum* voco id, quod licet non sit primum in essentia, in quo ab Essentiali discernitur, necessario tamen & intrinsecus provenit ab essentia, & ita, ut posita essentia, illud ponatur necesse est, velut divisibilitas in corpore distinguitur ab Accidente, quod illud abesse possit, salva substantiæ natura, non item attributum.

 Sæpe

(a) *Lib.* I. *cap.* 3. §. 18. & *lib.* 2. *cap.* 23. §. I. & 2.

Sæpe tamen in lingua metaphysica, *essentiale attributum*, *proprietas*, quandoque etiam *perfectio*, cum eadem notione accipiuntur.

Schol. Notiones ergo Substantiæ, Accidentis, Essentialis, Attributi, probe sunt recolendæ, & discernendæ; quod quum plerique non fecerint, dum de Deo, & Mundo philosopharentur, turpiter sunt hallucinati. Inde, ut dixi, natus est Spinozismus. Spinoza parte prima Ethicæ substantiam definit, *per substantiam intelligo id quod in se est, & per se concipitur*: deinde abusus ambiguitate τυ *exsistere in se, & in alio*, quum omnia universi entia Deus immensitate sua complectatur, intulit Deum tantum substantiam esse, cetera Dei aut attributa, aut qualitates, aut modos. Cartesius (a) substantiam definiverat, *Rem, quæ ita exsistit, ut nulla re indigeat ad exsistendum*; quumque creatæ res Deo, ut exsistant, opus habeant, eas non esse substantias eodem loco docuit, voluitque *unicam esse substantiam Deum*: qui & ipse ambigua illa loquendi ratione, *ut nulla alia re indigeat ad exsistendum*, deceptus est. Adeo verum est, non Geometras tantum, sed Metaphysicos maxime, dum ab ideis abstractis ad naturæ res gradum faciunt, turpissime hallucinari! Jam Attributum definit Spinoza eodem loco, *id quod intellectus de substantia percipit, tanquam ejus naturam constituens*. Quumque Deum intelligere non posset sine immensa extensione, hancque haberet *formalem*, & hanc materiam, cujusmodi sint corpora; veluti per gradus ad summam hanc impietatem venit, materiam esse Dei attributum, corpora Dei modos.

XXV. Dividunt philosophi attributorum vocabula in *affirmantia*, & *negantia*. Illa explicant, quid res sit: hæc quid non sit. Vis cogitandi in mente est prioris generis: indivisibilitas secundi.

Schol. Monent Logici, ut in investiganda veritate essentiarum, utraque hæc attributa investigemus: ita enim paullo clariores notiones earum habere posse. Ac vero quum mens humana pluribus ac diversis rerum notionibus sit prædita, nullius rei cognitio perfecta esse potest, nisi non solum quid sit, sed & quid non sit dignoscatur. Quin ne fieri quidem potest, ut quid sit res cognoscatur, nisi una opera quid non sit pervideatur. Prior tamen esse debet affirman-

(a) *Part.* 1. *principiorum art.* 51.

firmantium, quam negantium cognitio. Unde scitum illud Philosophorum, *notionem negativorum ex notionibus esse positivorum*, quo tantopere usus est Cartesius in demonstratione exsistentiæ Dei. Nisi enim sciatur quid res sit, intelligi nequit, quid non sit. Vide hujus rei exemplum Logicæ lib. 1. cap. 1. dum de natura animæ loquimur.

XXVI. Substantiæ esse possunt aut brutæ, aut spirituales: illæ sunt, quæ ratione, & electione sunt destitutæ; hæ quæ ratione, & electione sunt prædita.

Schol. Non est autem confundenda notio substantiæ *incorporeæ* cum notione substantiæ spiritualis: concipi enim potest incorporeum, quin sit spirituale. Qui spatium vacuum esse putant, id esse incorporeum constituunt; nec continuo sequitur esse spirituale. Non jure igitur Cartesiani quidam, quod est incorporeum, id necessario esse spirituale conficiunt. Illud verum est, esse incorporeum quodcumque est spirituale; sed non vicissim.

CAP. III.

De Essentia, & natura.

XXVII. Essentia est forma rei intrinseca, qua res talis potius est, quam talis. Ea posita est in indivisibili *essentialium*, & *attributorum* unione. Unionem vero essentialium, & attributorum hoc tantum sensu voco indivisibilem, ut nequeat eorum ullum auferri, quin prior essentia immutetur, ac alia evadat; ut si Chiliogono unum latus detrahas, continuo est alia figura, atque aliam habet essentiam.

Schol. Non satis igitur perspecte Cartesiani essentias rerum in una tantum proprietate, ut vocant, ex qua ceteræ manare intelligerentur, illa vero ex nulla priore, pervestigarunt. Nam quamquam quædam res ita fortasse simplices sunt, ut earum essentia in uno tantum essentiali posita sit: at profecto plurimæ aliæ sunt, quæ quum pluribus essentialibus sint conflatæ, non est in iis primum quoddam quærendum, in quo consistat essentia. Hinc inscite essentiam corporis in sola extensione posuerunt. Atque inde est, quod rerum essentiæ a nobis maxima ex parte ignorentur, quod nimirum nec omnia rerum essentialia, & attributa inspicere possimus, nec eorum unionem satis clare intel-

ligere, nisi fortasse in rebus Geometricis, & Arithmeticis, quibus essentias plene intelligimus: quippe hæ res essentias habent ab arbitrio Geometrarum, & Arithmeticorum; idest mere sunt eæ nominales; quum aliarum rerum essentiæ sint reales, quas non ad arbitrium creare possumus, sed quæ sint investigare debemus. Sed & illud pervelim animadvertatur, veteribus quibusdam vocabula *naturæ*, *essentiæ*, *substantiæ* cum eadem notione sæpe sumta; cujus rei exempla plurima conferri possent, si esset usus.

XXVIII. Essentiæ vel *reales* sunt, vel *notionales*, & *nominales*. Illæ sunt quibus res sunt tales: hæ sunt notiones rerum vocabulis quibusdam expressæ. Pertinent ad essentias nominales *genera*, & *species*.

Schol. Magnum habet in inquirenda veritate usum hæc divisio, eaque pluribus illustratur a Lokio (a). Quod ut plene intelligatur, recolenda sunt quæ in superiori scholio edisseruimus; quo in loco animadvertimus, essentias rerum maxima ex parte a nobis ignorari. Id autem de essentiis realibus intelligendum est: nam quænam sint essentiæ nominales, prolatis vocabulorum definitionibus sciri potest. Quicumque igitur hoc discrimen non recte servant, dum essentias nominales pro realibus habent, falli magnopere possunt. Ea certe est methodus, qua Benedictus Spinoza philosophatus est, ex essentiis scilicet rerum notionalibus tam audacter de rebus ipsis concludit, quam ex ideis Geometricis de natura, & proprietatibus figurarum Geometricarum, quasi in solo mundo intelligibili versaretur. Quis autem dixerit quot inde errorum monstra conficiat? (b)

Sed inquit aliquis, an ullæ sunt apud homines nominales essentiæ realibus adamussim respondentes? Respondeo paucos esse Philosophos, qui essentias suas nominales non pro realibus pertinaciter habeant. Sed ex sapientium discordiis, & eorum *sensu communi* discimus, vix modorum simpliciorum essentias nominales haberi posse pro realibus, &, ut ego quidem puto, ne has quidem, nisi in paucissimis. Nimirum nemo eo usque sibi adulari potest, ut substantiarum realium tam adæquatas notiones habeat, ut certus sit, nihil in iis superesse, quod ignoret. Historia naturæ, quæ quotidie perficitur, satis superque id nos docet.

(a) *Lib.* 3. *cap.* 3.
(b) *Vide Traité des systemes tom.* 2.

XXIX. Præterea essentiæ rerum vel factæ sunt, vel æternæ intelligibiles: hæ continentur mente Dei: illæ extra Deum existunt in rebus ipsis.

Scholion. Longe necessaria erat hæc divisio, ne in statuenda immutabilitate essentiarum mirifice hallucinaremur. Nam sunt quidam, qui essentias rerum omnes immutabiles faciunt, dum tamen res factas mutabiles statuunt, qui intelligi nequeunt, nisi moneant, se loqui de essentiis intelligibilibus, & possibilibus, quæ proculdubio immutabiles sunt, quum factæ essentiæ omnes sint mutabiles. Neque aliud intelligebat Plato, dum essentias rerum, seu ideas, immutabiles statuit, quidquid ideæ illæ sint, quod loco suo monuimus.

XXX. Vis est facultas agendi. Est autem vis *viva*, vel *mortua*. Illa cum actione conjuncta est, veluti vis flammæ, quæ se agitat: hæc in conatu est, a quo propter obstaculum, nulla manat actio, veluti vis penduli immobiliter gravitantis. Utriusque generis vires exsistere naturæ contemplatione facile detegitur. Nam in seminibus, atque ovis vires esse genitales, mortuas tamen, necesse est: & plures esse vires vivas oculis ipsis inspicimus. Igitur investigandæ philosopho per quam diligenter: earum præterea intensitates examinandæ: tum & conflictus, & ex conflictu provenientes effectus. Quod ad magna mundi corpora pertinet nemo id felicius fecisse videtur, quam Newtonus. Sed infinita etiam sunt his de rebus acutissime demonstrata a Wolfio in operibus philosophicis. Fatendum tamen est nondum in penitissimam hanc naturæ partem mortales devenisse. Quapropter ingens superest rerum copia, in qua investiganda cum laude versari possumus.

XXXI. Actio si spectatur prout a causa manat, *actio* quidem appellatur: si vero in subjecto, in quo ab externa causa producitur, *passio* vocari solet. Itaque nulla ullius rei, nec mutatio, nec motio, nec quidvis aliud ejus generis respectu ejus rei dici potest actio, nisi immediate proficiscatur a principio rei illi intrinseco.

Scholion. Ex. g. quum moveo lapidem, eadem motio mei quidem respectu actio est, in lapide vero passio. Hinc nata est divisio potentiæ in *activam*, & *passivam*, quarum illa agit, hæc excipit. Ceterum hæc definitio usum habet quum in aliis, tum in celeberrima quæstione illa, an intellectus activa, an vero passiva potentia sit. Quam

dum quidam ut ridiculam contemnunt, non intelligunt ea totam hominis naturam contineri. Nam idem plane est atque investigare, exsistat ne in nobis vis activa cogitationum nostrarum, quæ nostri propria sit, an cogitationes in nobis a Deo, aut anima mundi, aut ab externa alia causa, tanquam motus in lapide, producantur. Cartesius prius putavit. Sic enim ille (a): *nullam aliam differentiam statuo inter animam, & ejus ideas, quam inter frustum ceræ, & diversas figuras, quarum frustum illud capax est: quemadmodum diversas figuras recipere non est in cera actio proprie, sed passio; ita etiam mihi videtur, quod passio sit in anima, quod hanc, vel illam ideam recipiat*. Scitum autem est Cartesio ideas, & perceptiones unum esse. Alterum censuit Pythagoras (*b*), & Stoici (*c*), ex recentioribus vero Campanella (*d*) præter ceteros loco suo memorandos. Idem dicendum est de Thoma Hobbio, qui cogitationes esse censuit reactiones cerebri adversus actiones exterorum objectorum. Eadem distinctio locum quoque habet in natura libertatis humanæ constituenda: nam quidam sunt qui *vim & potentiam passivam* libertatem esse ajunt: alii e contrario ita activam, ut omnis externæ actionis determinantis sit impatiens; qua de re loco suo dicetur.

XXXII. Vocamus *naturam* vires, seu principium activum Entis, dum de rebus physicis loquimur: propensiones vero naturæ humanæ erga verum & bonum; sæpe quoque normam actionum humanarum naturæ lumine promulgatam ab Auctore mundi, dum de moralibus disserimus.

Scholion. Est definitio ex communi Philosophorum sensu depromta. Non sum vero nescius vocabulum *natura* cum aliis quoque notionibus passim accipi, etiam in Philosophorum libris. Apud vetustissimos Philosophos dupliciter accipiebatur: aut pro vi una, & simplici per totam mundi machinam diffusa, quæ vitam, & motum singulis mundi partibus impertiretur: aut pro viribus singularibus, quibus singulæ res præditæ essent. Cum priori sensu accipiebant Pythagorici, Heraclitus, Stoici, Speusippus, fortassis etiam Aristoteles; quippe cujus materia prima omnium forma-

rum

(a) *Part.* 1. *Epistolarum ep.* 115.
(b) *Cic. lib.* 1. *Tuscul.* (c) *Senec. sæpe*.
(d) *Morhofius Polyhist. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 18.

rum receptaculum hac genitrice Natura prædita esse videtur: temporibus vero nostris Morus, Cudworthus, Newtonus, aliique quamplurimi. Cum posteriori Democritici, Epicurei, atque ætate nostra Cartesiani, & Leibnitiani. Sed priores inter se non conveniunt. Nam Pythagoras Deum ipsum naturam esse voluit, si ejus mentem teneamus (*a*): Stoici Deum quidem, sed natura igneum, seu æthereum: Heraclitus ignem ipsum, aut potius ætherem quemdam vivificum: Aristoteles nihil distincte definit, sed ratione, & consilio naturam instructam non negat: Plato animam mundanam induxit, quam *virtutem genitricem* vocat Apulejus (*b*), eamque servire voluit Deo fabricatori. Cudworthus licet neget consilio, & ratione uti naturam, sensu tamen, & perceptione instructam facere videtur (*c*). Newtonus (*d*) Ætherem subtilissimum, quem & spiritum alibi vocat, naturæ vim gerere opinatur. At illi, qui singulis mundi partibus, & membris singulas vires activas, seu similes, seu dissimiles posuerunt, has, aut harum systema, naturam habent. Videri possunt quæ in nostra *Dissertatione de principiis rerum corporearum* dicta sunt. Plerique Philosophorum Christianorum, qui agnoscunt, quantum discriminis sit inter Deum, & rerum universitatem, illum quidem *naturam naturantem* appellant; hanc *naturam naturatam*. Interim sunt non pauci, qui totam eam vim, quæ per universitatem rerum diffusa est, a Deo immediate esse docent, seu potius nullam esse in mundo vim activam substantialem, sed actiones omnes mundanas a Deo continenter proficisci. Habet hæc sententia in veteribus ipsis, novellisque Theologis patronos quosdam: sed a Cartesio longe est provecta, plurimisque ab auctore Gallico *Des actions de Dieu sur les creatures* adserta. S. Thomas, qui in his rebus vidit acutissime, & potentias ac causas activas a Deo creatas esse statuit, & cum iis Deum cooperari in physicis docuit; ut hujusmodi actiones a duplici activo principio manent; Deo, & creatura.

XXXIII.

(a) *Vide quæ dicta sunt in Dissertatione de principiis rerum corporearum.* (b) *De dogmate Platonis.*

(c) *In Systema. intell. differ. de natura genitrice. Vide quæ eum in locum observat Laurentius Mosshemius.*

(d) *In Quæstionibus Opticis, & in Scholio principiorum.*

XXXIII. Leges naturæ vocant Physici normas, secundum quas motiones in hac rerum universitate provenire ejus auctor Deus statuit, quarum normarum existentiæ ratio sufficiens non sit alia, nisi Dei voluntas. Hujusmodi leges propositionibus quibusdam genericis efferimus.

Scholion. Eodem ferme modo Gravesandius (*a*) & Muschembroeckius (*b*), qui recte monent, has leges sedulo naturæ studio perdiscendas. Quin legibus istis Universitas hæc facta sit & stet, vix dubium ei esse potest, qui illud animo recoluerit, & ordine eam factam esse, & stare, & ordinem intelligi sine hujusmodi legibus non posse; qua de re commode dicemus. Illud animadvertendum, hujusmodi legum alias quidem esse genericas, ac ad omnia entia mundana pertinere: alia sola corpora spectare: alia esse, quæ sunt propria corporum vegetabilium; alia animantium propria: quædam locum habere in aere: alia in igne & lumine: alia in aqua &c. Scientiæ physicæ, & mechanicæ his legibus conficiuntur.

XXXIV. Leges naturæ vocant Ethici normas, secundum quas actiones suas liberas ut homines conforment, Deus per lumen rationis docet atque præcipit.

Scholion. Sunt vero alii, qui legis naturæ moralis nomine non aliud videntur intelligere, nisi primas naturæ humanæ propensiones & naturales impetus. Quo modo quod maris, & feminæ conjunctio ut in hominibus, ita in brutis animantibus, e naturæ propensione est, naturæ legem vocant veteres Philosophi & Jurisconsulti. Item natura ipsa quodlibet animal prolem suam amat, ejusque curam, & tutelam suscipit: id quoque juris esse naturalis Jurisconsulti, idest Romani Philosophi, dixerunt. Sed has naturæ animalis mechanicas potius leges dixeris, quam morales: qua de re in *secunda parte* dicemus. Sed quidam sunt, quibus placet, leges naturæ esse *dictamen rectæ rationis de iis, quæ agenda, vel omittenda sunt*. Ita Cumberlandus. Nos dictamine rectæ rationis promulgari leges, non effici contendimus: neque enim leges, nisi voluntates Legislatoris esse possunt. Qua de re dicemus *in quarta parte*.

CAP.

(a) *Inst. Philosoph. Newtoniana* §. 4.
(b) *Elementis Physico-Mathematicis* §. 7.

CAP. IV.

De identitate, & distinctione.

XXXV. Identitas est relatio entis ad semet immutatum, loco licet vel tempore mutato, seu id, quo res, loco licet vel tempore non eodem, est eadem. Est notio abstracta. Itaque idem dicitur ens illud, in quo nihil immutatum est, etsi locus, vel tempus mutata sint.

XXXVI. Diversitas vero est relatio entis ad semet mutatum, loco vel tempore mutatis, seu id, quo ens, loco, vel tempore non eodem, non est idem. Notio abstracta est. Diversum est, quodcumque ens in diversis temporibus, aut locis mutatum fuerit.

Scholion. Identitas, uti & diversitas, & *metaphysice*, & *vulgo* dicuntur, & *moraliter*. Metaphysice quidem ut ens idem sit, nedum essentia, sed ne modus quidem variet, necesse est: at vulgo, si essentialia sint eadem, etiam immutatis modis, idem ens dicetur. Ita homo, qui consenuit, physice idem est, ac juvenis: non tamen metaphysice. *Moraliter* res dicitur eadem, quum in eodem statu conformitatis, aut discordantiæ cum lege persistit. Ita constanter bonus moraliter est idem bonus. Item de malo. Est igitur identitas conscientiæ idem ac identitas moralis. Quod tum maxime recolendum, quum Scriptores leguntur. Ex. g. Scriptores Apostolici passim docent, homines mortuos aliquando resurrecturos. Necesse autem est, ut iidem homines resurgant, alioquin non resurrectio, sed nova hominum generatio dici deberet. Itaque iidem Scriptores indicant apertissime, nos eosdem resurrecturos, dum nos faciunt in resurrectione aut præmiorum compotes, aut pœnis obnoxios, secundum quod aut justam & piam, aut injustam & impiam vitam egerimus. Hinc tota vetusta Ecclesia homines eosdem resurrecturos docuit. Sed quum iidem sacri Scriptores doceant corpora nostra immutanda esse, saltem Beatorum, rite deducimus, nos eosdem non quidem Metaphysice, sed physice resurrecturos. Vide ut egregie eam rem pertractet Origenes contra Celsum lib. v.

XXXVII. Distinctio in Scholis quatruplex est, Realis, Rationis, Modalis, & Formalis. Realis est inter ea, quæ non sunt eadem, quæque separatim intelligi possunt. ve-

luti tria latera, aut tres anguli in triangulo. Seu distinctio realis est inter *rem & rem*, *ens & ens*, *substantiam & substantiam*, *hypostasim & hypostasim*. Modalis autem est, qua modi, & qualitates a substantia distinguuntur.

Scholion. Henricus Morus (*a*) exigit in iis, quæ realiter distinguuntur, ut possint separari. Sane disputari potest, estque in scholis acerrime disputatum, an omnia, quæ realiter distinguuntur, possint etiam separari, seu an sint distinctæ res. Metaphysici, qui distinctionem realem inter substantiam, & substantiam ponunt, affirmant: Substantiæ enim hoc est proprium, ut per se constare, & existere possit. In horum igitur sententia haberi nequeunt tamquam realiter distincta, quæ saltem *intrinseca possibilitate* nequeunt separari: & quæ realiter distincta sunt, separatim quoque existere possunt. Sed hoc esse verum nequit in natura divina; in qua tres personæ sunt *realiter distinctæ*, nec tamen separari possunt. Itaque monitos volumus Lectores, ut si quando ita loquamur, nos de rebus naturæ ac sensibus, & rationi nostræ subjectis loqui. Eas tantum Philosophia, quatenus e ratione nostra proficiscitur, cujusque elementa tradimus, attingit.

XXXVIII. Distinctio formalis, quemadmodum Scotistæ ejus primi inventores definiunt, est quæ intercedit *inter formalitates*, eaque *reali* quidem minor est, quippe quæ inter substantiam, & substantiam, hypostasim & hypostasim intercedit; *Rationis* major, quippe quæ inter conceptus ejusdem rei posita est. Vocant porro *formalitates* quum *essentialia* entis, tum attributa. Ex. g. animus, & corpus *realiter* distinguuntur, cum sint duæ substantiæ: intellectus, & voluntas duo animi essentialia: item extensio, soliditas, gravitas, tria corporis *essentialia*, *formaliter*.

Scholion. Scoti doctrina est Franciscanis pene omnibus probata, acerrimisque atque diuturnis cum Dominicanis, & Jesuitis concertationibus firmata, atque longe, lateque disseminata. Nec vero sine ratione, in quo ego palinodiam recino, nullo licet beneficio a Scotistis affectus: nam clare intelligo, non ita distingui duo ejusdem substantiæ attributa, soliditatem ex. g. & extensionem, duo corporis ejusdem attributa, ut duæ distinguuntur substantiæ, corpus a corpore, animus a corpore, mens a mente: ea minor distin-

ctio

(a) *In Enchiridio par.* I. *cap.* IV.

ctio est, hæc major. Itaque quatuor omnino genera distinctionum constituenda sunt.

XXXIX. Distinctio rationis est quum ea ut distincta percipimus, quæ distincta non sunt, idest quum de eadem re, & simplici, conceptus distinctos, ut loquuntur Scholastici, efformamus, re tamen ipsa eos conceptus suppeditante. Ex. g. si dentur tres lineæ A. B. C., ita sitæ, ut A sit perpendicularis lineæ B, parallela vero lineæ C; in A ratio parallelæ, & ratio perpendicularis ratione tantum distinguentur, sed res ipsa eam distinguendi rationem exhibet.

Schol. Quum distinctos conceptus de eadem & simplici re habere nequeamus, nisi illam aut ex diversis adspectibus, aut ex diversis relationibus spectemus, inde recte concluserunt Scholastici, in distinctione rationis non intercedere tantum operationem mentis, sed aliquid præterea esse in re ipsa, quo diversi & distincti illi conceptus nobis suppetant. Quod adeo verum putaverunt Theologi nostri, ut non tantum Gilbertum Porretanum Pictaviensem Episcopum damnaverint, quod attributa Dei realiter distingui doceret, sed etiam eos, qui putabant distinctionem attributorum Dei adeo esse solius rationis opus, ut nihil ex parte rei ipsius causa esset ejus distinctionis, & idcirco mentem hac in re decipi, qualis Eunomius, aliique. Interim negare non possumus gravissimis erroribus eos obnoxios esse, qui non satis diligenter cavent, ne ea semper pro realiter distinctis habeant, quæ ratione distincta percipiuntur.

XL. Quæ distingui possunt, aut *res* sunt, aut *vocabula*, aut *ideæ*, aut *actiones*. Res distinguuntur realiter per suas *essentias*: vocabula *per sonos*: *ideæ* per distincta, quæ referunt, objecta: *actiones* vero aut a causis distinctis, aut a temporibus, si interruptæ fuerint: sæpe ab intensitate.

Schol. Vocabula, atque ideas distinctas quivis facile dignoscet, ita quidem, ut aut nullæ, aut Philosophi cura vix dignæ ea de re quæstiones suboriri queant. At rerum essentias, aut actiones distinctas internoscere sæpe difficillimum est adeo, ut nullibi facilius, & solemnius errent minus cauti. Et de essentiis rerum realibus superius dictum. De actionibus pauca exempli causa. Nemo est qui non sciat, & continenter prædicet, motiones, & perceptiones actiones esse natura sua distinctas: at, confidenter dico, si importune acutissimos Philosophos efflagitaveris, qua in re differant actiones illæ, iique ingenui esse velint, plerique labora-

bunt, seque frustra torquebunt. Præterea Philosophi nondum satis intelligere potuerunt, una ne sit immensa per universum a Deo creata actio, quæ in variis subjectis varie determinetur, an plures, & diversæ in pluribus diversisque universi rebus, quæ vita aliqua, & actione agitantur; idcirco quod actionum ipsarum naturas non satis distinguere potuerunt, nec inde rite de principiis, seu viribus activis ratiocinari. Hinc plerique principium quoddam hilarchicum, & plasticum statuerunt. In primis autem quum hoc seculo omnes physici *attractiones* crepent, ecquis est, qui ejus actionis adeo claram informatam animo notionem habet, ut semper ab iis, quæ dicuntur impulsiones, valeat discernere? Quo in loco molestum illud subit animum, non solum magnam sapientiæ nostræ partem esse ignorantiam, verum sæpe doctorum hominum verba tam esse *nihili*, quam vulgi.

XLI. Contraria vocamus, quæ sese mutuo destruunt, uti existere, & non existere, rotunditas, & quadratum. Res autem Scholasticis *contradictionem involvere* dicitur, si, ut existat, ex contrariis confletur oportet, qualis esset circulus quadratus, esse unum & diversa, & hujusmodi alia.

CAP. V.

De Uno.

XLII. ENS dicitur unum aut *physice*, aut *numerice*. Physice, quum aut simplex est, aut ejus essentialia & attributa ita juncta sunt, ut in unam essentiam atque naturam confluant. Numerice vero, quum ab iis distinctum est & segregatum.

XLIII. Est igitur & unum simplex, & unum compositum. Illud est cujus nullæ sunt partes realiter distinctæ: Hoc vero cujus aliquot sunt partes, cujusmodi sunt corpora omnia. Jam est unum per *aggregationem*, quod constat ex pluribus unis simplicibus, ut acervus tritici. Præterea *unum morale*, quæ est *concordia voluntatum*. Compositio autem unius, quemadmodum Scholastici philosophantur, est aut Physica, aut Metaphysica, aut Logica. Illa est partium realiter distinctarum, atque a se invicem separabilium, qualis est in corporibus. Metaphysica est ex *essentia* & *existentia*, atque ceteris proprietatibus *formaliter* distinctis, qualis secundum hos Philosophos in omnibus entibus

factis,

factis, in quibus essentia ab existentia *ratione* saltem distinguitur, proprietates vero, seu attributa, *formaliter*; Logica est ex *genere*, & *differentia*, quæ quum sint notiones mentis, quas Logica spectat, *logicam* conflant compositionem.

XLIV. *Unitatis* notio est ex notionum abstractarum numero, exprimitque id, quo ens est Unum.

Scholion. Infinitas hoc in loco Philosophi gerras germanas effutiunt, quas lubentissime iis integras dimittimus. Illud non penitus omittendum, quod de origine notionis *Unius* disputant. Unitatis notionem innatam esse contendebat Plato, idque passim Plotinus, & Augustinus repetunt. Et Augustinus quidem eo argumento usus est, quod quæcumque sensibus percipimus, composita sint, & multiplicia. Contendit idem Mersennus. Noster Doria totus in hoc est, ut ostendat congenitam nobis esse *Unius* ideam, eamque scientiæ nostræ prima continere semina. Sed vereor ut iste aut hæc intelligat, aut, si intelligat, solide demonstrare possit. Nam primum notio entis *Unius compositi*, aut unius *numerici*, a sensibus omnibus, oculis potissimum, atque tactu provenire potest, uti prolixe probat Lockius. Deinde Unius simplicis notio cur a simplicibus modorum ideis, aut *abstractione*, & meditatione mentis confici non possit, nondum videmus. Tandem quæ ratio nos subiget, ut hac in re aliorum potius auctoritati credamus, quam intimo nostri sensui, & experientiæ? Refragantur certe omnes Logicæ canones. Quod si hoc sensu innatam dicunt, ut communi hominum ratione concipiatur, quas ego ideas naturales, & communes appello, non refragor.

Generatim monemus, ut Philosophi diligenter caveant, ne ex abstractis notionibus res ipsas æstiment, turpissimeque hallucinentur. Apposite enim monent viri docti, ex hoc permultos, eosque gravissimos errores Metaphysicos admisisse, quod nescirent satis ab ideis istis abstractis sibi cavere. Dici idem de Geometris potest, dum res physicas attingunt. Exemplo sit hic idem Spinoza, ad cujus errores in hoc libello refellendos aggressi sumus. Is in impium *unius substantiæ mundanæ* errorem inde perductus est. Omnia scilicet entia, hoc ipso quod exsistunt, in notione *entis* conveniunt, idest unum sunt *ens abstractum*. Sed ille huic unitatis abstractæ notioni ens reale unum, infinitum, huncque Mundum subjectum esse putavit. Hinc vero in Pantheismum recta ruit: nempe perridiculo, so-

phismate abusus. Animadvertere debuit hoc Bullenvilletius, qui sub initium *Analyseos Systematis Spinozistici* tanta diligentia argumentum istud adornavit. Sed ex eadem scaturigine emerserant ideæ Platonis per se subsistentes, communes, ingenitæ, immutabiles. Inde nata Aristotelis, & Arabum *materia prima*, una itidem, immensa, simplex, intelligibilis tantum. Inde quoque Scotistarum universalia, ut vocant, *in essendo*, & *a parte rei*. Sunt alia generis ejusdem, velut Archea & principium hylarchicum alchimistarum, & aliorum Fanaticorum commenta.

XLV. *Totum est unum compositum: Partes* sunt ea plura, ex quibus totum aliquod componitur. Relativæ sunt igitur *totius* & *partis* notiones, ita ut quemadmodum *totum* intelligi nequit sine partibus, ita pars non dicatur, nisi *totius* respectu.

Schol. Notiones *totius* & *partis* probe expendendæ: inde enim gravissimæ quæstiones pendent, uti postea dicemus. Illud in præsentia observandum, quod quoniam *totum* dicitur ex relatione ad compositionem, *pars* vero ex relatione ad alias, quibus fit totum; dum examinatur, an ens aliquod *totum* sit, an vero *unum simplex*, perpendendum est, quænam sit partium illarum natura; nempe realiter ne distinctæ sint, possintque separari, an vero ratione tantum. Nam partes *realiter* distinctæ & separabiles habeant distinctam essentiam oportet; non vero partes ratione tantum distinctæ. Atque hinc pendet vulgaris illa quæstio, an spatium vacuum Epicureorum, & Newtonianorum habendum sit tamquam ens simplex, cujus nullæ sint partes *realiter* distinctæ, licet intelligantur, ut Morus (*a*) & Clarkius contendunt; an vero ens ex aliis simplicibus compositum, quæ sint intrinsece tantum (ut putat Hartsoeker (*b*) separabilia, non vero extrinsece.

XLVI. *Unum* porro Philosophi in *universale* quoque, & *singulare* dispescunt. Universale est aut *unum in multis*, quod *in essendo* vocant: aut *unum exhibens multa*, quod vocant in *repræsentando*: aut *unum de multis*, quod dicunt *in prædicando*. Itaque ad quatuor summa genera referunt, nempe ad *ideas*, *verba*, *actiones*, *res*. Idea universalis est, quæ quum sit una, plura tamen refert objecta.

(a) *In Ench. par. prima cap.* 3. §. 4.
(b) *Cours de Physique lib.* 1. *chap.* 1.

jecta. Vocabula sunt universalia, quum plures eodem tempore ideas significant. Actio universalis est, si una eademque in pluribus subjectis sit. Res tandem est universalis, si & una simul sit & in multis. Singulare vero est, quod unum est, & ad nulla alia pertinet, atque ut in se indivisum est, ita ab omni alio distinctum, quemadmodum Scholæ loquuntur. Singulare individuum quoque appellatur.

Schol. Ad ravim usque de universalibus disputarunt veterum Scholarum Philosophi. Recentiores ineptas hasce, & supervacaneas esse putant disputationes. Itaque Morus *insulsissimam* vocat entis divisionem in *Universale*, & *Singulare*, quod scilicet quæcumque existunt singularia sint, universalia vero nihil sint, nisi *rationes quædam logicæ*, & *modi intelligendi*. Quæ profecto vera sunt. Sed quum gravissimi Auctores recentioresque Philosophi *naturam* quandam, & *substantiam* universalem posuerint, eaque quæstio cum natura Dei conjuncta sit, non est certe negligenda, sed potius quam diligentissime pertractanda.

XLVII. Huc etiam spectant *genera*, & *species*. Genus Philosophis definitur, *unum* quod in pluribus *universalibus* integrum est; seu quod ad plura *universalia* pertinet. *Species* quæ ad plura spectat *singularia*.

Scholion. Facile est noscere genera, & species ad essentias nominales, non vero ad reales pertinere, nisi in eorum fortassis opinione, qui naturam aliquam, & substantiam universalem statuunt. Itaque species est perceptio plurium singularium ejusdem aut similis naturæ: genus vero plurium specierum similium perceptio. Vide quæ sunt a nobis dicta in *Epist. ad Antonium Conti*.

XLVIII. Persona est individuum rationale.

Schol. Id quo ens est individuum vocatur in Scholis *principium individuationis*: personæ, *personalitas*. Interest autem plurimum notionem personæ claram, & distinctam habere in re Theologica pertractanda; qua in re quum Theologi Christiani non satis inter se convenissent, quot turbas excitarunt de Trinitate, & Jesu Christo servatore nostro disputantes? Quod interim moneo, est, ne dum de personis divinis loquimur, personæ notionem ex rebus nostris accipiamus, idest pro *individuo rationali*, cujus natura ab aliorum naturis distincta sit, & separata: nam eam ob causam decepti Photiniani, & Sociniani Trinitatem

divinam ut rem *contradictionem involventem* rejecerunt. Apposite Beatus Thomas (*a*) *aliud est*, inquit, *quærere de significatione hujus nominis persona in communi, & aliud de significatione personæ Divinæ. Persona enim in communi significat substantiam individuam rationalis naturæ, ut dictum est: individuum autem est quod est in se distinctum, ab aliis vero distinctum. Persona igitur in quacumque natura significat id quod est distinctum in natura illa, sicut in humana natura significat has carnes, & hæc ossa, & hanc animam, quæ sunt principia individuantia hominem: quæ quidem licet non sint de significatione personæ in communi, sunt tamen de significatione personæ humanæ. Distinctio autem in divinis non fit nisi per relationes originis, ut dictum est supra. Relatio autem in Divinis non est sicut accidens inhærens subjecto, sed est ipsa divina essentia: unde est subsistens, sicut essentia Divina subsistit ... Persona igitur Divina significat relationem in natura subsistentem*. Ex mente igitur Beati Thomæ tres divinæ personæ sunt *unius essentiæ* & *substantiæ tres relationes subsistentes*.

CAP. VI.

De potentia, & Causis.

XLIX. POtentia est vis seu facultas agendi, qualis vis cogitandi, aut vis motrix.

Scholion. Activas tantum potentias specto: nam passivæ, quæ dicuntur, potentiæ, improprie ita appellantur. Potentias ex actione tantum investigamus, ita nempe ut nedum ex data actione concludimus dari vim activam, sed etiam ex data *natura*, aut *intensitate* actionis, naturam, aut perfectionem potentiæ activæ detegere conamur. Nec tamen satis feliciter. Etenim quamquam actiones plurimæ in hoc universo aut sensui, aut conscientiæ nostræ pateant: tamen, si ingenui esse velimus, fatebimur, omnium activarum virium naturam seu essentiam nobis ignotam esse, & vix conjectura attingi. Quæ causa est, cur in maxima circa rerum principia, & structuram ignorantia versemur. Sed ea de re sæpe dictum est.

L. Ratio sufficiens est id unde intelligitur cur aliquid sit,

---

(a) 1. *par. q.* 29. *art.* 4. *in corpore.*

sit, aut tale sit. Est autem ratio sufficiens *existentiæ*, *essentiæ*, *relationis* &c.

Scholion. Infinitum pene usum rationis sufficientis fecit nuper vir adprime doctus Gothofredus Leibnitius, quum in Theodicæa, tum in variis monumentis, quæ leguntur in Actis Lipsiensibus, & in responsionibus ad Samuelem Clarkium in opere Amstelodami an. 1740. Gallice edito (*a*). Quamquam videri potest hac in re temperantior Leibnitius si Wolfio comparetur, qui in octo tomis in 4. rerum Metaphysicarum meras crepat rationes sufficientes, plerumque sine ulla ratione sufficiente. At quod hujus axiomatis primus usum fecisse Leibnitius Wolfio dicatur, id vero est, in quo aut affectu decipitur, aut veterum Philosophorum, Platonis (*b*) potissimum & Aristotelis, & veterum Scholæ philosophorum, monumentorum imperitiam simulat.

LI. Principium vocant Philosophi, quod in se continet rationem sufficientem alterius rei. Quum autem hæc ratio esse possit, vel *exsistentiæ*, vel *essentiæ*, vel *ordinis*, vel *scientiæ*, hinc principia exsistentiæ, essentiæ, ordinis, scientiæ.

Scholion. Ex.g. Deus est primum, & liberum principium extrinsecum exsistentiæ mundi. Atomi, & vires motrices sunt principium intrinsecum mundi corporei. Principium ordinis est id, unde ordo aliquis pendet. Uti Scientiarum principia sunt quæ axiomata, seu certa pronunciata, dicuntur.

LII. Causa est principium activum & extrinsecum exsistentiæ alterius a se rei.

Scholion. Plurima Philosophi causarum genera dividunt: nam aliæ sunt *primæ*, aliæ *secundæ*, aliæ *immediatæ*, aliæ *mediatæ*, aliæ *proximæ*, aliæ *remotæ*, aliæ *adæquatæ*, aliæ *inadæquatæ*, aliæ *physicæ*, aliæ *morales*. Causa *prima* est, quæ quum sit æterna, ipsa se movet, nec ab altera aut pendet, aut determinatur, cujusmodi Deus. *Secunda* est, quæ quum æterna non sit, alterius prioris vi indiget, ut sit, & ut conservetur atque agat. *Immediata* est inter quam & effectum nulla est media: *Mediata* vero si alia intercedat. *Adæquata* est quæ sola totum effectum producit: *Inadæquata*, quæ non sola. *Physica* est,

 quæ

(a) *Recueil de diverses pieces sur la Philosophie, la Religion naturelle &c. Par Mr. Leibniz &c.*

(b) *Legatur Timæus.*

quæ actione se in effectum exserente agit; *moralis*, quæ præcepto, consilio, exemplo.

LIII. Fatum generatim est talis omnium mundi causarum & effectuum connexio, ut altera ab altera necessario pendeat, ita ut nulla in parte concatenatio abrumpi possit.

LIV. Quintuplex Fatum constitui potest, 1. Democriticum, 2. Peripateticum. 3. Stoicum. 4. Spinozisticum. 5. Muhammedanum. Sed sextum addi potest, mistum nempe ex divino & materiali, quod quia Platonici constituisse videntur, Platonicum dicere possumus.

Democriticum est ἀνάγκη ὑλική, necessitas & fatum materiæ: necessaria scilicet & bruta series effectuum, & causarum omnium ab æterno, non a Deo, sed ex necessitate naturæ materiæ ipsius nunquam interrupta fluens.

Scholion. Democriti sententia fuit, atomos & esse per se atque æternas, & æterno & necessario motu per inane infinitum percitas, necessariis, seu mechanicis quibusdam motus legibus, omnia conflare. Id illi erat & providentia, & fatum. Legatur Laertius *libro nono*, & Stobeus in Ecloga *Physica Capite oct.* Hoc fatum generatim tenuit Epicurus, aut saltem Lucretius, etsi videri velit, atomorum declinatione inducta, casum induxisse; qua de re inferius.

LV. Peripateticum est a Deo æterna & necessaria mundi procreatio.

Scholion. Ex Aristotele Deum ab æterno & necessario mundum procreavisse constat inter omnes. Vide Pererium de *communibus principiis*.

LVI. Fatum Stoicum est non ex materia, nec ex natura Dei per *essentialem emanationem*, sed a voluntate Dei necessaria & ineluctabilis rerum series. Hoc fatum πρόνοιαν providentiam vocant Stoici (*a*).

Scholion. Non ignoro de Stoicorum fato in diversa abire viros eruditos. Lipsius (ut mittam vetustiores) Stoicorum fatum idem esse cum providentia Christianorum opinatur (*b*). Scilicet noluisse Stoicos quidquam libertati divinæ contrarium Fato suo statuere, sed eo vocabulo immobilitatem, & *necessitatem moralem*, seu *hypotheticam*,

(a) *Vide Cicer. lib. 1. de nat. Deorum*, & *S. Aug. de Civit. lib.* v. *cap.* VIII.
(b) *In phys[...] [S]toica lib.* 1. *diss.* II.

cam, ut vocat Beatus Thomas, voluntatis divinæ significare voluisse. Contra Thomasius fatum Stoicorum merum esse Atheismum putat, idest fatum esse Spinozisticum, quod Stoici Deum quasi ex mente & corpore mundano conflatum docuerint, ac necessitati physicæ naturæ suæ subjectum (*a*). Ego quantum ex veterum Stoicorum libris colligere potui, non dubito, primum, quin Stoici Deum universorum auctorem effecerint. Deinde quin in Deo æternum quoque statuerint mundum intelligibilem. Tum quin crediderint Dei voluntate mundum illum mutari non posse, quod is immutabili Dei intelligentia contineretur. Præterea quin legibus mundi intelligibilis Dei voluntatem fecerint subjectam. Ad hæc quin omnia in hoc mundo eodem immutabili ordine provenire docuerint, quo in intelligibili continentur. Possem hæc plurimis veterum Stoicorum locis probare, sed legatur Seneca (*b*), & Tullius *de Fato*. Cæterum necessitati ne physicæ an morali, & in conservatione tantum, an etiam in procreatione rerum, Deum subjectum crediderint, id mihi liquidum non est. Agnosco ita locutos esse, ut physicæ quum in procreando, tum in conservando mundo necessitati Deum obnoxium putasse non pauci suspicarentur. Sed erat proculdubio in Stoicorum phrasi nescio quid emphatici, & poetici, quod alias observavi.

LVII. Fatum Spinozisticum est series eadem æterna & necessaria, sed quæ *emanatione essentiali* fluit ex natura Dei ab æterno, & necessario.

Scholion. Spinoza docet unam tantum dari substantiam (*c*) eamque æternam (*d*), & ex infinita cogitatione, & extensione conflatam (*e*), eamque esse Deum (*f*), alias vero res esse modificationes attributorum Dei (*g*), idest cogitationis & extensionis, easque fieri ex necessitate naturæ Dei (*h*); & solis naturæ divinæ Legibus (*i*), & necessario (*k*). Hæc doctrina ut longe differt a Stoica, ita


(a) *De Exustione mundi Stoica diss.* 13.
(b) *Qq. Natur. lib. 2. cap. 35. & 38. & de prov. cap. 5.*
(c) *Eth. pr. p. prop.* 5. (d) *Ibid. prop. 6.*
(e) *Part. 2. prop.* 1. & 2. (f) *Part. 1. prop.* 14.
(g) *In coroll. prop.* 25. *& alibi passim*.
(h) *Prop.* 16. (i) *Prop.* 17. (k) *ibid. prop.*

Aristotelicæ multa similia habere videtur. Itaque Baelius (*a*), & Walchius (*b*) Aristotelem præivisse Spinozæ censent. Sed de Spinozismo ante Spinozam legatur dissertatio Buddei.

I. Ex eadem officina impietatis, unde Spinozæ libelli, prodiit *ars ratiocinandi* nescio quo Kuffelæro authore. Is in eo quidem opusculo Logicam docere videri vult, sed, ut ego puto, Spinozismum, circumlitum licet, propagare. Ac principio Spinozam a teterrimo dogmate, Mundum esse Deum, velut ab impacta calumnia, defendere studet: sed tam deridiculis interpretationibus, ut me pudeat hujusmodi patroni. Tum Spinozæ præcipua dogmata, de Deo & Natura ita explicat, ut, quemadmodum ego puto, verbis discrepans, re cum Spinoza suo consentiat. Interim quum Author iste nec Philosophiæ sit imperitus, & Spinozæ familiaris, quem alium ei advocatum dare possumus? Audiamus ergo hunc, ut si & is causa excidat, nihil amplius teterrimo homini patrocinii supersit, desinantque stulti ejus admiratores clamare, minus ejus dogmata a nobis intelligi.

II. Oportet autem ut inde rem totam repetamus, unde & hic exorditur, idest paulo altius. Exorditur autem ab iis definitionibus, ex quibus totum videtur Spinozæ systema profluere. Explicat principio, quid sit *contineri in alio immediate*, *quid mediate*. Ait id contineri in alio immediate, quod ejus essentia comprehenditur, non quod ab illa profluit. Ita (nam hoc exemplo utitur) duo latera cujuscumque trianguli esse tertio majora, immediate in essentia trianguli continetur; *quod*, *scilicet*, inquit (*c*) *ad hanc proprietatem intelligendam non opus habeam considerare affectionem quamdam, qua mediante hanc proprietatem triangulum continet . . . . Eodem modo in essentia trianguli immediate continetur proprietas, quod tres ejus anguli sint duobus rectis æquales : item quod majus latus majorem angulum subtendit . . . . Si vero considero, quod uno trianguli latere, ut A C, producto versus D, externus angulus* DCB

(a) *In dict. art. Arist.*
(b) *De atheismo Arist. in parergis academicis pag.* 298.
(c) *Pag.* 100.




D C B utrolibet interno & opposito major est, tum dico hanc proprietatem non immediate, sed mediate in essentia trianguli contineri, quatenus scilicet ad hanc trianguli proprietatem intelligendam non sufficit triangulum simpliciter considerare ut triangulum, sed opus habeo considerare triangulum hoc vel illo modo affectum, nempe quatenus hic habet unum ex lateribus, puta A C productum, adeo ut hæc productio sit medium per quod cognosco hanc trianguli proprietatem, sine qua illam nullo modo cognoscere possem.... Rursus si consideremus rectam EF esse parallelam uni laterum, nempe ipsi A C, & inveniamus proprietatem hanc, quod latera B A, B C sint proportionaliter secta in E F, dicemus hanc proprietatem in essentia trianguli contineri mediante hac linea parallela, vel prout tali vel tali modo triangulum affectum, vel modificatum est.

III. Non male hæc quidem. Sed videamus utrum ad rem eam quadrent. Pergit itaque, ac expedire conatur, quid sit *το mundum in Deo contineri* (a): ait ea verba significare *modum quo Dei attributum aliquod certo ac determinato modo exprimit: seu nos jam concipere Deum non immediate & simpliciter, prout est Ens summe perfectum, omnesque perfectiones continens, sed nos cognoscere Deum certo atque determinato modo, seu mediate, mediante scilicet ejus operatione, qua Mundum produxit, & in se continet, & per opera sua, juxta illud*, CŒLI ENARRANT GLORIAM DEI. Nempe si recte accipio, Mundus ita mediate in Deo continetur, ut posterior illa trianguli proprietas in triangulo. Sed Kuffelærum rogaverim, ut missis ambagibus respondeat rotunde, mundus hic, cujus nos exigua sumus pars, Dei ne effectus est, ab eo distinctus & diversus, an Dei ipsius modificatio, idest unius æternæ substantiæ interior emanatio, ac proinde unius & ejusdem cum Deo substantiæ? Quo

(a) *Pag.* 102.

Quo modo, si scriptum sit, ex infinita linea nata esse infinita triangula, id ita ne intelliget, ut linea hæc sua vi ac potentia triangula illa produxerit, nihil ex se & natura sua in illa derivans, an vero ita ut ipsa sic se conformaverit, ut ex ea extiterint? Neque enim eodem modo in linea illa hæc triangula continentur, quum asseritur primum, quo, quum alterum dicitur. Primo scilicet modo *eminenter* tantum, altero etiam *formaliter*. Primo modo effectus sunt ejus lineæ: altero modificationes. Quid ergo Kuffelærus? Si posteriori modo concipit Mundum in Deo contineri, ac inde emanare, naturam rerum cum Deo ejus Creatore fœde perturbabit, quod is ipse exsecratur in Spinoza (*a*). Si priori, Spinozæ patrocinium deserat oro. Nam Spinoza sic perpetuo loquitur, ut Mundi partes attributorum Dei modificationes habeat. Obscura, ait, hæc esse. Quasi vero ignotum sit, has easdem positiones ex toto Spinozæ systemate sequi. Unam ille substantiam mundanam esse diserte scribit: hanc esse infinitam; hujus cetera esse emanationes & modificationes. Non video quid hæc obscuritatis habere possint.

IV. Torquetur scilicet Kuffelærus, ac iterum ad ambages redit. Nempe veretur palam proferre. Exemplo iterum utitur geometrico (*b*). *Consideretur*, inquit, *circulus* ABD, & notum *est, eum obtinere hanc inter ceteras proprietatem, ut quadratum quod fit ex recta, quæ ex qualibet circumferentiæ puncto perpendiculariter in diametrum dimittitur, æquale sit rectangulo, quod fit a segmentis diametri; ut in apposita figura, quadratum quod fit ex recta AC æquale est rectangulo, quod fit ex segmentis BC, & DC. Deinde hæc proprietas est ejus conditionis, ut ea posita, vel sublata, circulus ponatur, vel tolla-*



(a) *Pag.* 113. (b) *Pag.* 105.

tollatur (hæc non recte; sed quoniam nihil ad rem faciunt, missa facio): *& contra, posito vel ablato circulo, ea erit data, vel ablata. Ex quo discimus hanc proprietatem ad essentiam circuli pertinere, & consequenter quandiu circulus erit, tandiu proprietas ista in eo continebitur. Interim diligenter notandum est, quod licet hæc proprietas in essentia circuli contineatur, non tamen ad essentiam circuli pertinet, ut rectæ AC, BD in eo unquam ducantur, seu ut quadratum ex AC & rectangulum ex BC in* CD, *vel similia unquam construantur.*

V. Quorsum hæc evadent? *Jam, inquit, (a) conferamus nos cum debili hac nostra similitudine ad essentiam divinam; de qua omnes concedunt, eam esse tam amplæ extensionis, ut nihil in rerum natura sit, fuit, vel erit, quod ab ea non dependeat, seu ex ea non EMANET, hoc est, quod omnia, quæ sunt, in Deo sint, & quod nihil sine Deo nec esse nec concipi possit.* Kuffelæro dabunt omnes, ex Deo omnia *pendere; manare* vero ex Deo omnia, intrinseca scilicet emanatione, nemo unus. Nam quæ intrinsecus aliunde manant, ejusdem cum illo substantiæ, & naturæ sunt: Mundus autem ejusdem substantiæ, & naturæ cum Deo esse non potest. Sed pergit Kuffelærus *deinde quoque omnes concedunt, Essentiam divinam & esse, & fuisse, & fore semper immutabilem, hoc est nihil unquam posse ad eam accedere, vel ab ea decedere.* Et hoc omnes dant, atque inde conficiunt perspicue, nihil, quod mutabile sit, & contingens, ad divinam Essentiam pertinere posse. Jam concludit: *Quibus præmissis, sequitur, Mundum in statu, in quo est, dependere a Deo* (nempe extrinsece, velut a causa procreatrice & conservatrice Mundum pendere a Deo, id tandem conficitur ex præmissis, non id, quo evadere vult Kuffelærus) *est, quod contineatur in Essentia divina æque fere ac æqualitas inter quadratum ex AC, & rectangulum ex BC & CD continetur in essentia circuli* BAD. Vereor ne æquo justius hoc geometrico exemplo abutatur personatus homo. Addit enim, *& quemadmodum illa æqualitas semper in circulo contenta fuit, & erit, licet rectæ memoratæ nunquam ductæ fuissent; eodem fere modo essentia mundi ab omni æternitate in Deo fuit contenta, & ex ea emanavit, atque in æternum in eo continebitur.* Proprie-

tas

(a) *Pag.* 106.

tas illa trianguli *eminenter* tantum in triangulo continetur, non *formaliter*. Nihil vetat eodem modo asserere, essentiam mundi *intelligibiliter* tantum & *eminenter* in Deo contineri: ac ita revera continetur. Sed non id est, nisi toto Cælo aberro, quod sibi vult Kuffelærus. Scilicet hunc in modum prosequitur: *Denique quemadmodum ad esfentiam hujus æqualitatis non pertinet, ut linea perpendicularis unquam de facto in diametrum dimittatur.... eodem ferme modo esfentia mundi fuit ab omni æternitate in esfentia Dei contenta, licet exsistentia Mundi ad esfentiam mundi nullo modo pertineat.* Quam hic Mundi esfentiam commemorat? Intelligibilem? Nemo ei refragabitur. Sed quid hæc ad Spinozæ defensionem? De *Mundo* enim *reali* cum illo disceptamus. Quid quod non satis sibi Author iste constat? Nam de æternitate Mundi realis disputare occeperat (*a*); nunc ad intelligibilem & idealem deflectit. Id certe est perditam causam tergiversari.

VI. Sed novum præsidium in distinctione inter *Esfentiam* & *Exsistentiam* sibi reperiisse visus est. *Nam*, inquit, (*b*) *distinctionem inter rerum esfentiam atque exsistentiam puto abunde satis sufficere ad tollendam confusionem inter res creatas, seu a Deo dependentes, & earum Creatorem.* Scilicet Mundus realis ad Dei esfentiam non pertinet. Ejus opus est. Præterea ne ejus quidem exsistentia ad esfentiam mundi intelligibilis ullo pacto pertinet. Sed distinguendum erat inter esfentiam mundi facti, & esfentiam mundi intelligibilis. Hæc in Dei esfentia est, atque ad Dei esfentiam pertinet, non item illa. Quocirca quid sibi vult Kuffelærus? Per se mundus hic realis secundum suam essentiam factam constat, an modificatio est Dei? Negare posterius debet, quando hic a Deo distinctus est. Ex quo sequitur ut nullum sit in ea distinctione præsidium, quo suum Spinozam tutari possit. Quid igitur Spinozæ faciemus, qui affirmat, entia mundana modificationes esse attributorum Dei? Hic ipse patronus sancte clamat, *si ita, ut verba sonant, Spinoza intelligat, jure memoriam ejus in omne ævum exsecrandam esse* (*c*). Quasi vero tergiversationi sit locus. Sed quoniam is suspicatur, aliam fortassis notionem in Spinozæ verbis contineri, quam quæ vulgo illis tribuitur, audiamus integram defensionem.

VII.

(a) *Pag.* 105. (b) *Pag.* 107. 108. (c) *Pag.* 113.

VII. Nempe, prosequitur (*a*) *ut exprimam quem puto horum Scriptorum genuinum sensum esse, judico rationem, quare dictus Philosophus tam obscure & dure se explicuit, petendam esse ab imbecillitate mentis humanæ. Voluit enim noster Philosophus de Deo descendere ad mentem nostram, qui descensus videtur a nobis esse incomprehensibilis: immo & verba etiam delicatissima deficiunt ad hunc descensum debite exprimendum, nisi nos prius præsupponamus gradus quosdam idoneos, per quos talis descensus fieri potest. In hunc itaque finem præsupponamus nos esse aliquid, nobisque adesse internam quamdam conscientiam & Dei ideam: nosque res posse concipere duobus modis, scilicet vel conceptu primario, vel conceptu secundario. Et rem conceptam conceptu primario vocemus Deum: & secundario conceptu conceptas res vocemus res particulares, seu a Deo productas. Quibus ita positis, ordine contrario, ac fecit noster Philosophus, ascendemus per hos gradus ad Deum, deinde a Deo descendamus iterum ad res particulares extra nos positas. Jam quia noster Philosophus modum vocat ens quod est in alio, & quod non potest concipi, nisi per illud aliud, in quo est, si hoc conferatur cum iis, quæ superius diximus, apparet, quod ille modum rei vocavit idem illud, quod a nobis vocatur conceptus secundarius .... Unde quando ad quæstionem, quid sit Mundus, vel hæc, aut illa res particularis, noster Philosophus respondet, eas esse Dei affectiones seu modificationes, quibus Deus certo ac determinato modo exprimitur ..... Quid quæso his verbis aliud dicit, quam si ego ad eandem quæstionem respondendo dicerem, illas esse res, quas ego concipio conceptu secundario, hoc est esse tales res, quæ sunt in Deo, & quæ sine Deo nec esse, nec concipi possunt: quæ a Deo dependent, & quarum unica & sola causa efficiens est Deus.*

VIII. Tota hæc Kuffelæri peroratio huc redit, Spinozam vocare modificationes attributorum Dei res mundanas, non prout sunt factæ, sed prout sunt ideales, seu, quod perinde est, his loquendi modis, non mundum hunc, quem incolimus, cujusque sumus partes, sed æternum illum & intelligibilem mente divina comprehensum, intelligere. Sed næ tu maximas nugas agis Kuffelære! Unam qui substantiam realem constituit: qui duo esse præcipua ejus attributa, extensionem & cogitationem, pluries fatetur:

(*a*) *Pag.* 114.

tur: qui corpora omnia hujus extensionis modificationes, mentes vero cogitationis diserte dicit: hunc tu de conceptibus potius, quam de mundo reali, disserere ais? Ain tu vero? Nempe perbella est hæc patrocinandi via. Quid si quis hominem criminatus, atque eam ob rem in jus vocatus, se lunarem hominem calumniatum respondeat? Itaque mitto librum, cujus jam me pœnitet.

LVIII. Fatum Muhammedanum est absoluta & immutabilis rerum omnium prædestinatio ac præordinatio, in Deo quidem libera, in rerum serie necessaria.

Schol. Vide Relandi *Catechesim*.

LIX. Providentia est rerum mundi omnium præscientia & præordinatio, immutabilis quidem, sed quum in sui origine, tum in ea parte rerum, quæ ratione utuntur, libera.

Schol. Quod hoc in loco observent Lectores moneo, est, harum serierum unam regnare necesse esse: id enim binis verbis demonstrari potest. Nam perspicuum est, & *nihil fieri sine caussa*, &, *non posse ex quolibet fieri quodlibet*: ex quibus conficitur esse caussarum omnium & effectuum certam, constantem, & continuatam seriem; ut ut idcirco merus purusque casus, qualem in Epicuri Secta quidam deprehendisse sibi visi sunt, sit omnino impossibilis, quum respectu totius universi, tum partis cujuslibet. Hanc seriem esse Christianam providentiam, loco suo demonstrabitur.

LX. Sed est, ut dixi, quintum Fati genus, quod ex duplici constat velut intermisto, *divino*, & *materiali*, quod Gentilium Philosophorum nobiliores, ipsi in primis Platonici, docuere, ut pluribus ostendit Cudwortus (*a*). Nempe Plato etiamsi intelligeret, cuncta a Deo administrari, quum tamen videret mala plurima in mundo obtinere, in eam inductus est opinionem, e natura ipsa materiæ anima quadam tumultuante animatæ, fieri, ne omnia adamussim ad divinas ideas exprimantur. Vide quæ ea de re plurimis commentatur eruditus Mosshemius ad eum Cudworthi locum. Platonicum hoc Fatum appellamus.

Schol. Cudworthus eodem in loco memorat & quosdam etiam veteres fuisse Christianos, qui, ut Plato, itidem e materia originem malorum deduxerint. Nempe ii, qui ex

(a) *Syst. intell. cap.* 4. §. 13.

ex gentili Philosophia magis sciverunt, quam ex divinis literis, quales in primis Arnobius, & Lactantius.

LXI. Conservatio est perennis vis, qua vetatur ne res pereat.

Schol. Quum Theologi Christiani de conservatione rerum agunt, eam dicunt perennem actionem, qua tota rerum natura pervaditur, ac eamdem ipsam, qua primum res sunt factæ. *Occulto instinctu omnia moveri & gubernari* dicit Greg. in 12. *moralium*. Occultum autem hunc instinctum ipsam illam Dei actionem vocat B. Thom. qua primum res esse cœperunt. *Conservatio* (*inquit p.* 1. *q.* 104. *art.* 1. *ad* 4.) *rerum a Deo non est per aliquam novam actionem; sed per continuationem actionis, quæ dat esse.* Ac utitur etiam exemplo luminis solis. *Sic se habet omnis creatura ad Deum, sicut aer ad solem illuminantem. Sicut si sol est lucens per suam naturam, aer autem fit luminosus participando lumen a sole, non tamen participando naturam solis: ita solus Deus est per essentiam suam, quia ejus esse est suum esse; omnis autem creatura est ens participative, non quod sua essentia sit suum esse.*

LXII. Casus proprie est, quum res fiunt nulla præscientia, nulla providentia, nulloque ordine, atque fine, neque ex certis atque statis causis.

Schol. Non solum igitur a Casu excludenda est omnis providentia, sed omnis quoque ordo rerum, quæ fiunt, finis præterea, & causarum postremo certitudo. Nam si providentiæ tantum defectus adsit, nisi certus ordo causarum quoque tollatur, Fatum erit potius, quam Casus. Quæ quum vera sint, qui *purum Casum* in Epicuri Philosophia sibi invenisse videntur, in primis Cicero, nisi fortassis atomorum declinationem intellexerint, quæ ita invecta videtur, ut unde nascatur intelligi nequeat, longe sunt ii hallucinati. Sustulit quidem Epicurus providentiam, at non ordinem, & seriem causarum, quæ *certis naturæ fœderibus*, ut vocat Lucretius, ad Mundos conficiendos, aut dissolvendos convenirent. Itaque Natura illa *creatrix* & *dædala rerum* Lucretiana, si acri judicio perpendatur, Fatum idem Democriti est. Huc pertinet & illud, *certum ac dispositum est, ubi quicquid crescat & insit* (a). Qui igitur purum casum docuerit, quod sciam, nullus fuit.

LXIII.

(a) *Luc. lib.* 1.

LXIII. Finis est ratio libertatem ad agendum potius, quam non agendum inflectens.

Schol. Vulgo definiunt, id cujus gratia aliquid fit. Jam ratio illa libertatem inflectens menti intrinseca esse debet, ut patet. Inde illud est scholarum dictatum, *finem in intentione quidem esse primum*, *sed in exsecutione postremum*. Quum vero apud homines ut plurimum ea ratio sit amor, atque desiderium alicujus externæ rei, inde factum est, ut rem hanc externam, cujus amore aliquid ageremus, finem appellaverint Philosophi, quæ tantum esse *finis* objectum potest. Sed & *finium* partitiones sæpe ineptas vulgares isti Philosophi dederunt, ut quod finis vel sit *operantis*, vel *operis*, vel *cujus*, vel *cui*, vel *ultimus*, vel *intermedius*. Nam finis esse tantum *operantis* potest, & quidem operantis ex libertate: & finis proprie non est, nisi unus & solus ultimus, *mediique*, qui vocantur, fines non sunt, sed ordinis media. Ceterum quod dicitur, causas omnes operari propter finem, id ita intelligendum est, ut causæ ad effectus suos, aut causæ ad causas natura ordinentur, itaut in hoc universo sint causarum ordo & series sapientissime instituta. Qua in re deridiculus mihi videtur Spinoza, qui quum has causarum series statuat, in *Appendice* ad primam Ethicæ partem nos ridet, qui fines harum rerum doceamus. Quod vero idem fines causarum intelligentium, in primis Dei, negat, id quale sit, alias. Tandem quum dicitur, finium investigationem propriam esse Philosophi, intelligendum ita, ut nihil æque nos ad causarum cognitionem ducat, quam earum & effectus, & ordo. At quod contendunt Derham, Niewentit, Fabricius, Lesserus, ex finibus rerum mundi hujus, idest ut ego interpretor, ex ordine causarum, naturam Dei adversus Atheos adseri, id, eorum pace, aptum non est, nisi Fatum corporeum in antecessum evertatur. Nam quum Athei, si probe animadvertatur, aut nulli sint, aut ii tantum, qui Fatum Spinozisticum, vel Democriticum statuunt; & in horum systemate causarum ordo ac concatenatio, idest rerum Naturæ fines, primum sit Atheismi fulcrum; non rite neque valide ex concatenatione causarum Atheos istos confutaveris, nisi eadem opera iis demonstretur, concatenationem istam nec necessariam esse, nec æternam, adeoque a libera primæ universi causæ voluntate pendere. Enimvero, quod vir acutus, & politus Benedictus Pererius

in

in lib. VIII. *de communibus principiis cap.* 6. scribit, *certum, & indubium esse, quidquid habet causam efficientem, etiam habere finem, propter quem fit, quod quidquid efficitur, alicujus gratia semper efficiatur*, id esse verum nequit, nisi in antecessum ponas, a Deo summa ratione ac libertate omnia fieri, quod ponere non possunt, qui ex finibus Deum esse demonstrare aggrediuntur. Atque inde factum est, ut ego hoc argumento noluerim uti, nisi in *Tertia parte*, postquam scilicet Fatalistas confutaverim *in prima*.

CAP. VII.

De Spatio, Infinito, Duratione & Motu.

LXIV. VOcamus *extensum* quodcunque aut in longum, aut in latum, aut in profundum patet: *Spatium* vero quod tripliciter, longe, late, profunde extensum est.

Schol. Notionem spatii oculis, & tactu percipi vix probatione eget. Illud tantum observandum, notionem spatii, quam sensibus percipimus, notionem esse spatii corporei. Quum autem veteres quidam atque recentiores Philosophi, præter materiam, spatium quoddam immensum, incorporeum esse putent, ejus certe notio, ut idem monet Lucretius, non sensu, sed *sagaci ratione* comparatur: est enim notio abstracta, quemadmodum *Lineæ*, & *Superficiei* apud Geometras, quæ esse potest, etiamsi spatium illud incorporeum non exsistat. Samuel Clarkius in Tractatione de *Exsistentia* & *Attributis Dei* opinari videtur *ideam spatii infiniti innatam esse*. Quod si ita intelligit, quemadmodum Epicurei, & Stoici notiones innatas vocabant, aut quas primum sensus, nulla aliorum institutione, referunt; aut ad quas percipiendas ipsa rerum natura ducimur omnes; non refragamur: contra vero, si notionem istam animæ ita insculptam putat, ut Cartesiani quidam, aut potius Platonici, ideas innatas accipiunt.

LXV. *Soliditas* Philosophis est ea extensi qualitas, qua fit ut una ejus pars alteri, ne eumdem locum occupet, resistit. Antitypian Græci vocant, & significantius: est enim activa vis qua extensi partes sibi mutuo resistunt,

quo minus compenetrentur. Itaque ex *soliditate*, seu antitypia, nascitur *impenetrabilitas*.

Schol. Soliditatis idea solo tactu nobis acquiritur. Quamobrem si tactu careremus, oculis interim essemus ornati, extensionem quidem perciperemus, soliditatem vero nullo modo. In speculis concavis videre est pendulas corporum imagines, quæ tamen non sunt comprehensibiles; ut si nihil aliud, nisi hujusmodi extensiones cognosceremus, soliditatis nullam haberemus notionem. Ergo soliditas nobis est qualitas relativa, non absoluta, idest non intelligitur, nisi respectu aliorum corporum, aut partium corporum, quod apprime observandum. Itaque si detur materia tam tenuis, ut corporibus omnibus sit obvia, qualis æther Cartesianorum, ea erit vacua crassiorum corporum respectu. Quocirca tametsi in vacuo Boyleano sit materia quædam subtilissima, uti lumen, cui vacuum illud pervium est, ostendit; tamen quum hæc respectu crassiorum corporum non differat a vacua; quippe nullam habet eorum respectu soliditatem; omnia experimenta, quæ a Philosophis fiunt in hoc loco, haberi possunt tanquam in puro vacuo facta: nam infinite parva negligit Physicus. Impenetrabilitatem esse vim *resistentiæ infinitæ* docent recentes Physici. Id vero ita capiendum, ut nulla naturæ vi superari possit: alioquin certum est nullam esse posse in rebus contingentibus vim infinitam, nec *absolute*, nec respectu Dei.

LXVI. *Penetratio* duorum extensorum est quum ita unius extensi partes sunt in partibus alterius, ut nulla unius sit extra alteram alterius, duoque illa extensa tantum occupent loci, quantum unum.

Schol. Duo pedes cubici compenetrantur, quum nulla est unius pedis pars, quæ non sit in altera sibi æquali alterius pedis, ac ambo tantum occupant spatii, quantum unus tantum occuparet. Quare idea penetrationis diversa est ab idea commixtionis: penetratione moles non crescit, quæ commixtione crescat necesse est.

LXVII. *Materia*, ut placet Lokio, est tota extensio solida: corpus vero materiæ portio aliqua divisibilis. Nobis materia sunt *Elementa* corporum: corpora sunt composita ex illa materia.

Schol. Apud vetustos Philosophos ὕλη *materia* non res extensa & solida, ut hodie in usu est, sed aut corporum

ele-

elementa significavit; ut ex Aristotelis, Platonis, Plutarchi, Sexti Empirici, aliorumque plurimis locis demonstrare possemus, si id esset opus: aut immensam & continuam extensionem, minime illam sensibilem & comprehensibilem, quomodo a Platone & Aristotele accipiebatur. Vide Stobeum *Ecloga Physic. cap.* 14., & Moshemium ad Cudworthum *Systematis intellectualis cap.* 1. §. 40. *Not.* 2. Quod est observandum diligenter dum Philosophia Ethnica confutatur. Nam nostrorum permulti Gentilibus imponunt, dum generatim eos *corpora æterna* statuisse docent: ponebant enim illorum plerique non corpora, sed corporum materiam, quæcumque ea sit, æternam. Jam vero, ut id per transennam dicam, quum vetustissima esset traditio, Poetis Theologis passim commemorata, cuncta ex Chao enata fuisse, Chaos vero iis esset extensio fluida & incomposita: inde factum est, ut Græcis rerum materia ὑλη quasi *fluens* dicta sit. Sed hæc alias. Jam vero manifesto impietatem suam prodit Spinoza, dum corpus definit, *per corpus intelligo modum, qui Dei essentiam, quatenus ut res extensa consideratur, certo & determinato modo exprimit*.

LXVIII. *Inane*, seu vacuum, vocant Epicurei, immensam undequaque, immobilem, & indivisibilem extensionem, nec solidam, nec ullo modo sensibus perviam, nihil agentem, nihil patientem, locum dumtaxat Entium.

Schol. Magna veterum Philosophorum consensione, ut Raphson ostendit, spatium hoc statutum est. Apud Recentiores, Cartesiani, & Leibnitiani quam acerrime illud oppugnarunt, posuerunt vero Patritius, Gassendus, Galilæus, Morus, Newtonus, Clarkius, Gravesandius, Musschembroekius, aliique non pauci.

LXIX. *Infinitum* Philosophi appellant, quod omni fine caret. Est vocabulum negans, cujusmodi vocabulorum quænam sit natura, superius dictum est (*a*).

Schol. Notionem *infinitatis* ad tria proprie referri ex ideis nobis naturalibus *durationem*, *spatium*, & *numerum*, observatum Lokio (*b*). Sane *infinitatem* atque *finitionem* iis proprie rebus tribuimus, quæ & quantæ concipiuntur, & quarum majorem ac minorem partem con-

 cipere

(a) *Consulat. Schol. def.* 3. (b) *Lib.* 2. *cap.* XVII. *ubi ex instituto de infinitatis notione disserit*.

cipere possumus, quod tantum in *duratione*, *spatio*, *numero* obtinet. Ex his porro Infinitatis notio ad alia allegorice transfertur, cujusmodi sunt *potentia*, *sapientia*, *perfectio*, *pulchritudo* & similia: 2. Spinoza in Ethica (*a*) rem infinitam vocat, *quæ alia ejusdem naturæ terminari nequit:* quæ definitio & obscura est, & inepta, maxime si ad eas res, ad quas ille, referamus, cogitationem potissimum & potentiam. Quis enim intelliget, quid sit, cogitationem unam alia terminari? Pervideo tamen quid ille voluit dicere; nempe eam rem esse infinitam, quæ augeri nequeat alia re ejusdem naturæ. Ita extensio est infinita, si nulla alia extensione major fieri potest. Nec negare possumus quin hac nos ratione res quasdam infinitas dicamus. Certe hoc modo infinitum dicunt Geometræ.

Thomas Hobbesius (*b*) notionem infiniti esse *relativam* putat, idest eas nos res dicere infinitas, quarum omnem aut extensionem, aut perfectionem non comprehendimus. *Quando enim dicimus*, inquit, *aliquid esse infinitum, non aliquid in re significamus, sed impotentiam in animo nostro, tanquam si diceremus, nescire nos, an, & ubi terminetur.* Similia scribit Huetius in *Censura philosophiæ Cartesianæ*. Quæ doctrina omnino falsa est; nam præter hoc, de quo is disputat, *infinitum relativum*, est & aliquid *absolute infinitum*, quod etiamsi comprehendi a nobis non potest, esse tamen clarissime demonstratur. Quocirca statuendum est, aliud esse *infinitum absolutum*, aliud *relativum:* & illud esse quod in suo genere & natura amplius augeri non potest; hoc, quod licet possit, intelligi tamen a nobis nequit.

LXX. *Durationem* vocamus *continuatam entis alicujus exsistentiam*. Eam in *absolutam*, & *relativam* partimur: & illam vocamus ipsam continuatam exsistentiam, nulla ad alias res aut rerum motum relatione definitam: hanc appellamus, quam ex relatione ad alias res metimur.

Schol. Cum *notione durationis* conjuncta est *successionis quædam notio*. Vulgo putant, durationem esse ens a rebus omnibus, quæ exsistunt, distinctum, *successivum* tamen, non permanens, tale nempe, cujus partes nunquam omnes

(a) *Part.* 1. *def.* 2.
(b) *De Cive cap.* 15. §. 14. *quod repetit in Leviathane.*

omnes simul exsistunt, sed alias aliis succedunt, quemadmodum in fluminis alicujus perenni cursu. Sed qui ita ratiocinantur, longe sane a veritate aberrant. Ejus autem erroris origo petenda est a ratione, & modo, quo durationem concipimus. Nimirum eas res durare credimus, quæ pluribus nostris perceptionibus, quarum aliæ aliis succedunt, coexsistere intelliguntur (*a*). Quocirca qui hanc perceptionum successionem non advertunt, cujusmodi qui dormiunt profundissime; aut qui in una idea hærent animo defixi, rerum durationes non percipiunt, facileque judicant ab initio ex. g. somni ad extremum, seu vigiliæ initium, nihil durationis effluxisse, si id aliis argumentis nequeant rescire (*b*). Præterea assueti sumus durationem motu metiri: inde quoque fit, ut quemadmodum in motu successionem observamus, ita in duratione eandem esse partium successionem putemus. Quæ quum sint, patet non rite definiri a Platonicis tempus, *mensuram motus*: quippe etiamsi nullus sit in natura motus, dum res sunt, quæ durant, tempus est.

LXXI. Duas in *duratione* successiones distinguere possumus, *Metaphysicam*, & *Physicam*. Priorem voco ipsam continuatam exsistentiam, quæ vel successione perceptionum, vel motionis alicujus corporis, dimetiri utcumque possit: posteriorem appello successionem statuam in re durante, qualis cernitur in hoc universo, in quo alia quidem entia generantur, alia intereunt, aut in mente humana, quæ continuæ perceptionum, & voluntatum successioni subjecta est. Quum hæc duo successionum genera non distinxissent Metaphysici, acerrime ea de re concertarunt, an *ulla esset in æternitate successio*: quæ quæstio unius vocabuli definitione penitus evanescit.

LXXII. Durationis tria facimus genera: sunt autem *sempiternitas*, *æternitas*, & *tempus*. *Sempiternitas* est duratio entis, cujus exsistentiæ neque initium fuit, neque finis ullus futurus est. *Æternitas* est duratio entis, cujus exsistentiæ origo quidem est, sed nullus futurus est finis. *Tempus* est duratio entis, quod & originem habuit, & finem est habiturum. Cæterum *sempiternitas*, & *æternitas* etiam a nobis, ubi acri illa distinctione opus non est, miscebuntur.

(a) *Ita rem explicat Aristoteles in 4. Physicorum libro.*
(b) *Lokius lib. 2. cap. 14. §. 3. & 4.*

Schol. Illud animadvertendum, Latinos plerumque æternum vocare longum aliquod tempus, ut totum vitæ tempus ad mortem usque. Ita Chæreas ille Terentianus (*a*) *At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam fore Thais*.,, Idem Græci vocabulis αἰὼν, & αἰὲν ἐόντες, quæ rem perpetuo existentem ex originatione notant: nam Homerus ea ἐπίθετα, nedum Diis minoribus, & Cæli, Saturni, Jovis filiis, sed adscititiis quoque, idest per apotheosim factis, passim tribuit. Obtinet idipsum apud Hebræos in vocabulis *Kedem*, quod vertunt *antiquitatem*, atque *hedbh* vel *bhadh bhbolam* quod æternitatem quoque, & sæculum interpretantur. Nimirum his vocabulis plerumque longum aliquot, & minime definitum tempus significatur. Quæ observatio Criticæ quidem propria est, sed ab hoc loco non aliena.

LXXIII. Locum vocant Philosophi partem aliquam *extensionis* universi, aut *immobilem*, aut quæ tanquam immobilis spectatur, cum relatione ad corpora, quæ ea parte comprehenduntur.

Schol. In hac definitione non satis inter se convenit Philosophis. Nam qui spatium vacuum esse putant, quum illud statuant immensum, immobile, & eorum, quæ sunt, primum fundamentum, locum appellant partem aliquam spatii hujus universi (*b*). At qui spatium illud pernegant, locum appellant *intrinsecum* quidem ipsam rei extensionem, *extrinsecum* vero superficiem illam, qua extensio rei ab aliis corporibus circumambitur (*c*), quæque tanquam immobilis spectatur. Jam quum mentes sint *substantiæ* prorsus inextensæ, inde natum est perridiculum illud, eas existere quidem, sed nullibi, unde & *nullibisti* barbaro vocabulo dicti (*d*). Quod si vocabulo *nullibi* id intelligunt, quod Scholæ ajunt, mentes non circumscribere locum, non rite eo utuntur: nam quod nullibi est, nec circumscribit locum, nec definit.

LXXIV. Motus est qualiscumque actio, qua *ens* de loco extrinseco in locum extrinsecum transfertur.

Schol. Nihil heic moror pueriles quæstiones, quas circa hanc definitionem movere Cartesiani quidam solent: ineptæ

(a) *In Eunucho Act.*v. *Sc.* 2. *v.*32. (b) *Patricius Pancosmiæ lib.* 1. (c) *Cartesius part.* 1. *Princip.* & *Sylvanus Regis in Physica Cartesii. Vid. Berigard. Circ. Pis.*
(d) *Morus part.* 1. *Ench. cap.* 37.

ptæ enim sunt, gravitate Philosophorum indignæ, & sophisticam sapiunt. Nihil enim probant aliud, nisi nos motum ex relatione corporum adjacentium percipere, absolutum vero nullo modo percipere posse, quod ultro fatemur. Nam quod Cartesius motum definierit, *translationem corporis ex vicinia eorum corporum, quæ immobiliter continentur, & tanquam quiescentia spectantur*, id quale sit Cartesiani viderint. Subterfugium id fuisse summa calliditate quæsitum, ne videretur Terræ motum statuere, quem Ecclesiæ decreto Galilæus noster ejuraverat, scripsit Johannes Clericus. Jam vero, qua ratione corpus, ejusque partes omnes actione motus afficiantur, & qua ratione actio motus de subjecto in subjectum transferatur, id vero est quod fortassis ignoramus (*a*).

CAP. VIII.

De Perfectione, Veritate, Bonitate, Similitudine, Ordine, Proportione, Pulchritudine.

LXXV. RES *perfecta* dicitur, quæ plene facta est, ut nihil ei addi, nihil demi possit. Hac significatione relationem habet ad *Artem*. Itaque perfectio est aut *humana*, aut *naturæ*, seu *divina*. Illa est, cui nihil ars humana reliquum habet, quod addat: hæc, cui nihil reliquum est, quod divina arte addatur. Sed quum quicquid fit, ob finem aliquem fiat, seu ab homine, seu a Deo; inde fit, ut sæpe ex fine cujusque rei perfectio æstimetur. Quare ea res dicitur perfecta, quæ ita facta est, ut nihil ei desit, quo fini suo respondeat: imperfecta contra, cui, quo finem suum assequatur, aliquid deest. Atque hac notione disputatur, perfecta, necne sint artium humanarum opera, aut naturæ res. Sed earum quæstionum solutio a duobus pendet 1. ut rerum earum fines probe intelligantur: 2. ut plene earum cum iis finibus congruentia comprehendatur. Hæc notio naturam divinam non attingit. Hæc perfectio dicitur *perfectio finis*.

LXXVI. Jam vocabulum *Perfectio* sumitur etiam pro rei entitate: ac ita dicuntur res magis aut minus perfectæ,

 prout

(a) *Belius in Dictionario Art. Pyrrh. & Peretius de communib. princip. lib.* XVII. *cap.* 4. & 5.

prout majorem aut minorem entitatem habent; atque hæc notio metaphysica est. Illud vero est, quod non videtur satis intelligi, quid istuc sit, res habere majorem, aut minorem entitatem. In eam sententiam hoc vocabulum sumi apud plerosque lego, ut ea dicantur habere majorem entitatem, quæ minus *contingenter* exsistunt; minorem, quæ magis: minus porro contingenter exsistere ajunt, quæ nec generantur, nec corrumpuntur, & inter hæc, quæ majori attributorum numero, aut iisdem, sed intensioribus, prædita sunt; cujusmodi sunt *substantiæ simplices*; & inter spiritus, intelligentiores: magis vero contingenter exsistere ea, quæ generantur, & corrumpuntur, velut corpora. Hanc dicemus *perfectionem entitatis*.

Schol. Quibus ex rebus intelligitur, quid sit, quod dicitur, domum, navim, arma, picturam, sculpturam, ac alia artium humanarum opera esse perfecta, aut minus perfecta: nempe cum ad earum fines eas res comparamus. Tum naturæ res, plantam, animantia bruta, homines, rerum ordines, cetera perfecta esse, aut minus perfecta: scilicet ad entitatem, & naturæ fines eas contendimus. Item quid sit, mentes esse corporibus perfectiores, aut mentes aliis mentibus: hic solam entitatem spectamus. Sed quid significare volumus, quum dicimus Deum esse perfectissimum? Nempe utrumque, ut scilicet nihil ei desit, quo sit quidquid esse potest; & ut necessario exsistat.

In ea ergo quæstione, Deus potueritne creare homines perfectiores, aut perfectiorem mundum, nemo esse intricatus potest: nam *fine*, & *ordine* non potuit: *entitate* potuit.

LXXVII. Quæ perfectio inest in re a natura, *naturalis* appellatur: quæ ab arte, *artificialis*.

Schol. Hujus divisionis non ea est ratio, ut putemus cum Philosophorum vulgo, *naturam ab arte perfici posse*; nam pronuntiatum istud, si ita intelligatur, ut sonat, providentiam evertit, Deoque est injurium: sed tantum duas ob causas; quarum prior est, ut habeamus vocabula definita, dum vulgaria præjudicia confutamus: altera, ut opera, & fines artis, ab operibus, & finibus naturæ distinguamus.

LXXVIII. Infinite perfectum dupliciter dicunt Scholæ, *intensive*, & *extensive*. *Extensive* quidem ita, ut nulla sit possibilis perfectio, quæ in re illa non insit. *Intensive* autem ita, ut nulla ejus perfectio in genere suo, ac *entitative*, ut ajunt, augeri amplius possit.

Scho-

Scholion. Intelligitur autem ita, ut perfectiones illæ sibi non adversentur, alioquin Deum Spinozisticum efficiemus: nam Spinoza quum hanc substantiæ infinitæ notionem sibi efformasset, ut eam vellet ex infinitis numero attributis conflatam, quorum unumquodlibet in suo genere infinitam haberet *entitatem*, idest *intensive* infinitum esset; conclusit materiam esse Dei attributum. Sunt quidam qui hoc nomine descriptionem Dei ab Arnobio prolatam reprehendunt: ea est hujusmodi. *Prima enim tu* (Deus) *causa es*, *locus rerum*, *spatium*, *fundamentum cunctorum quæcumque sunt*, *infinitus*, *ingenitus*, *immortalis*, *perpetuus*, *solus*; *quem nulla delineat forma corporalis*, *nulla determinat circumscriptio qualitatis*, *expers quantitatis*, *sine situ*, *motu*, *& habitu* (a): quod vero *locus*, & *spatium* cum Dei simplicissima natura non bene consentiat. Sed animadvertendum erat, Arnobium, ut & veteres alios Theologos loqui *emphatice*, nec eo sensu, quo nuper quidam Philosophi extensionem realem Deo tribuerunt; de qua re alias.

LXXIX. *Veritas* est aut *Naturalis*, aut *Moralis*, aut *Logica*. Illa, quam Metaphysicam quoque appellant, est ipsa *rerum* natura atque essentia facta ideæ suæ æternæ, seu essentiæ archetypæ intelligibili congruens. *Moralis* est congruentia externorum signorum cum notionibus animi, eique opponitur mendacium. *Logica* tandem est congruentia essentiarum *notionalium* atque *nominalium* cum realibus. *Objectivam* intelligo: nam *formalis* est congruentia judiciorum cum ideis ipsis, quibus judicia continentur, quæ nequit non in omnibus judiciis inesse, modo ne præcipites simus in judicando, neve ideas obscuras, ac confusas copulare velimus: quandoquidem fieri non potest ut judicia ideis, quibus continentur, & ex quarum intellectione nascuntur, minime respondeant; id enim esset ideas sibimet ipsas non respondere, quod est ἀδύνατον.

LXXX. Bonum aut *absolute*, aut *relative* dici solet. Illud continetur ipsa *entitate* rei, idest ipsis rei proprietatibus, earumque præstantia: hoc vero est id omne, quo bonum rei absolutum, aut conservatur & perficitur, aut conservari & perfici potest. Ita bona, quæ fortunæ dicimus in se quidem spectata, bona absoluta sunt; si vero ad nos referantur,

(a) *Arnob. lib. 1. adv. Gent.*

tur, bona & mala esse possunt (1). Jam vero malum absolutum nec est in natura ullum, nec fingi potest: ut malum relativum dicitur, quodcunque bono alicui adversatur.

Schol. Sunt qui putant Manichæos, & vetustiores aliquot Philosophos, quos Plutarchus de Iside, & Osiride recenset, Principio illo malorum, rem quandam statuisse suapte natura malam, idest *malam absolute*, quod verum non est. Tantum docuerunt, malis mentem illam gaudere, at nunquam statuerunt *physice* malam esse. Ejus igitur malitia, aut moralis, aut relativa illis posita est (*b*). Quocirca qui eo argumento Manichæos confutabant, quod substantia suapte natura mala repugnet, non satis veræ causæ consulebant.

LXXXI. *Bonum morale* est convenientia actionis *liberæ cum lege:* malum vero morale est discrepantia actionis *liberæ a lege*.

Schol. Ex quo patet, nec bonum ullum morale, nec malum, sine respectu ad legem aliquam, & libertatem intelligi posse. Sunt interea quidam Philosophi, qui proverbium illud passim jactant, *quædam esse mala*, *quia prohibita*, *alia ideo prohibita*, *quia mala*, & hæc intrinsecam habere malitiam docent. Qui nisi malorum intrinsecorum nomine ea significant, quæ legi æternæ, & naturali adversantur, quæ lex Civilibus omnibus antiquior est, & creaturæ rationali intima, ii non satis accurate loquuntur. Quis enim fingeret sibi peccatum sine lege ulla, etiam æterna? Hinc Epicurei quum naturæ leges sustulissent, & justitiam metu mali physici, ac ob utilitatem vitæ inventam docuerunt (*c*). Præterea ut malum morale statuatur, oportet actionem, quæ a lege disconvenit, esse liberam. Itaque quicunque Fato mundana hæc agitari censent, peccata nulla esse affirmare debent, cujusmodi est Spinoza, qui in *Appendice prioris Ethi-*

(b) *Beausobre histoire des Manichées*.
(c) *Legatur Lucretius lib.* v.

(1) Lockius lib. 2. cap. 20. §. 2. Res non dicuntur bonæ, aut malæ, nisi quatenus voluptatem, aut dolorem in nobis procreant. Bonum itaque appellamus, quidquid aut voluptatem nobis creare, vel augere potest, aut dolorem auferre, vel minuere. Ex contrario malum, quidquid in nobis aut dolorem ingenerare vel augere potest, aut voluptatem avertere vel minuere. Nec negari potest, quin ita judicare plerique homines assueti sint. Interim hanc non esse semper veram, ac tutam regulam loco suo demonstrabimus. Vide & Arist. lib. 1. Rhetor.

Ethicæ partis, peccatorum moralium originem ſtulte hominum phantaſiæ, & ſuperſtitioni tribuit; cujus hominis inſaniam loco ſuo curabimus.

LXXXII. Similia appellat Wolfius, in quibus ea, per quæ diſcerni entia ſolent, eadem ſunt; & magis quidem ſimilia, ſi plura *eadem*; minus vero, ſi pauciora. Diſſimilia vero vocat, in quibus ea, per quæ entia diſcerni ſolent, omnino ſunt diverſa.

Schol. Exempli cauſa, duo corpora diſcernere ſolemus, primum per externa, qualia ſunt pondus, figura, color, & alia; deinde per internam partium conformationem, vires activas &c. Hæc omnia ſi *eadem* fuerint in duobus corporibus, A, B, ea corpora ſimillima dicentur: ſi non omnia eadem, *minus ſimilia*: ſi omnia diverſa, *diſſimillima*. Sub hujus ſeculi initium graviſſima inter Leibnitium, & Clarkium quæſtio eſt agitata, an poſſint in Natura eſſe duo entia omnino ſimilia. Negabat Leibnitius, cui poſtea acceſſit Wolfius. Duo hos movebant: primum quod duo prorſus ſimilia omnia haberent eadem, adeoque non duo, ſed unum eſsent. Alterum, quod Deus efficere duo omnino ſimilia nequeat: nam quænam eſſet ei ratio hoc potius, quam illud creandi? His autem nihil commovebatur Clarkius. Nam ſecunda ratio paulo eſt inepta. Quis enim homuncio tam confidenter de ratione, & conſilio Dei definiat? Ad primam vero reſpondebat, duo ſimilia diſtingui numero, ſi non ſpecie. Sed hujus viri pace, *τὸ* diſtingui numero, ſi nihil ſit in iis, quæ diſtinguuntur, diverſum, vocabulum eſt nihil. Ego ſic puto, quæſtionem hanc definiri non poſſe, niſi duo inter partes conveniant. Primum ſimilitudo in hoc ne poſita ſit, ut *entia ſimilia* quædam habeant eadem, ea potiſſimum, per quæ diſcerni debent. Alterum, quum duo ſimilia dicimus, *eſſentiam quoque individualem* ſimilem habere dicimus, nec ne? Itaque ſi ſtatuta illa ſimilitudinis definitione, primo modo concipiatur quæſtio, ut etiam eſsentia individualis ſit in duobus eadem, ea manifeſto *contradictionem involvit*. Siquidem quum quæ diſtinguuntur numero, licet cetera habeant eadem, eſſentiam tamen *individualem* non eandem habeant neceſſe eſt: qui dicit duo diſtingui *numero*, & omnia habere eadem, etiam eſſentiam hanc individui, is contraria loquitur. Neque puto hac in re Clarkium non fore conſenſurum. Quod ſi ſtante defi-

definitione similitudinis Wolfiana, quæstio agitetur de duobus cetera similibus, præterquam essentiam individui, quin ea sint possibilia, non dubitabit Leibnitius. Interim legatur quarta responsio Clarckii ad Leibnitium (a), & quæ de principio individuationis scribit Lokius (1).

LXXXIII. Ordo est plurium entium sive *permanentium*, sive successivorum ita connexa series, ut antecedens spectet consequens, consequens sit finis antecedentis, omnia vero ad communem aliquem finem directa sint. Ordinis regulæ statui solent, ut entia ordinentur ratione. I. Breviore. II. Faciliore. III. Suaviore. IV. Utiliore.

LXXXIV. Plurium ordinum similitudo proportio appellatur. Sit eadem ratio ordinis entium A, B, C, D, & entium 1. 2. 3. 4., inter ordines illos aderit proportio. Eodem modo Euclides lib. 5. Elementorum Geometriæ, ceterique Geometræ, quibus proportio est rationum æqualitas. Hi numeri 4 : 12 : : 10 : 30 dicuntur idcirco geometrice porportionales, quia ratio primi ad secundum est ei æqualis, quam tertius habet ad quartum. Quum autem quantitas ad quantitatem duplici modo conferri possit; primo quidem, quum perspicitur, quo modo prima secundam contineat, aut quotam ejus contineat partem: alio, quum disquiritur, quantum altera alteram excedat, aut excedatur; prima ratio Geometrica dicitur, altera Arithmetica. Ratio numeri 8 ad 2 geometrica est si primo modo concipiatur: arithmetica si altero. Rationis ejus Geometricæ quantitas est 4. Arithmeticæ vero 6. Longe igitur altera ab altera differt. Itaque duo quoque sunt proportionum genera, Geometrica, & Arithmetica. Illa 4 : 12 : : 10. 30. Geometrica est: hæc 4 : 12 : 10 : 18 Arithmetica. Explicuimus hæc latius in tractatiuncula *de Proportionibus*. Quæri posset, ambas ne hujusmodi proportiones in ordine mundi sequutus Deus est, an Geometricam tantum?

LXXXV. Pulchra dici solent, quæ *perfectione*, *unitate*, *ordine*, *& proportione constant*. Pulcritudo igitur est apta attributorum, aut partium entis congruentia. Quocirca ens infi-

(a) *Recueil de diverses &c. pag. 66.*

(1) Lib. 2. cap. 27. ubi principium individuationis ait esse ipsam entis exsistentiam, qua ens tempori ac loco suo statuitur, itaut hæc duo esse in duobus eadem nequeant §. 3. & alibi passim. Aliter tamen constituunt scholæ Philosophi, quos qui hæc penitius nosse cupit, adeat.

infinite perfectum, bonum, simplex, infinite quoque pulchrum vocari potest.

Scholion. Legendi omnino sunt tres Platonis Dialogi, *Phædrus*, *Symposion*, & *Hippias major*, & quæ ibi habet Ficinus, aliique Platonici. Ex his aliisque Platonis locis apparet ei pulchritudinem fuisse *gratiam quandam*, quæ *animam*, & hominis harmoniam, aut *visu*, *&* *auditu*, aut *ratione* movet. De origine vero pulchri sic putabat Socrates, res pulchras dici participatione ideæ æternæ, & pulcherrimæ. Eleganter ea de re differit Ficinus in *Hippiam majorem*. *Pulchritudo*, inquit, *nihil aliud est*, *quam summi boni splendor fulgens in iis*, *quæ oculis*, *auribus*, *mente percipimus*, *perque illa ad ipsum bonum*, *visum*, *auditum*, *mentemque convertens*. *Quo fit*, *ut pulchritudo circulus quidam sit divinæ lucis a bono manans*, *in bono residens*, *per bonum*, *&* *ad bonum sempiterne reflexus* ..... *Hæc mentem primo divinam idearum ordine infinite decorat: Numina deinde sequentia, mentesque rationum serie complet: animas tertio numerosis discursibus ornat: Naturas quarto seminibus: formisque materiam quinto &c.* Vide ut acute sæpe iisdem de rebus differit S. Augustinus in libris de *Libero Arbitrio*, de *Ordine*, de *Musica*. Ingenitam porro mentibus nostris pulchritudinis esse notionem scitum, dictatumque est in Platonicorum Scholis. Audiendus Cicero in *Oratore*. *Sed ego sic*, inquit, *statuo*, *nihil esse in ullo genere tam pulchrum*, *quo non pulchrius id sit*, *unde & illud*, *ut ex ore aliquo quasi imago exprimatur*, *quod neque oculis*, *neque auribus*, *neque ullo sensu percipi potest*, *cogitatione tantum*, *&* *mente complectimur* .... *Has rerum formas appellat ideas ille*, *non intelligendi solum*, *sed etiam dicendi gravissimus auctor Plato*, *easque gigni negat*, *&* *ait semper esse*, *ac ratione & intelligentia contineri*, *cetera nasci*, *occidere*, *fluere*, *labi*, *nec diutius esse uno & eodem statu*. Hoc ipsum passim repetit Augustinus. Sed & idem persuasum erat Cartesio, qui inde Dei exsistentiam probare studuit. Aristoteles hæc Platonis Magistri sui dogmata cantiunculas poeticas vocabat, existimabatque, hujusmodi ideas ratione ex speciebus corporeis hausta in nobis informari. Ego sic existimo, esse & ideam quamdam pulchri humanæ rationis communem, quæ constans est & immutabilis, eamque esse, quæ recta ratio dicitur: & esse alia pulchra relativa tantum, atque idcirco varia & mutabilia. Sed ajunt. Quum

de

de pulchris tot sint hominum sententiæ, non quot nationes, sed quot capita, quis putaverit unam innatamque esse pulchri apud omnes notionem? Præterea hæc pulchritudinis notio variat pro ætatum varietate. Tandem idea pulchri forma quædam est animo inscripta, tanquam in cera sigillum, an ipsa perceptio? Nequit hoc ultimum a sanis dici, postquam constitit perceptiones pulchri varias esse, & inconstantes. Primum vero tam est absurdum, quam illud, unde hoc consequitur, nimirum mentes nostras fuisse aliquando sapientes & beatas, nec in corpora detrusas, quam ob crimina nescio quæ in altera vita admissa. Quæ me non movent. Prima duo relativa pulchra spectant, non commune, & absolutum. Postremum est ineptum: hæc enim idea pulchri, quam communem dixi, non forma insculpta est, sed communi ratione informata. Certe idea proportionis inter hos numeros 9 : 3 : : 12 : 4 ex eo genere est. Non igitur necesse est ut mentes nostræ corporibus sint antiquiores: nihil id ad rem nostram: satis est ut ratio sit communis, & primæ quædam nostri, & mundi ideæ, ex quibus communia rationis axiomata conficiantur.

POTISSIMÆ PROPOSITIONES ONTOSOPHICÆ, ET COSMOSOPHICÆ.

EST apud Mathematicos in more positum, ut post definitiones, axiomata statuantur, atque postulata, inde vero propositiones demonstrentur. Nos, quandoquidem & *axiomata* propositiones sunt, & hoc tantum apud Mathematicos ipsos a *propositionibus* discernuntur, quod hæ demonstratione egeant, non illa; utraque uno eodemque *propositionis* vocabulo appellabimus, & discretionem illam *axiomatum a propositionibus* aut *theorematis*, quam olim tenueramus, omittendam censemus. Sed sequentia tantum postulata præmittemus.

POSTULATA.

I. PHilosophari oportere ex ideis, quas habent homines: tota enim nostri cognitio ambitu idearum nostrarum continetur, adeoque contentos esse debere ea scientia, quæ ex hujusmodi ideis nascitur. Si quis igitur in phi-

philosophia ea nobis proponat, quæ omnem nostrarum idearum ambitum, omnemque perspicientiam fugiunt, nisi is Deus sit, aut a Deo, impostor habeatur.

Scholion. Ad coercenda ingenia lascivientia, & nimium Fanatismi amantia id postulatum est necessarium. Quis enarret quot monstra errorum in Rep. literaria produxit ambitio novæ, & mortalibus omnibus ignotæ, atque incomprehensibilis sapientiæ? oportet in ea Republica esse omnino hospitem, qui nesciat. Nempe dum homines supra mortalitatem conarentur, dum nova se & pulcherrima invexisse putarent, ea in medium protulere, quæ nec ipsi unquam, tantum abest ut alii, intellexere: nec animadverterunt, se pro sapientibus deridiculos fecisse. Nam si quæ est Respublica, in qua minus occulte imponendi artes, &, ut vulgo dicunt, *mysteria scientiarum*, tolerantur, ea profecto est literaria. Possunt hi quidem sub initium rei novitate, & incomprehensibilitate suspici; at *quum commenta deleat dies*, Systemata hujusmodi *nihili* regnare non possunt. Inde sunt illa, Pythagoræ *Numeri & Metempsychosis* (1); *Ideæ* Platonis *æternæ* ante res omnes; Aristotelis *Materia unica immensa & simplex*, & *antipathiæ* Scholarum ac *sympathiæ*; *intellectus* Arabum *universalis*; *Anima mundana* & rerum omnium *sensus* & *perceptio* Campanellæ nostri, Fluddi, Cudworthi, Systema *Causarum occasionalium*, & *cognitionis omnium in Deo* Malebranchii; *Harmonia* Leibnitii *præstabilita* & *Monades*, quarum quælibet integrum refert universum; & trecenta alia, quæ, nisi fortassis Saturni homines, intelligit nemo. Et potuissent observare Philosophi isti, plerosque, qui maxime nova crediderunt detexisse, aut maxime vetera recinisse, aut inintelligibilia; adeoque terminos suos habere mentes humanas, ut quos qui prætergredi volunt, aut in antiqua ruant, aut in omnibus ignota intermundia.

II. Ea inter nos habere certa, quæ aut clara intuitione & conscientia; aut clara demonstratione ab omnibus intelliguntur, quorumque opposita esse pugnat. Huic veri cha-

(1) Is ut opinionem eam suis altius imprimeret, in subterranea domo diu latuit, creditusque est mortuus; dehinc squalidus, ac mortuis concolor quum inde evasisset, magnam sui admirationem fecit ut redivivi. Laert. in vita Pythagoræ.

charađeri qui diffidit, is prima Reipublicæ literariæ fundamenta subvertit.

Scholion. De veri *criterio* nemo ignorat quanta animorum contentione disputatum sit. Veterum ea de re concertationes omnes, & sententias docte enarrat ornatque Petrus Valentia in *Academicis*, docto opusculo (1). Eæ ad tria genera referri possunt: nam Epicurei & Stoici ad claritatem *phantasiarum* & *perceptorum* confugiebant: Platonici, qui corporum ut non *entium*, idest nec æternorum, nec immutabilium, nullam esse scientiam, sed opinionem tantum, docebant, ad claram intellectionem idearum æternarum, quas summus rerum opifex Deus cæteris mentibus participat: Sceptici nullum esse definiverunt. Omissis nunc Scepticis, adversus quos in *extrema* hujus operis *parte* disputabimus; recentiores omnes philosophi claritatem, & evidentiam tesseram esse veri uno ore fatentur, sed in eo distant, quod quidam Platonicam doctrinam, alii Stoicam restituere conati sunt. Nempe alii claras æternarum formarum, & causarum intellectiones tantum veras dicunt, ut ii quibus mens est metaphysica: alii quæcumque clara percepta & visa, ut recentes Epicurei. Cartesius claram & distinctam intellectionem esse criterium veri sic probat (a): *Quoties voluntatem in judiciis ferendis ita contineo, ut ad ea tantum se extendat, quæ illi CLARE & DISTINCTE ab intellectu exhibentur, fieri plane non potest ut errem, quia omnis clara & distincta perceptio proculdubio est aliquid, ac proinde a nihilo esse non potest, sed necessario Deum authorem habet, Deum, inquam, illum summe perfectum, quem fallacem esse repugnat; ideoque proculdubio est vera. Nec hodie tantum didici quid mihi sit cavendum, ut nunquam fallar, sed simul etiam quid agendum, ut assequar veritatem: assequar enim illam profecto, si tantum ad omnia, quæ perfecte intelligo, satis attendam, atque illa a reliquis, quæ confusius & obscurius apprehendo, secernam.* Sed quum hæc doctrina videatur etiam complecti *imaginationes & sensationes* claras, monuere deinde Cartesiani, solam purarum intellectionum claritatem veritatis esse insigne; nam multiplici experientia didicisse arbitrantur, ab imaginatio-

---

(a) *Medit. 4. prope finem.*

(1) Excusum est Antuerpiæ anno 1596. Author eruditus & perspicax Zafrensis in extrema Bæti-ca. *Copiosius Villemandy in Scepticismo debell.*

nationibus & sensationibus alioquin claris pluries non fuisse deceptos. Ita Malebranchius.

Author Tractatus de *Emendatione intellectus* quum omnes cognoscendi modos ad quatuor retulisset, *authoritatem*, *experientiam*, *analogiam*, *& cognitionem rei per suam essentiam*, *vel per proximam suam causam*, addit, *solum quartum modum comprehendere essentiam rei adaquatam*, *& absque erroris periculo*. Sed pergit quærere, quis sit character veritatis hoc modo perquisitæ? atque concludit, *patere*, *quod ad certitudinem veritatis nullo alio signo sit opus*, *quam VERAM habere IDEAM*. *Ex quibus*, addit, *rursus patet*, *neminem posse scire quid sit summa certitudo*, *nisi qui habet adæquatam ideam*, *aut essentiam objectivam alicujus rei*; *nimirum quia idem est certitudo*, *& essentia objectiva*, idest idea. *Quum itaque veritas nullo egeat signo*, *sed sufficiat habere essentias rerum objectivas*, *aut*, *quod idem est*, *ideas*, *ut omne tollatur dubium*; *hinc sequitur*, *quod vera non est methodus signum veritatis quærere post acquisitionem idearum*. Hæc explicat clarius paulo inferius hunc in modum: nam quum videret ad hoc statuendum, oportere reperire characterem verarum idearum, quibus distingui possint a falsis, subdit; *nec dicendum hanc differentiam* (veræ & falsæ ideæ) *ex eo oriri*, *quod cogitatio vera est res cognoscere per primas suas causas*, *in quo quidem a falsa valde differret*... *cognitio enim vera etiam dicitur*, *quæ essentiam alicujus principii objective involvit*, *quod causam non habet*, *& per se*, *& in se cognoscitur*. *Quare forma veræ cogitationis sine relatione ad alias debet esse sita*... *quare id*, *quod formam veræ cogitationis constituit*, *in ipsa eadem cogitatione est quærendum &c.* Ex hujus igitur Authoris sententia vera scientia est cognoscere res quidem æternas in se, & sua essentia; creatas in suis caussis immediatis; forma autem, seu character veræ scientiæ, sunt ipsæ veræ ideæ, quæ sui veritatem evidentia & perspicuitate patefaciant. Eadem doctrina & veterum Platonicorum fuit, & Augustini, & B. Thomæ, & Malebranchii: nempe veram scientiam esse, æterna in seipsis, facta in suis caussis cognoscere; criterium perspicuitatem hujus cognitionis. Neque quidquam dici potest verius, si ab ea doctrina removeantur quædam, quæ Fanatici quidam addidere. Sed quæri potest, quî æterna *in seipsis* co-

gnosci possint? nempe in earum rerum ideis immutabilibus, & constantibus, quæ communi hominum ratione continentur: esse enim communem quamdam, & immutabilem rationem, eamque immutabilibus principiis constare, existimo ego neminem sani sincipitis esse negaturum.

Vir quidam ex iis, qui se, etiam alienato animo, philosophari putant, dum hanc doctrinam illustrare studet, non satis expedito, ut videtur, quæstionis statu, duo miscet, & *veram scientiam*, & *veræ hujus scientiæ characterem apud homines*. Duo illa in primis sunt distinguenda, ut nimirum sciamus, & *quæ sit methodus veræ scientiæ acquirendæ*, & *quæ tessera hujus veræ scientiæ*. Nihil dici potest verius, neque ea unquam de re dubitatum est, tum esse scientiam perfectam, atque veram, quum res & in sua essentia, & in suis causis immediatis, & in æternis atque immutabilibus sui rationibus perspiciuntur. Sed duo mortales exquirunt; 1. quæ sit methodus ad eam scientiam perveniendi: 2. quæ tessera, nos pervenisse, neque, dum pervenisse credimus, nos decipi. Ea potius præstare debuit Author noster, quam Platonicorum illam coctam crambem recoquere. At is generatim pronunciat, *Criterium veritatis consistere in eo, ut res in æternis suis causis & principiis æternis, & quidem æternas causas & æterna principia in Deo cognoscamus*. Verum non erat hæc quæstio, sed hæc alia; *versetur ne inter homines insigne aliquod, tessera, character, quo esse possint certi, se veram hanc scientiam acquisivisse?* Ex. g. Scio omnes rectas a circuli centro ad circumferentiam esse æquales: æquales in circulo rectas æqualiter a centro distare: si in circulo duæ rectæ se secuerint, rectangulum sub segmentis unius, æquale esse rectangulo sub segmentis alterius comprehenso, & trecenta alia ex natura rectanguli, & circuli manantia. Rogo nunc, unde scio esse vera? quia, inquit, in sua causa immediata, idest in essentia rectanguli, & circuli, ex qua illa proficiscuntur, vides. Recte hæc. Rursum rogo; cur *scio* me illa in essentia circuli *videre?* nempe, quod hic respondendum est, id demum est criterium veri. Quid? non vides, nihil posse homines respondere, nisi se *clare* & *distincte* id intelligere? Non igitur apud homines esse alia tessera veræ scientiæ potest, nisi *claritas*, & *perspicuitas* cognitionis rei, aut in sua essentia, aut in suis causis. Addendum igitur illud erat

tra-

tractationi illi prolixæ, &, si humano generi esse Author utilis voluisset, methodus demonstranda, qua ad illam sapientiam itur: nam dicere criterium veri esse omnia in Deo videre, idest in æternis suis rationibus, & agnoscere interim, naturam Dei omnibus esse imperviam, nescio utrum sit homines in Trophonii antrum dejicere.

III. Si principia demonstrationum sint *evidentia*, & consequentia *necessaria*, non esse de demonstratione dubitandum, idcirco quod non ita afficiamur conclusione, ut omnis abscedat scrupulus: id enim fieri potest ob inveterata infantiæ, vel phantasiæ præjudicia.

Scholion. Cartesius (*a*) hoc ejus postulati protulit exemplum. Claræ demonstrationes ostendunt Solem multo esse Tellure nostra majorem: interim conclusio nullo modo demit sensuum præjudicium. Addo, demonstratur evidentissime, nos cuncta corpora, corporumque colores, figuras, distantias, motum, intra nos cernere, non extra nos: interea ne philosophi quidem ipsi vim præjudicii & sensuum hac in re superare possunt. Infinitum parallelogrammum esse bipedali æquale demonstrat Geometria, sed phantasia reluctante, ac rationem sæpe deturbante. Esse animantia, quæ sint 20. milliones minora grano piperis demonstrant observationes & calculi Geometrici, non imaginatione tantum, sed quandoque ratione stupente. Quas veritates non idcirco jure tuo in dubium vocaveris, quod phantasia reluctetur. Recte igitur monebat Plato, atque inde Augustinus, ut in veritate perquirenda phantasiam & sensus cohibeamus: plurimum enim serenitati mentis officere possunt, atque nos a veritate deturbare in falsa præjudicia. Ex quo intelligi potest, nec veteres Epicureos, & Stoicos, nec novellos *materialistas*, qui omnia ad sensum & phantasiam referunt, veram insistere solidæ scientiæ viam.

IV. Ut in his rebus, de quibus agimus, non exigatur semper evidentia Geometrica. Nam, ut perspecte inquit Aristoteles lib. III. Metaph. cap. 2. *περι παντων αδυνατον αποδειξιν ειναι*, *possibile non est, ut omnia demonstrentur*. Nimirum quum essentiæ reales factæ, (def. 28.) & intelligibiles (29.) æternæ, nos æque lateant, licet demonstrationes, quæ existentiam rerum, & abstractas proprietates spectant, esse fortassis possunt Geometricis pares, eas ta-

(a) *Respons. ad objectiones sextas.*

tamen, quæ *essentias* respiciunt, hac sæpe evidentia destitui: sunt enim accommodatæ essentiis rerum *nominalibus*, quas ut plurimum an realibus congruant, ignoramus. Nec sperandum est ulla hominum industria evidentiam Geometricam habere posse, usque dum homines nihil a se humani alienum habebunt. Interea sunt tales, quibus evidentiores nequeunt, nisi inique, mortales exigere. Quis enim talem exegerit scientiam, quæ mentium humanarum capacitatem omnem superet? (a) Quod si quis hæc contemnat, aut rideat Philosophorum confidentiam, primum eum oro, ut se hominem esse meminerit, nec speret posse, quum sensum literatorum communem, & quæ propria est hominum, scientiam, neglexerit, meliora adipisci. Deinde Horatianis verbis compello.

. . . . . . Si quid novisti rectius istis
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

Præterea & illud animadvertatur volo, me non omnia, etiam minutissima, persequi in animo habere: Elementa enim scribo. Itaque præcipua quædam attingo, & ea, ex quibus facile studiosi adolescentes, si hæc iis studia arriserint, in penitissimam hanc Philosophiam devenire possint. Præterquamquod in his rebus vetus illud usurpandum censeo, *Philosophandum, sed paucis*: [sunt enim hæ res hujusmodi, ut quo propius accesseris, eo illæ sui immensitate & obscuritate te vehementius per avia deturbent.]

C A P. I.

Generalia quædam Theoremata de Ente, Nihilo, Possibili, & Impossibili.

PRop. I. & II. Non potest idem simul esse & non esse: Neque unum idemque ens constare attributis, quæ se mutuo destruunt.

Scholion. Duo hæc axiomata vocant Scholastici *principium contradictionis*: nam contumaces & refractarii quum omnia negaverint, etiam patentia, eo adiguntur, ut hæc aut negaverint, aut admiserint, contrariis assertionibus se implicent. Magnus autem eorum usus est, quum in rerum existentia statuenda, tum quoque in eorum essentia pervestigan-

---

(a) *Vide Aristotelem sub initium Ethices.*

stiganda atque discernenda. Itaque primum dici potest principium *cognoscitivum existentiæ*: alterum *essentiæ & proprietatum*. Posteriore utimur cum in aliis, tum præsertim in Dei, atque animarum natura incorporea adserenda: demonstramus scilicet vim cogitandi, quæ ad essentiam mentis pertinet, repugnare soliditati, quæ essentialis est materiæ. Quod argumentum egregie pertractarunt & Cartesius in Meditationibus, & Stillingfleetus Anglus Theologus (a) quum scriberet adversus Lockium putantem Deum efficere posse, ut eadem substantia & corporea sit & cogitans.

Peripatetici primum illud axioma totius humanæ cognitionis principium primum habent, tale nimirum, quod sit & per se evidens, & universale, omnesque sinu suo *virtualiter*, ut ajunt, veritates, quarum mens humana sit capax, contineat, ac in eo Aristotelem sectantur (b). Hic ut id velut in transitu dicam, toto cap. 4. lib. IV. Metaphysicorum subtiliter ea de re disputat, demonstratque esse id adeo impossibile, ut nulla vi fieri possit, ut quidquam sit & non sit simul, contra quod quidam sibi persuasere, etiam prope nostra tempora. Nam Auctor libri *Religio Medici* audacter affirmat, Deum etiam hæc pugnantia efficere posse; quod est tam stultum, ut nihil magis. Sed illuc redeo, unde digressus sum. Eidem principio assensere Hamelius in Philosophia Burgundica, & Christianus Thomasius (c). Sed est qui confidenter negat ullum esse in humanis cogitationibus hujusmodi universale principium, tantum abest, ut hoc ejus esse naturæ fateatur. Is est Gerardus Titius in Arte cogitandi Cap. 3. §. 75. Ac jure quidem & merito negat, si ita hujusmodi principium capiatur, non tantum, ut sit primum, sed ut unicum semina omnium humanarum cognitionum contineat. Humanæ enim cognitiones non ex universalibus principiis primum defluunt, sed a singularibus primum profectæ, ad generalia conferuntur eo modo, de quo in Logica dictum est. Interim non destitere Philosophi ab hoc principio universali investigando. Scotistis videtur placuisse hoc, *ens*

(a) *Vide notas Acostæ ad* §. 6. *capitis* 3. *lib.* 4. *de intellectu humano.*

(b) *Lib.* 3. *Metaph. cap.* 2. *Et lib.* 4. *cap.* 4.

(c) *Lib.* 1. *Jurisp. div. cap.* 3. §. 18., *& cap.* 6. *Aul.*

est ens: aliis hoc, *quodlibet est, vel non est.* Hæc ego prima quidem habeo: sed ut generica scientiarum fœcunda principia ut habeam? Idem dici potest de Lockii illo, *quidquid est, est, & quidquid est, est idipsum, & nihil aliud.* Nempe nulla informari in nobis potest cognitio, nisi conscii simus *identitatis & distinctionis* earum idearum, quæ menti nostræ sese offerunt. Itaque est hoc initium humanæ rationis, idque sine ulla controversia, ut iis esse potest manifestum, qui rationis nostræ naturam, & progressum accuratius introspexerint. Sed Scientiarum principium ut sit, & fons, id non concesserim. Cartesio placuit, primum principium, quod ordine philosophandi omnium primum se offert, esse hoc, *cogito, ergo sum.* Quidni, cujuscumque singularis rei perceptionis conscientia primum hoc dicetur principium? Itaque ego inanem omnem hanc disquisitionem censeo. Non quod putem hæc generica axiomata nulla omnino esse, quod ne Sceptici quidem pernegant: sed non mihi videtur verum, unum esse totius humanæ scientiæ hujusmodi principium primum: sunt enim plura, & diversa.

Prop. III. Ex nihilo nihil suapte natura fit, idest nihil fit sine causa, in qua aut *formaliter*, aut *eminenter* non contineatur.

D. Si fit ex nihilo, necesse est ut ex se fiat; est ergo antequam fit: positum est autem non esse, quia nihil est antequam fiat; est ergo simul & non est, quod pugnat (ex prop. I.)

Scholion. Consentientes in eo habemus veteres omnes, atque recentiores Philosophos. Lucretius decem argumentis libro primo (*a*) ingeniose & docte demonstrat, nihil in rerum natura ex nihilo fieri, aut in nihilum abire. Hoc in primis perpulchrum,

Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset; nil semine egeret ......
quod verum est.

Quærer autem aliquis, an quod fit a causa, in qua *eminenter* continetur, dicendum sit ex nihilo factum? Respondemus, nullo modo dici posse ex nihilo factum, eo sensu, quo nos definivimus, quod in causa, a qua factum est, quomodocumque continebatur. Itaque Græci Philosophi, quum docuissent Dæmones, & mentes alias a Deo, in quo

(a) *A v.* 160. *ad v.* 265.

quo continerentur, effluxisse, aut genitas esse, non putarunt axioma illud III. everti. Ob eandem vero causam quum non possent intelligere materiam in mente æterna aut formaliter, aut eminenter contineri, maluerunt illam æternam statuere, quam ex nihilo creatam fateri. Si quis autem nobis opponat, mundum dici in Scripturis ex *nihilo factum*, reponimus id ex usu populari dici, ea ratione, quod nihil *mundi*, antequam crearetur formaliter existeret. [Uno verbo, factus est *ex nihilo sui*, ac *subjecti primi*, nihil enim ejus præexistebat extra Deum; non ex nihilo causæ; continebatur enim *eminenter* in ratione, & potentia Dei.] Cæterum lis est vocabulorum.

Prop. IV. Si ex *dato*, *sumpto*, aut qualibet *hypothesi*, ea per justam & necessariam consequentiam sequantur, quæ mutuo se destruunt, *datum*, vel *sumptum*, aut quælibet illa *hypothesis impossibilis* est.

D. Si enim talia sequuntur, ea continentur in iis, unde sequuntur (per prop. 3.): quum autem quæ se mutuo destruunt, nequeant in eodem contineri (prop. 2.), datum illud, sumptum, aut quælibet hypothesis sunt impossibilia (def. 9. & 6.).

Scholion. Atque hæc est luculentissima ratio, qua cognosci possit, quænam in dato ente contineantur. Nam ubi aliqua adesse cognoveris, principio connexa omnia una adesse scito: tum nullum eorum una adesse posse, quæ cum illis, quæ posita sunt, pugnant. Oportet autem magna circumspectione & accurata consideratione uti, quum in eo, ut perspiciamus, an data aliqua mutuo se destruant; tum quoque in hoc, ut ne erremus, dum per justam & necessariam consequentiam, quæ mutuo se destruunt, ex *dato*, *sumpto*, aut *hypothesi* sequi arbitramur. Qua in re infinitæ philosophorum controversiæ versantur, eæque gravissimæ. Ex. gr. Cartesius, & Stillingfleetus putabant, data substantia extensa cogitante, sequi eam simul esse inertem & activam, solidam & penetrabilem, cogitatione nempe. Hinc concludebant, mentem esse substantiam ita a corpore distinctam, ut Deus efficere non possit corpus cogitans; id quod ita se habere facile cogitanti patet. Non eodem tamen modo ratiocinabatur Lockius: is enim censebat, cogitationem non magis corpori repugnare, quam motum: ex quo inferebat creari a Deo posse corpora, ut motu, ita cogitatione

prædita: quod nonnihil sapit Hobbesii chimæras, qui in Leviathane (a) perceptionem esse ait motum in sensibus ab externis objectis factum, *reactionem* vero cerebri & cordis *reflexionem* esse, seu *apperceptionem*, ut vocat Leibnitius. Hoc eodem axiomate expendenda sunt Philosophorum systemata. Si enim ex iis pugnantia sequuntur, haberi illa verisimilia nequeunt. Ita Cartesianum systema perpendunt recentes Physici, eoque argumento Cartesianos vortices inter *ασυςατα* ponunt (b). Est ejusdem generis Manichæorum Deus undique perfectus, & malus: pugnat enim Ens omni ex parte perfectum mali esse causam primam.

Prop. V. Nunquam datum, vel sumptum ut impossibile habendum, nisi quum aut esse secum pugnans per se patet, aut quum ex eo impossibilia, aut pugnantia sequi, clare demonstratum fuerit. Patet.

Scholion. Ex.g. Si quis dicat, *impossibile* esse ut materia sit æterna, oportet ut solide demonstret ex data materia æterna sequi pugnantia. Eam ob rem quælibet propositio habenda est tanquam possibilis, usquedum demonstretur, esse eam impossibilem, etiamsi non adhuc ejus possibilitas demonstrata sit. Non igitur ex phantasia hujusmodi res judicandæ sunt, sed ex perspicuis rationibus.

Prop. VI. Problema est possibile, si demonstretur, qua ratione fieri possit.

D. Nam si demonstretur qua ratione fieri potest, certi sumus ex eo problemate non sequi pugnantia; ergo possibile (per prop. 5.)

Scholion. Si quis igitur Cartesianus demonstraverit, qua ratione bruta animalia sine ulla anima actiones suas edant solis mechanices legibus, is problema illud, *Bruta esse meras machinas*, probabile fecerit. Si quis demonstret qua ratione materia a Deo creari potuit, is probabile faciet, *materiam esse creatam*. Cæterum non statim conficiet, ut ille, bruta esse puras machinas, ita iste, materiam esse factam: ex eo enim quod aliquid possibile est, non recte inferes, id ita se habere: alia igitur argumenta adjicienda sunt, ut *existentia* probetur, statuta possibilitate.

Prop.

(a) *Part.* 1. *cap.* 2. & 4.
(b) *Vide Keil præfat. in lectiones Physicas.*

[Prop. VII. Dato uno possibili infinita ei similia sunt intrinsecus possibilia.

D. Possibile est quod non pugnat esse (def. 4.); ergo quæcumque non pugnant esse, sunt possibilia. Omnia autem ea, quæ ei, quod non pugnat esse, sunt similia, necesse est ut non pugnent esse; ergo quæcumque dato possibili sunt similia, sunt possibilia. Dato autem uno possibili similia esse possunt infinita; ergo dato uno possibili, infinita similia sunt possibilia.

Prop. VIII. Possibilia finitæ entitatis sunt infinities infinita.

D. Quod est finitæ entitatis potest concipi perfici per gradus in infinitum; ergo concipi possunt infinita entia distincta finitæ entitatis. Ea sunt omnia possibilia. Sed quoniam dato uno possibili, sunt possibilia infinita similia (prop. 7.); sequitur possibilia esse infinities infinita.

Schol. Quoniam Triangulum est spatium finito laterum numero circumscriptum, sequitur posse concipi spatium circumscriptum quatuor lateribus: tum tertium quinque; deinde sex, ac ita porro in infinitum. Possibiles ergo species figurarum planarum (idem de solidis dicito) sunt infinitæ. Sed quoniam dato uno Triangulo, quæ sunt ei similia, sunt infinita numero; fit itaque, ut omnes figuræ planæ possibiles sint infinities infinitæ. Idem conficiet Metaphysicus de generibus, ac speciebus entium, eorumque generum, atque specierum individuis.

Prop. IX. Non sunt possibilia plura entia infinitæ entitatis.

D. Si sint, necesse est ut differant aut specie, aut numero: si autem differunt, sunt diverse terminata; si autem sunt diverse terminata, non sunt infinitæ entitatis; plura ergo entia infinitæ entitatis pugnant esse. Non est igitur possibile nisi unum ens infinitæ entitatis.

Schol. Infinitæ figurarum planarum species, item solidarum, sunt possibiles, quia quælibet figura est spatium finitum, quod potest esse in infinitum usque varie terminatum. At non est possibile nisi unum spatium infinitum. Eodem modo res cum entibus se habet: entia finitæ entitatis infinities infinita esse possunt: ens vero infinitæ entitatis nequit esse nisi unum.

Prop. X. Quæ sunt intrinsecus impossibilia, non sunt capacia existentiæ.

D. Si

D. Si sunt, esse non pugnant; non ergo sunt intrinsecus impossibilia (contra hypothesim). Quid igitur sibi vult Thomas Blownt in opusculo paradoxiaco, quod præscripsit, *Religio Medici*, qui etiam *intrinsecus impossibilia* fieri a Deo posse velut ex tripode definit? Quem ego amando ad Aristotelem lib. IV. Metaph.

Prop. XI. Omni possibili concipi potest esse oppositum alterum possibile. Concipiatur *esse*, potest concipi *non esse*; nam nisi possit concipi *non esse*, est illud necessarium, non possibile: *non esse* autem est oppositum *esse*; omni ergo possibili potest concipi oppositum. Deinde omne possibile est hoc potius, quam illud; ergo omne aliud, quod ab eo essentiam habet distinctam, pugnat esse id quod est illud. Ergo omni possibili concipi potest aliud oppositum.

Prop. XII. Intrinsecus impossibilia sunt infinities infinita.

D. Possibilia sunt infinities infinita (prop. 8.): omni autem possibili esse potest aliud possibile oppositum (prop. 11.) ergo incompossibilia sunt infinities infinita. Incompossibilia autem sunt impossibilia intrinseca (def. 9.): impossibilia ergo sunt infinities infinita.

Prop. XIII. Numerus possibilium est saltem duplo major numero impossibilium.

D. Quodlibet impossibile constat ex duobus saltem possibilibus incompossibilibus; nam tam possibile est esse, quam non esse, simul autem esse & non esse incompossibile; ergo numerus possibilium est saltem duplo major numero impossibilium.

Schol. Possibile est me esse: sed possibile quoque est me non esse: simul autem sunt incompossibilia, idest impossibile intrinsecum. Itaque omne impossibile licet in duo saltem possibilia partiri; quare fit, ut numerus possibilium sit duplo saltem major numero impossibilium.

Prop. XIV. Impossibilia moralia sunt infinities infinita.

D. Possibilia consentanea naturæ Entis infinitæ entitatis debent esse infinities infinita: omni autem possibili concipi potest oppositum (prop. 11.); ergo possibilia opposita naturæ Entis infinite perfecti sunt infinities infinita. Ea autem sunt impossibilia moralia (def. 10.); ergo impossibilia moralia sunt infinities infinita.

Prop. XV. Est impossibile intrinsecum ut ab Ente infinitæ Entitatis fiant ea, quæ sunt moralia impossibilia.

D. Est

D. Est impossibile intrinsecum, ut actio entis infinitæ entitatis pugnet cum sua natura: sed si Ens infinitæ entitatis efficeret ea, quæ sunt impossibilia moralia, ejus actio esset cum sua natura pugnans, quia impossibilia moralia pugnant cum ejus natura; est igitur impossibile intrinsecum ut ens infinitæ perfectionis efficiat ullum impossibilium moralium.

Schol. Hoc paradoxum iis videbitur, qui his rebus contemplandis non sunt assueti. Nam sunt duæ summæ infinities infinitæ rerum, quas Deus efficere nequit, *intrinsecus* nempe *impossibiles*, & *impossibiles morales*; illas ut existentiæ incapaces; hás velut cum sua natura pugnantes. Nam & intrinsecus impossibilia sunt infinities infinita, & infinities infinita sunt impossibilia moralia. Interim adhuc sunt infinities infinita, quæ Deus efficere potest. Hic subit animum illud Apostoli, *o altitudo divitiarum!*

Prop. XVI. Sunt infinities infinita possibilia, quæ rationi nostræ sunt captu impossibilia, & magis etiam impossibilia viribus nostris.

D. Ratio nostra est entitas finita, habetque suæ athmosphæræ terminos. Ergo quæ sunt extra rationis nostræ terminos captu sunt impossibilia. Jam quum a finitæ entitatis terminis ad infinitam gradus sint infiniti, in quibus esse constituta possunt infinities infinita possibilia (prop. 8.) ergo infinities infinita possibilia sunt extra captum rationis nostræ. Eodem argumento altera pars demonstratur.

Coroll. 1. Sunt ergo infinitæ veritates, quæ si nobis participarentur, cum ea ratione, quam habemus, videri deberent absurditates.

Coroll. 2. Potentia Entis infinite perfecti non est æstimanda ex ratione nostra. Nulla enim quantitas finita metiri potest infinitam.]

Prop. XVII. Nihil est sine ratione sufficiente essentiæ, existentiæ, possibilitatis &c. [Nam si est, ex nihilo est; quod esse nequit (prop. 3.)]

Scholion. Rerum igitur *rationes sufficientes* investigare proprium est Philosophi: nam populus rerum phænomenis est contentus; philosophus in rerum causas & principia inquirere debet, quod egregie vocant [Platonici] *mundum intelligibilem*, & populo ignotum vestigare. Qua Philosophia nihil validius est atque efficacius, quum ad vitam

pri-

privatam pacate ducendam, tum quoque ad Reipublicæ tranquillitatem. Et ad privatam vitam quod spectat, hæc investigatio & animum vanis falsisque liberat affectibus, ac paulatim summo vero, ac Primæ causæ admovet, in qua primæ sunt rerum omnium rationes, quæ plene nos beare possunt: & corpus rite ducere, & rectæ rationi parere docet. Ego quoque Lucretii verbis dicam, alia licet in re (a).

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse est
Non radii solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species ratioque.

Prop. XVIII. In factis entibus ratio sufficiens exsistentiæ est in causa, a qua sunt, ratio vero essentiæ immediate quidem in suis *essentialibus*; remotius vero in eadem causa.

[D. Entia facta non sunt a se (ex hypoth.); ergo nequeunt in se suæ exsistentiæ & essentiæ rationem habere sufficientem.] Hinc fit, ut in qualibet causa non tantum ratio exsistentiæ effectus, sed ejus quoque essentiæ contineri debeat, idest effectus perfectiones, & ut vocant, *realitatem*, aut *formaliter*, aut *eminenter* causa complectatur oportet (ex prop. 3.)

Prop. XIX. Ratio sufficiens possibilitatis intrinsecæ alicujus rei est in rei ipsius *essentialibus*, extrinsecæ in causa externa (def. 8.) Eodem modo de ratione impossibilitatis. Ratio vero sufficiens, cur in dato ente quædam sint possibilia, & in ente ipso est, & in causa externa. [Patet.]

Schol. Qui dicit, [ex. gr.] data materia, possibilis ejus divisio in infinitum, hujus possibilitatis rationem & in ipsa materia (quæ est possibilitas intrinseca), & in causa quadam externa, veluti Deo (quæ extrinseca possibilitas est) dare debet. Jam vero ut materia sit intrinsecus divisibilis in infinitum, continere debet partes infinitas realiter distinctas; hæ enim tantum separari possunt (definit. 37.). Itaque si quis probet non posse in qualibet materiæ parte contineri partes absolute infinitas realiter distinctas, is possibilitatem intrinsecam divisionis illius in infi-

(a) *Lib. 3. v. 87. & seqq.*

infinitum penitus aufert, & idcirco *extrinsecam* quoque, quæ ab intrinseca pendet (def. 8.)

Prop. XX. Nihilum nequit continere rationem ullius rei sufficientem; quicunque ergo *nihilum* dat pro ratione sufficiente, is nullam dat.

Schol. Ad revincendos procaces quosdam & inanes disputatores positum est hoc axioma. Epicurei, & Newtoniani Philosophi eo utuntur, ut spatii immensitatem probent. Spatium, inquiunt, si terminat, qua cum re terminat? Respondere, cum nihilo terminare, est nullibi finire: nihilum enim nullibi est. Quæ ratio videtur nobis gravissima. Sed distinguunt quidam inter terminare *cum nihilo*, & terminare in *nihilum*, quæ sunt mere vocabula, quibus non potest nisi eadem subesse notio. Itaque cum terminare in nihilum intelligi a nobis nequeat, quippe qui assueti sumus rerum terminos non alia ratione intelligere, quam aliarum rerum initiis; nihil prohibet hanc mundi extensionem *relative* infinitam respectu nempe rationis nostræ, vocare (def. 69.): Cæterum hæc anxie quærere ejus est, *qui putat tantum sciri posse, quantum quæri*. Etenim ea velle scire, quæ captum nostrum superant, desipere est.

CAP. II.

De Natura Entis Contingentis, & Necessarii, deque Substantia generatim.

Prop. XXI. OMne ens vel est *contingens*, vel *necessarium*. D. Omne ens vel est factum, vel non factum: nihil esse medium potest. Jam factum contingens est (def. 17.), non factum, *necessarium* (def. 11.) omne igitur ens vel contingens est, vel necessarium.

Schol. Buddeus (*a*) quum memorasset *Demonstrationem de Deo* Josephi Raphson editam Londini 1710. ejusque vim elevasset, hanc propositionem, *quicquid exsistit*, aut *a se exsistit*, aut *ab alio*, tacite sugillat, quasi non satis certam, idque auctoritate Actorum Lipsiensium an. 1712. mense Januar. Quod qua ratione quum ille, tum isti fecerint, non satis intelligo. Nullum est enim medium inter

(a) *De Atheism. & superst. cap.* IV. §. 3.

ter hæc duo *per se exsistere*, aut *ab alio*, [non secus atque inter hæc, *aut est*, *aut non est*, quorum alterutrum verum sit necesse est. Vide Aristotelem lib. IV. Metaph.]

Prop. XXII. Si possibilia spectantur, quod ad essentias intelligibiles (def. 29.) haberi debent pro necessariis: Si quod ad id, quod possibilia sunt, seu cum respectu ad possibilem exsistentiam, pro contingentibus.

D. Nam essentiæ intelligibiles sunt æternæ (def. 29.); æternum vero necessarium (def. 11.) quod primum. Deinde, quum hæc entia ut possibilia pendeant a causa externa, in qua est eorum ratio sufficiens (prop. 18.) & hæc sint *contingentia* (def. 17.); sequitur esse contingentia.

[Prop. XXIII. Ratio sufficiens conservationis eadem est atque ratio sufficiens exsistentiæ. Nam conservatio est continuata exsistentia (def. 61.); ergo qua vi quæque res exsistit, eadem conservatur.

Prop. XXIV. Quæ entia sese conservare non sunt potentia, ea ne per se quidem exsistere possunt.

D. Ratio sufficiens conservationis eadem est atque exsistentiæ (prop. ant.); ergo quæ per se conservari nequeunt, ne esse quidem per se possunt.

Coroll. 1. Cujuslibet ergo contingentis ratio sufficiens, quum conservationis, tum exsistentiæ, est extra ipsum contingens.

Coroll. 2. Est intrinsecus impossibile, ut ullum contingens in se habeat rationem sufficientem suæ conservationis & exsistentiæ: nam si id ita esset, id ens esset contingens & necessarium; quod est intrinsecus impossibile (prop. 21.).]

Prop. XXV. Infinita series contingentium sine ente necessario, a quo pendeant, est impossibilis.

D. Cujuslibet contingentis ratio exsistentiæ, & essentiæ & conservationis est in alio (prop. 24. *concl.* 1.); ergo omnium: negato autem *ente necessario*, hæc ratio erit in nihilo, ut patet, idest nulla (prop. 20.), quod repugnat (prop. 3.).

Schol. Evertitur ergo *Fatum Democriticum* (def. 54.) Sane opinio hæc adeo est stupida, ut si paucos Epicureos excipias, cæterorum Philosophorum, qui eam sit sequutus, invenias neminem. Nam Spinoza quanquam prop. 26. 27. 28. *Primæ partis* suæ *Ethicæ* doceat, rem quamlibet ab alia determinari ad exsistendum usque in infinitum; quum tamen prop. 18. & alibi statuat Deum, idest æter-

nam

nam substantiam, primam rerum causam, *το ejus usque in infinitum* intelligi debet, usque ad Deum. Non recte igitur ei fatum Democriticum imputat Witichius. Ipse Spinoza ep. 29. hoc eodem nostro argumento progressum hunc in infinitum evertit, idque argumentum Rabbini cujusdam Ghasdai esse scribit. [Juvat igitur ac delectat veritatem ex ipsis veritatis hostibus extorquere.] Jam & idem argumentum adhibet Aristoteles in 2. Metaph. [ac alibi sæpe & præclare] & ex eo B. Th. 1. contra Gentiles cap. 13. [& alibi] Oleum igitur operamque perdunt, qui in hoc Fato oppugnando nimii sunt. Quod adeo verum est, ut Aristoteles, aliique veteres Philosophi tanquam axioma statuerint, *repugnare progressum causarum in infinitum*. Itaque Aristoteles (*a*) hoc præcipue argumento probat existere primam quandam motuum omnium causam æternam & immutabilem. Interim consulatur Cudworthus egregie ea de re disputans (*b*), & Clarkius prop. 11.

[*Coroll.* Est igitur in perspicuis, *existere Ens aliquod æternum*, idque esse *necessarium existentiæ, & essentiæ*.]

[Prop. XXVI. Quod ens necessitate naturæ suæ existit, idipsum necessitate naturæ suæ conservatur. Nam conservatio non est actio distincta ab ea, qua res quælibet existit; ergo quælibet res qua ratione existit, eadem conservatur (prop. 23.). Quum autem ens necessarium existat necessitate naturæ suæ (ex hypoth.); sequitur, eadem necessitate conservari.

Prop. XXVII. Quodcumque necessitate naturæ suæ existit, totum simul existit: itaque in eo nulla est successio physica.

D. Quod necessitate naturæ suæ existit, id non potest esse contingens (prop. 21.); est igitur necessarium, idest æternum & independens. Ponamus non esse totum simul; erit igitur in eo quod æternum est; ac item quod non æternum, sed interim ex ipsa entis æterni essentia fluens. Hoc quod æternum non est, si ex essentia ipsa entis æterni fluit, in ea continetur (prop. 3. & 4.); quumque nequeat inde manare, nisi per essentialem emanationem; in ea essentia continetur formaliter (def. 15.);
ergo

(a) *Lib. 8. Physic.* [*& sæpe in Libris Metaph.*]
(b) *Systema. Intellectuali.*

ergo priusquam manaret idipsum erat, ac erat ex quo essentia illa erat, ideit ab æterno: est itaque tam hoc alterum æternum & independens, quam essentia illa. Fit igitur ut quod necessitate naturæ suæ existit totum sit simul, nullaque in eo sit statuum physicorum successio.

Coroll. Ens igitur æternum est immutabile.

Prop. XXVIII. Quod necessariam habet existentiam, necessariam habet essentiam.

D. Nam quod necessariam habet existentiam ut sola naturæ suæ necessitate est, sic sola naturæ suæ necessitate conservatur (per prop. 26.); ac proinde (per prop. 27.) est totum simul; itaque immutabile (coroll. prop. 27.) est, ideft necessariam habet essentiam (def. 11.)

Schol. Est axioma Philosophorum omnium consensu statutum, ens æternum esse necessarium, & immutabile. Sane si mutabile esset, quoniam æternum duravit (ex hypothesi) indiguisset æternæ conservationis, atque externæ, ideft ex æternitate ab alio pependisset ente: quod est absurdum; quum ens æternum necessariam habeat existentiam, ideft independentem. Hac vero propositione manifeste evertitur Spinozismi primum fundamentum, quo extensionem mundanam esse attributum Dei statuitur. Ac ne Kuffælerus clamet, nos Spinozæ systema mundanum non esse assequutos, Spinozæ ipsius positiones proponemus. Hic enim rotunde scribit in Ethica (*a*) *extensio attributum Dei est*, *sive Deus est res extensa*. Extensio autem Spinozæ idem est atque mundana materia: hæc vero essentiam necessariam habere non potest; ac proinde nequit esse Dei, ideft entis suapte natura æterni & necessarii attributum. Atque hac in re deridiculus mihi videtur; *ponit* enim, *præter Deum nullam dari neque concipi posse substantiam* (*b*); &, *omnem substantiam esse necessario infinitam* (*c*); &, *substantiam absolute infinitam esse indivisibilem* (*d*): &, *Deum esse rem extensam* (*e*), quæ tam sunt pugnantia, quam quæ maxime. Quis enim intellexerit substantiam suapte natura extensam & quidem materiali extensione, (neque enim in hac *Schola* ulla alia extensio agnoscitur) quæ sit indivisibilis? Negat hic quidem homo in

(a) *Part.* 2. *prop.* 2. (b) *Prop.* 14. (c) *Prop.* 8. (d) *Prop.* 13. (e) *Ibid. prop.* 2.

in Epiſtolis ad Oldeburgium, materiam & extenſionem idem eſſe; ſed materiam & corpora extenſionis hujus modos habet. Author autem *Speciminis ratiocinandi* (1) Spinozæ diſcipulus, contendit, nos ejus viri mentem minime hac in parte, ut in pleriſque aliis, aſſequi. Sed non video quid eſſe poſſit implicitum & obſcurum in hac doctrina, *extenſionem mundanam attributum eſſe Dei; hujus vero extenſionis modificationes eſſe corpora*, ideſt (nam quo alio ſenſu intelligas?) corpora eſſe immenſæ illius extenſionis portiones. Quum vera hæc faciat mutabilia, qui illam immutabilem habere poteſt? Mutabilis autem ſi ſit, qui ſempiterni Entis attributum? Vide quæ dicturi ſumus in ſecunda parte.

Prop. XXIX. Ens æternum, in quo eſt ratio ſufficiens contingentium (prop. 25.), eſt infinitæ entitatis.

D. Hoc ens continere debet rationem ſufficientem omnium contingentium (prop. 25.); ergo omnium poſſibilium, quia poſſibilia reſpectu poſſibilis exiſtentiæ ſunt contingentia (prop. 22.): poſſibilia autem ſunt infinities infinita (prop. 12.); continere ergo debet rationem ſufficientem infinities infinitorum; id quod eſſe nequit, niſi ſit entitatis infinitæ.

Coroll. 1. Ens igitur æternum eſt infinite perfectum *intenſive*, & *extenſive*.

Coroll. 2. Ens æternum non eſt niſi unum. Eſt enim infinitæ entitatis (prop. 29.); igitur unum (prop. 9.).

Prop. XXX. Ens infinitæ entitatis eſt ens æternum & neceſſarium.

D. Ens infinitæ entitatis non poteſt eſſe niſi unum (prop. 9.); eſſe autem debet ens æternum infinitæ entitatis (prop. 25. & 29.); ergo ens infinitæ entitatis eſt ens hoc æternum & neceſſarium.

Prop. XXXI. Ens æternum eſt ens ſimpliciſſimum.

D. Ens æternum eſt neceſſarium exiſtentiæ (def. 11.) & eſſentiæ (prop. 27.), ideſt immutabile: omne autem

(1) Pagina 113. & ſeq. Sed hoc eodem loco agnoſcit Kuffælerus Spinozæ poſitiones eſſe obſcuriſſimas, & duriſſimas. Ipſe autem ita interpretatur, ut valde verear, ut ulli mortalium ſit probaturus. Ait enim res particulares dici a Spinoza Dei modificationes, quod non comprehendantur conceptu primario, quo ſubſtantia, ideſt, Deus, ſed ſecundario, & qui a primario pendeat, & in primario quaſi inædificetur, quod proprium eſt modi. Sed hujus viri locum ſuperius cribravimus.

compositum natura sua mutabile est, ut patet: æternum ergò compositum esse nequit, adeoque simplicissimum est.

Schol. Potuit etiam ita demonstrari, quod simplicia & componentia natura sua priora sint compositis, & primum æternum, utpote independens, nihil prius natura habeat. Præterea quî-nam compositum æternum idem maneret? Agnovit hanc rationem Lucretius: is enim negat atomos potuisse ab æterno existere, si compositæ fuissent.

Nam quoniam fragili natura prædita constans,
Discrepat æternum tempus potuisse manere
Innumerabilibus plagis vexata per ævum (a).

Prop. XXXII. Omnia contingentia sunt mutabilia, & vicissim.

D. Contingentia nequeunt esse infinite perfecta (prop. 9.) nec in se habere plenam rationem sufficientem existentiæ ac essentiæ: quæ vero talia sunt, mutabilia sunt; quod primum. Deinde mutabilia nequeunt esse necessaria, seu in se habere plenam sui rationem existentiæ & essentiæ sufficientem (prop. 27.): quod vero necessarium non est, id contingens est (prop. 21.).

Schol. Consentiunt hac in re Philosophi omnes, nedum Christiani, sed Ethnici vel maxime. Quamobrem Plato in Timæo Patrem atque opificem mundi Deos minores hunc in modum alloquentem infert. *Dii Deorum* (1), *quorum opifex ego, & Pater sum, hæc attendite. Quæ a me facta sunt, me volente indissolubilia sunt: omne siquidem quod vinctum est, solvi potest ... quapropter quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis. Nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea majus præstantiusque nobis est vinculum ad vitæ custodiam, quam nexus illi, quibus estis, tunc quum gignebamini, colligati.* Vide ut sæpe eodem modo argumentatur Aug. in libris de

(a) *Lib.* 1. *v.* 633.

(1) Quid sint isti θεοὶ θεῶν in hoc Platonis loco disputari inter doctos video. Singularis est Moshemii sententia, esse illos stellas, e.. quarum activitate animantia, quæ sunt in Tellure, genita cum Ægyptiis crediderit Plato: Has vero, aut Tellurem cum Aere, Aqua, itidem *Deos secundum Platonem*, gignere homines. Vide observata ab eo ad caput 4. systemat. intellect. §. 14. not. 41. Nimis est allegorica hæc interpretatio, sed a Theologia Græcorum veteri non aliena. Nam Eusebius in Præp. Evangelica veterem illam Græcorum Theologiam ab Ægyptiaca manasse, eique esse propterea affinem, pluribus demonstravit.

de lib. Arb.) Eodem modo ratiocinantur Patres ferme omnes veteris Ecclesiæ Christianæ, dum Angelos non natura sua, sed voluntate Dei Patris, esse immortales docent, *quod quicquid initium habet, & desinere suapte natura potest*, inquit Damascenus (*a*). Sed, inquiunt, substantiæ simplices sunt *indissolubiles*. Respondent, indissolubiles quidem esse spectatis naturæ viribus, non tamen independenter. Nam quum suapte natura, ut ii cum pluribus Philosophis putant, compositæ sint metaphysice ex re aliqua seu subjecto, & vi activa, non est necessarium absolute, ut ea vis activa rei illi simplici conveniat, sed hypothetice tantum, posito scilicet, quod ita Deus velit. Præterea vires creatæ etiam *substantiales* finitæ sunt: perpetuo ergo suapte natura mutabiles sint necesse est: itaque a Deo rerum omnium opifice ut sunt, ita conservantur, quousque conservantur. (Hæc tamen non vetant, quin mentes omnes creatæ suapte natura sint immortales, licet eæ nec esse per se, idest sine Dei Actione, possint, nec conservari, quod veteres illi intelligunt.)

Prop. XXXIII. Existunt contingentia.

D. Omnia hujus universi entia aut non sunt infinite perfecta, aut corporea sunt & mutabilia, ut patet; ergo contingentia (prop. 32.)

Schol. Ne Spinoza quidem id negaverit, qui diserte scribit, *hominis essentiam non involvere necessariam exsistentiam* (*b*), nempe homines esse entia contingentia. Plato vero (*c*), Platonicique hæc omnia universi entia *non entia* potius appellanda putant, ac umbras *entium*: est enim illis ens idem quod æternum, & immutabile: ejus autem generis in Platonica Schola sunt *Deus*, & *ideæ*: idearum illarum mundus umbra quædam est & vestigium. Quod emphaticus dictum accipere debemus, ut intelligamus, mutabilia esse hæc, non eodem semper habitu, neque modo constantia, quorum non scientiam, sed opinionem per sensus habeamus. Sic autem ad rem nostram accommodate Plato ipse ratiocinatur in Timæo. *Universum cernitur, tangiturque, & corpus habet: omnia vero hujusmodi sensus movent: quæ sensus movent opinione per* F 2 *sen-*

(a) *Lib.* 2. *de Orth. fide cap.* 3. *Legatur Petavius de Angelis, lib.* 1. *cap.* 4. & 5. (b) *Ethicæ part.* 2. *ax.* 1.
(c) *In Theæteto, Timæo, alibique.*

ſenſum percipiuntur (nam ſecundum Platonem ſcientia eſt tantum *eſſentiarum*, ideſt idearum æternarum): *hæc vero talia eſſe conſtat, ut gignantur, & genita ſint.* Adhibet eadem ſæpe Auguſtinus in libris de lib. Arb.

Prop. XXXIV. Exſiſtit ſubſtantia æterna, & incorporea.

D. Exſiſtunt Contingentia (prop. 33.); ergo & neceſſarium aliquod (prop. 25.), & quidem nedum exſiſtentiæ, ſed etiam eſſentiæ (prop. 14.): id vero eſt ſimpliciſſimum (prop. 28.); adeoque incorporeum: exſiſtit ergo ens æternum & incorporeum. Quum autem id a nullo pendere poſſit intrinſecus (def. 11.): eſt vera ſubſtantia (ex def. 21.). Exſiſtit ergo ſubſtantia æterna & incorporea.

Schol. Atque hæc eſt ut communior, ita facilior ſecuriorque via aſſerendi ſubſtantiam incorpoream, quam longiſſima illa & incerta ex exſiſtentia ſpatii alicujus incorporei, quam preſſit Henricus Morus in Enchiridio. Hac autem re ſemel demonſtrata, omnino Atheiſmus, Pantheiſmus, atque Materialiſmus ſubvertuntur, & quidem funditus ac radicitus. Materialiſmi enim hoc caput eſt, ſubſtantias incorporeas exiſtere non poſſe. Hinc Hobbeſius in Leviathane, & in Dialogo, qui appendix eſt ad Leviathan, Deum corporeum facit, eo argumento, quod quæ corpore deſtituuntur, omnino non ſunt. Eodem modo & Tolandus ſubſtantias incorporeas phantaſmata eſſe, & fabulas contendit. Spinoza vero celeberrimo illo atque ſtabili cogitationis & extenſionis connubio ſubſtantias omnino incorporeas & ipſe ſubſtulit. Quum autem, ut paullo poſt oſtendemus, ſubſtantia nequeat eſſe niſi ſimplex: ſequitur, Atheos iſtos omnes omnino ſubſtantias abſtuliſſe. Tantum nempe in Metaphyſicis profecerant!

Coroll. Ex ſuperioribus propoſitionibus ſequitur. 1. Hoc Ens æternum non eſſe materiam. 2. Fatum materiale, quod Democriticum vocavimus, eſſe chimæram.

Prop. XXXV. Contingentia nequeunt eſſe attributa, aut partes, aut modi ſubſtantiæ æternæ & incorporeæ.

D. Eſt enim illa ſubſtantia ſimpliciſſima (prop. 31.), & immutabilis (prop. 28.); contingentia vero mutabilia (prop. 32.). Præterea ſubſtantia illa eſt infinite perfecta (prop. 29.), contingentia non item. Ex quo ſequitur, partes Mundi, quæ entia ſunt contingentia (prop. 33.), haberi non poſſe pro partibus Dei, ut putant Spinoza, & Tolandus.

Scho-

Scholion. Spinoza statuit, *Quicquid est, in Deo est* (*a*). Quum autem vocaverit accidens, quicquid in alio est (*b*), deduxit omnia quæ exsistunt, esse vel attributa, vel modificationes Dei, vel substantiæ æternæ. Id etiam arripuit Tolandus, qui sciscit, *Mundum aut naturam rerum esse solum numen, neque genitum, neque interiturum* (*c*), quod Plinianum est.

Prop. XXXVI. Est *impossibile intrinsecum*, attributa aut modos existere sine substantia aliqua.

D. Impossibile intrinsecum est, quod pugnantia complectitur (def. 9.): attributa autem & modos existere sine substantia contraria complectitur: nempe de essentia attributi & modi est ut a substantia aliqua intrinsecus pendeat (def. 24. & 22.) est igitur impossibile intrinsecum, modos sine ulla substantia existere.

Schol. Hinc patet, fieri nulla potentia posse, ut existat motus sine re, quæ moveatur, figura sine extensione, extensio sine re ulla, cujus sit modus, actio sine principio activo, & quæ sunt his similia. Magni est usus in Physica, & Metaphysica axioma istud.

Prop. XXXVII. Præter substantiam æternam necesse est ut existant aliæ substantiæ factæ.

D. Existunt contingentia (prop. 33.), eaque neque attributa, neque partes, neque modi sunt substantiæ æternæ (prop. 35.). Quum autem attributa, aut modi existere nequeant sine aliqua substantia (per prop. sup.); sequitur aut contingentia isthæc esse substantias, & quidem factas, aut attributa & modos substantiæ alicujus factæ.

Schol. Plures hinc Spinozæ propositiones radicitus convelluntur. Primum propositio 6. *partis primæ*, quæ ita concepta est, *una substantia nequit produci ab alia:* tum 14. ejusdem partis, quæ sic se habet, *præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia:* tum quoque aliæ locis suis commodius memorandæ.

Prop. XXXVIII. Substantia etiam facta nequit esse nisi simplex.

D. Substantia a nulla re intrinsecus pendere debet (def. 21.): composita vero intrinsecus pendent a componenti-

 bus,

(a) *Part.* 1. *prop.* 15. (b) *Ibid. def.* 5.
(c) *Vide Symbolum fidei Tolandicæ apud Jenkinum in hist. Atheismi.*

bus, uti dici potius possint conflata ex substantiis, quam substantiæ, ut patet; substantia ergo nequit esse composita physice, adeoque omnis substantia simplex est.

Schol. Egregie id observatum primum Platoni, hinc aliis, nuper vero demonstratum Wolfio. Ex quo patet corpora non posse apud Philosophum *proprie* substantias appellari, sed apud vulgus tantum. Corpora ergo sunt aggregata ex simplicibus substantiis, ut olim Pythagoras, & Lucretius, nunc vero Leibnitius, & Wolfius putant; licet a Lucretio in eo differant, quod has substantias nec extensas, nec quantas velint.

Prop. XXXIX. Substantia contingentium nequit esse una & indivisibilis.

D. Omnis substantia est simplex (prop. 38.) adeoque indivisibilis: contingentia autem alia ab aliis dividuntur & separantur, ut patet; eorum igitur substantia esse nequit una & indivisibilis.

Schol. Hinc patet corpora constare ex innumerabilibus substantiis simplicibus. Quam incomprehensibilis sit primarum substantiarum numerus quæ vel in minimo corpusculo continentur, infinita prope sunt experimenta, quæ demonstrant. Auri granum cubicum, cujus latus lineæ medietatem pateat, in tenuissimas lamellas ducatur: conficientur 50. digiti quadrati. Si singula latera digiti quadrati distribuantur in quadratula vix oculo visibilia, granum illud divisum reperietur in 2000000, idest in duos eorum quadratulorum milliones. Jam hæc quadratula superiorem habent & inferiorem superficiem; ergo is numerus erit duplus; continentur igitur eo auri grano partes oculo visibiles 4000000, nempe quatuor milliones. Si accipiatur microscopium, quo diameter visibilis trigesies augeatur, partes grani illius, quæ tum se oculo exhibebunt, erunt 3600000000, idest 3600. milliones. Interea hujusmodi particulæ, quæ sua exiguitate omnem imaginationem exhauriunt, nondum sunt simplices illæ, ex quibus primum corpora constant; quia acutiori adhuc microscopio major quoque particularum multitudo cernitur. Præterea unum thuris granulum dividi potest in partes oculo visibiles 320000000000, quæ nondum prima sunt elementa; quæque si eodem microscopio cernantur, emerget numerus trigesies major. Lewenoeckius microscopio animalcula detexit supra 22. milliones minora,

quam

quam est granum piperis; quæ tamen omnibus membris animalibus instructa fuisse necesse est. Quam igitur grandes eorum esse oculos existimabimus? Tum quanta oculi pupilla? Quanti oculorum musculi? Mitto alia propemodum infinita, quæ ex odore, ex lumine &c. colligi possunt argumenta, quæque iis sunt familiaria, qui vel primis labellis res physicas degustarunt.

Quibus ex rebus conficitur I. numerum corpusculorum quæ in minimo alioquin corpusculo continentur, omnem humanum captum exsuperare. II. Primas corpusculorum illorum substantias omnino inextensas esse oportere. III. Singulas aliqua esse virtute, seu activitate præditas: quæ sese contineant, ne dissocientur.

CAP. III.

De Relatione generatim, & ontologice.

Prop. XL. Relatio, seu ordo realis in rei essentia habet fundamentum.

D. Nulla relatio est sine ea ratione, qua constituitur (def. 19.): eaque ratio si mere arbitraria est, relationem constituit aut rationalem, aut moralem (ibid.): ergo ratio, quæ realem relationem seu ordinem constituit, nequit esse arbitraria. Quod autem est, nec arbitrarium est, id natura ipsa constat, seu in rei ipsius essentia inædificatur; ordo ergo realis in rei ipsius essentia habet fundamentum.

Prop. XLI. Relationes similitudinis, aut dissimilitudinis, identitatis, aut diversitatis entium, sunt reales.

D. Entia similia sunt, aut dissimilia, eadem aut diversa, ob similes aut dissimiles essentias, similes aut dissimiles proprietates (def. 82.); quum essentia rei consistat in unione indivisibili omnium ejus proprietatum (def. 27.); sequitur entia similia esse aut dissimilia, eadem, aut diversa, ob suas essentias. Quæ autem relatio in rei essentia habet fundamentum est realis (def. 18.); relationes ergo similitudinis, vel dissimilitudinis &c. sunt reales.

Prop. XLII. Relationes reales evanescere nequeunt, iisdem manentibus rebus, inter quas sunt.

D. Si eadem subjecta manent, eædem sunt essentiæ; ergo eædem relationes reales (prop. 40.)

Coroll. Itaque necesse est, ut alterum saltem subjectum

aut pereat, aut mutetur, ut hujusmodi ordines commutentur.

Prop. XLIII. Relatio etsi ex internis rei proprietatibus proficiscatur; tamen ipsa per se nihil realis perfectionis enti addit, nisi quum ita res sunt connexæ, ut unius integra perfectio ex relatione cum alia proficiscatur. Primum, quia ea relatio non est, ubi alterum subjectum, quodcumque est, nullum est: alterum autem subjectum ad essentiam primi non pertinet; itaque integra prioris subjecti essentia consistere ipsa per se potest sine ea relatione. Altera pars ipsa per se patet.

Schol. Potest igitur res quælibet plurimas habere relationes. Relationum autem numero aucto, aut diminuto, ex mutatione earum rerum, quibuscum relationes sunt, nihil mutatur in re ipsa, in qua relationes spectamus, nisi si ita sint connexæ, ut earum perfectio ex mutua relatione pendeat. Hinc intelligitur, qui fiat, ut Deus novas semper relationes cum creaturis acquirat, aut amittat, nec tamen mutetur. Contra si res creatæ quasdam relationes amittant, de sua perfectione deturbentur.

Prop. XLIV. Rerum hujus Universi relatio cum Caussa prima est eis essentialis, àc tota earum perfectio.

D. Entia hujus Universi omnia sunt contingentia (prop. 33.); ergo actione caussæ æternæ sunt & conservantur (prop. 15.); relatio ergo dependentiæ a Caussa æterna est eis essentialis &c. Ac vero ea sublata, non modo perfecta non sunt, sed ne esse quidem possunt.

Prop. XLV. Si universum est totum ordinatum, nullum est in eo ens; quod non habeat cum omnibus aliis relationem realem, cujusque perfectio non pendeat ab omnibus.

D. I. Si est, id pars Universi non est, nam relatio partis cum toto & realis est, & essentialis naturæ partis (def. 18.); est igitur extra totum, idest extra Universum, quod est contra hypothesim.

Alterum. Perfectio earum partium, quæ ita concatenatæ sunt, ut unum totum ordinatum efficiant, ab earum reciproca relatione pendet; est autem in Universo ordinato inter omnes ejus partes relatio (ex hypothesi); ergo singularum ordinati Universi rerum perfectio pendet ab omnibus.

Prop. XLVI. Relatio rerum hujus mundi, si mundus est unum harmonicum, aliarum cum aliis realem earum constituit perfectionem.

D. Nam si mundus est unum harmonicum, res hujus mundi

ita

ita sunt suapte natura aliæ cum aliis concatenatæ, ut ordo sit reciproca omnium perfectio. Hinc sequitur, ut extra ordinem aliquid eis realis perfectionis desit. Relatio ergo aliarum cum aliis earum perfectionem constituit.

Schol. Id quisque per se intelligere potest, modo corporis humani partes contempletur. Nulla enim earum est, quæ extra corpus integram suam perfectionem habere potest. Si ex. g. tunicam corneam ex eo oculi loco extrahas, in quo natura sita est, ejus ordinem deturbabis; nec ea erit amplius id, quod est, quippe quæ non eodem fungetur officio. Quum totum Universum non minori, nec concinniori ordine contextum sit, quam corpus humanum; fit, ut nulla sit totius universi pars, quæ si vel hilum ab ordine, in quo sita est, deflectat, suam perfectionem aut retinere, aut consequi possit.

Prop. XLVII. Eorum entium, quæ voluptatis & doloris capacia sunt, felicitas, quæ eis contingere in Universo harmonico potest, tota posita est in ordine cum Universo; miseria in ejus ordinis perturbatione.

D. Hæc felicitas pendet a perfectione, miseria ab imperfectione. Quum autem eorum entium perfectio posita sit in ordine (prop. 45.), atque hinc imperfectio in perturbatione; fit ut in eo ordine servando eorum consistat felicitas; perturbatio cum miseria sit conjuncta.

Prop. XLVIII. Nequeunt entia hujus mundi *realiter* distingui sola relatione.

D. Nam ea apud nos realiter distinguuntur, quæ separatim intelligi, & esse possunt (def. 36. add. Schol.): id autem efficere nequit sola *relatio*, quippe quæ nihil realis perfectionis *enti addit* (prop. 25.).

CAP. IV.

De essentiarum origine prima, deque primis hujus rerum universitatis exordiis intelligibilibus.

Prop. IL. Rerum essentiæ archetypæ immutabiles sunt: factæ contingentes.

D. Rerum essentiæ archetypæ intelligibiles continentur intellectu mentis æternæ mundi architectricis (def. 29.): Mens autem illa quum sit ens æternum (ex hypothesi), est ens necessarium existentiæ & essentiæ (prop. 31.), idest immutabilis (def. 12.). Quumque sit ens simplex; quicquid

in eo est, unum est, æternum, & immutabile. Essentiæ igitur istæ immutabiles sunt; quod erat primum. Deinde essentiæ factæ nihil habent æterni: nam non per essentialem emanationem ex æterna substantia esse potuere (prop. 35.) sed ex nihilo factæ esse debuerunt: sunt ergo entia contingentia (def. 17.) atque idcirco suapte natura mutabilia (prop. 32.)

Scholion. Essentias istas intelligibiles ideas vocabat Plato, & κατ' ἐξοχήν, οὐσίας seu *essentias*, earumque simulacra esse, quæ mundo facto continentur, passim, præcipue in Timæo, edisseruit. Sed quum hic Philosophus primam corporum materiam, seu monadas & atomos, fecerit æternam, quidquid contra molitur Huetius (1): efficitur ut in ejus systemate mentium & formarum, atque compositarum rerum, non vero primarum corporum substantiarum essentiæ æternarum essentiarum sint simulacra.

Illud fortassis opponet aliquis, quum essentiæ archetypæ sint immutabiles, factæ mutabiles, fore ut hic mundus nec respondeat æterno, nec intelligatur a Deo. Respondemus omnes facti mundi mutationes immutabilibus ideis æternis contineri. Non alia ratione atque si animo præconcipiam omnes possibiles figuras quatuor horum numerorum 2. 3. 4. 5., videamque inde eas ab aliquo Arithmetico ita confici, ut semper posteriores deleant priores, quod fit facillime si quatuor illi numeri quatuor globulis sint inscripti, figuræque

---

(1) In Alnetanis lib. 1. cap. 5. Nititur verbis Hieroclis apud Photium, qui tradit, juxta Platonem Deum ἐκ μηδενὸς ὑποκειμένου *ex nulla subjecta re* mundum fecisse. Sed primum nego Hierocli Platonis mentem melius quam aliis perspectam: nemo mediocriter in scriptis juniorum Platonicorum versatus, ignorat, quanta illi Platoni suo imposuerint, id quod egregie demonstravit eruditissimus Moshemius Notis ad Cudworthum. Deinde constat Platoni & Aristoteli materiam corporis expertem positam, vocatamque μὴ ὂν *non ens*, & *nihilum*, id quod faciunt & Platonici ac Peripatetici juniores, in primis Porphyrius, & Plotinus. Nempe his materia est res extensa quidem; sed minime comprehensibilis, minimeque sensibus subjecta, contra quod corpusculares Philosophi opinabantur. Vide laudatum Moshemium Nota 2. ad Cudworthi cap. 5. sect. 2. §. 27. Itaque plerumque ex nihilo mundum dicunt factum, eisque nihilum materia est. Igitur potuit hoc spectare Hierocles. Porro scio Cudworthum audacter affirmare, ex mente Plotini, Porphyrii, Jamblici, Hieroclis, Procli, aliorumque Scholæ Platonicæ doctorum Mundum ex nihilo factum (Systematis intellectualis cap. 5. sect. 2. §. 15.) Sed vereor ne pejora veteri errori substituerint Alexandrini isti philosophi. Nempe tota hæc Platonicorum juniorum Alexandrina Schola, materiam ac mundum a Deo ab æterno fluxisse opinabatur, Deumque non tempore, sed natura & dignitate eo anteriorem esse; qui idcirco, si sibi consentire velint, non video, in quo distent a Spinozismo.

que fiant ex quatuor illorum globulorum varia combinatione: tunc profecto figuras mutari video, immotis animi ideis.

Prop. L. Existunt in Ente æterno essentiæ intelligibiles numero infinities infinitæ, in intellectu quidem tanquam in potentia intelligibiliter creatrice, in essentia, tanquam in infinita perfectione *eminenter*, in potentia ut in causa possibilitatis extrinsecæ.

D. Prima pars. Rationes sufficientes contingentium sunt in ente æterno (prop. 25.): sunt autem contingentia, & facta omnia, quæ hoc universum spectant (prop. 33.) & possibilia (prop. 22.) idest infinities infinita (prop. 8.): infinities ergo infinitorum contingentium rationes sufficientes sunt in ente æterno. D. 2. Pars. Rationes istæ sufficientes contineri debent partim claris æternisque contingentium ideis: nam quum ens æternum sit immutabile (prop. 28.), novas ideas habere non potest; partim infinita sua essentia *eminenter*; nam nisi in ea contineantur, ne in intellectu quidem continebuntur, quum ejus intellectus nihil *primario* sibi repræsentare possit nisi ejus essentiam (ex hypothesi, quum ipsum tantum sit æternum); partim tandem in potentia, quæ nequit non esse suæ essentiæ & intellectui æqualis: ergo omni modo essentiæ intelligibiles numero infinities infinitæ in ente æterno continentur &c.

Scholion. Rem hanc in Epistola ad amicum data ex Thoma Aquinate sic explicui. Ex æterno unicum fuit divini intellectus objectum, Dei nimirum ipsius natura & substantia. Quum se ergo intelligeret Deus, contemplabatur infinitas sui perfectiones, simulque videbat ex infinitis sui perfectionibus, si entia finitarum perfectionum confici possent, ea fore numero, & generibus infinita, non alia ratione atque ex infinita superficie infinitæ numero & generibus figuræ planæ fieri possunt. Hæc quum intelligeret, tum entium illorum possibilium essentias *intelligibiliter* creabat, quæ sunt ejus ideæ *immortales*, *immutabiles*, *inviolabiles*, inquit Seneca (*a*).

Sed illud moleste quis rogitet, capax ne sit Dei intellectus *abstractionis*, seu peculiaris & propriæ rerum cognitionis ex simplici sua natura haustæ? Nisi enim abstrahat, qui in se ac natura sua infinita possibilia, numero quidem infinita, finitarum vero essentiarum, intelliget? Ut

(a) *Ep.* 58. *Consulatur & Plotinus lib.* 9. *Ennead.* 5. *cap.* 5.

Ut quo infinita linea in se infinita designet triangula, infinita quadrata, infinita cetera polygona &c., ratione utatur abstracta necesse est. At Deum intelligentia uti abstracta non videtur posse, quando ejus intelligentia una est & necessaria, ac ejus *esse*, nec successiva, sed permanens, ut nullo pacto sit varie modificabilis. Me hic ab infinito absorberi fateor: nec tamen a priori illa doctrina dimoveor: est scilicet in Dei natura infinitum, ut ita dicam, spatium, quo humanæ mentes ire nequeunt. Quid si divina illa essentia talis suapte est natura, ut infinita illa possibilia distincte exhibeat, quin uti abstractione necesse sit? Ac ita esse debere videtur: alioquin si nihil exhibet, ne nihil quidem extra illam possibile est: ac si nihil possibile, ne nihil quidem extra illam existens. Id quod quum sit falsum, possibilia sunt infinita, ac infinita divina exhibet natura. An ob hujus rei difficultatem Plato *ideas æternas* & *substantiales* commentus est? Sed id impietati aditum aperit: necesse enim est, ut non sit absolutissimus Dei intellectus, si ab his ideis perficitur, quod Aristoteles acute objicit. Idem porro dictum esto de iis, qui Deum hæc infinities infinita, non *propria ratione cognoscere* (sic enim loquuntur), sed communi, docent; id quod tantumdem est, atque negari illi individuorum scientiam, quod si verum est, qui erit ille rerum providus? Atque hinc factum, ut Theologi omnes singularium quoque *ideas* in Deo esse scripserint, easque modo *ideas*, modo *rationes* appellaverint. *Singula* (inquit Augustinus *lib.* 83. *qq. q.* 46.) *propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris?* Vide ut hac de re disputat S. Thomas *I. P. q. XIV. art. 6.* Fateamur interea, ut in ceteris divinæ naturæ rebus, nos facilius intelligere id ita esse debere, quam qua ratione id fit.

Qui his de rebus ita differunt, ut omnia Naturæ divinæ arcana perscrutari velle audacius, quam par est, videantur, hoc etiam quæsivere, qua tandem ratione creaturæ omnes sint in Deo? Simplicissima res est Deus. In hac vero simplicissima essentia quo modo tot diversas ac distinctas rerum naturas ac essentias comprehendi dicemus? Ac contineri quidem, quocumque tandem modo, id nullo pacto in dubium vocare possumus: *Quia* (inquit S. Thom.) *quidquid perfectionis est in effectu, oportet inveniri in causa effectiva .... quum ergo Deus sit prima causa effectiva rerum,*

opor-

oportet omnium rerum perfectiones praexistere in Deo secundum eminentiorem modum (*a*). Ad quem locum adnotat *Joannes Nicolai*, in Deo *omnem entitatem*, *omniaque singularia esse*; &, quod Pseudo-Dionysius scribit, *Deum esse omnia*, *quia sit omnium auctor*. Præterea, *Deus est ipsum esse*, *ergo totam perfectionem essendi in se continet ..... omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem essendi ...... unde sequitur*, *quod nullius rei perfectio Deo desit* (*b*); probatque eo in loco Pseudo-Dionysii illud, quod *Deus idcirco sit esse subsistentibus*.

Sed qua tandem ratione hæc in Deo contineri dicemus? *Eminenter*, inquit hic idem Doctor. Sunt in Dei intellectu, quia intelliguntur: in potentia, quia fieri possunt. Sed an etiam in essentia? *Si considerentur creaturæ* (inquit Durandus (*c*) *secundum esse virtuale suæ Causæ*, *secundum quod in sua causa præexistunt .... sic creaturæ possunt dici esse in Dei essentia*, *quia sunt ipsamet divina essentia*, *quæ est sua virtus productiva creaturarum*. Dixerat Anselmus in Menologio (*d*), *quod res verius sunt in Deo*, *quam in seipsis*. Hoc ita intelligit idem Durandus, quod creaturæ virtute in essentia Dei existentes *sint ipsa creatrix essentia*, quia ipsa creandi vis in Deo ipsius est *essentia creatrix*. Negat autem, *formaliter esse* in Deo, a quo cavendum est, nisi Deum cum rerum natura miscere velimus.

Interim quidam fuere, qui minime his sibi satisfecere. Scotus emanare omnia a Deo dicere videtur, idque probat Interpres ejus Philippus Faber (*e*). Is vero docet, ut numeri in unitate, ita omnia in uno Deo contineri. Fieri potest, ut hæc ex Aristotelis mente, quod illi solent, dicant. Nec defuere, qui censerent, nescio quas *entitatulas*, quæ *entia diminuta* vocant, res creatas ac possibiles in Deo habere æternas. Quæ si ita intelligantur, ut præter divinas ideas, ejusque vim creatricem, creatæ res quidquam habeant æterni, a tota ratione sunt enormia. Ita enim si esset, non potuissent hæc prodire, nisi per emanationem: quam vero emanatio hujusmodi rerum a Deo, & cum natura

(a) *Th.* 1. *p. q.* 4. *art.* 2. *in corp.*
(b) *Idem ibid. vide & Schol. in* 1. *sent. dist.* 36.
(c) *In* 1. *sent. dist.* 36. *q.* 2. (d) *Cap.* 36.
(e) *In philosophia naturali Scoti theoremate* 56. *cap.* 3.

tura Dei ipsius, & cum contingentium natura pugnet, id satis opinor, constat ex superioribus.

Nihil ego nunc de Patricio dicam. Is in hac re adeo est non multus modo, sed ænigmaticus, ut lectorem patientissimum irritare possit. Quæcumque enim Plotinus (a) ac reliqui juniores Platonici de *uno ac sibi sufficientissimo principio* rerum dixere, excerpsit, & veluti conglomeravit. Dictu vero difficile est, quam morosi sint Platonici, ac imprimis Plotinus iste, dum de *uno* disserunt. Illud perspecte cavendum, quod quandoque ii *Deum esse omnia*, & *unomnia scribunt*, ut non satis intelligas, qua re a Pantheistis discernantur. Deum esse unum absolutissimum, & perfectissimum, & sibi sufficientissimum, inde constat, quia naturæ necessitate est, ac propterea est omne id, quod esse natura sua potest, idest undique infinitum. Arripit hoc ille, *atque hæc irrefragabilis est ratio*, inquit (*b*), *cur nihil ei desit. Omnibus ergo affluit. Ergo in se habet omnia.* Recte quidem hæc, si eminenter: nam Deum in se, ut in primo ac sufficientissimo principio continere omnia, & velut in exemplari omnium, & eminenter, velut in Natura perfectissima ac potentissima, eoque sensu esse omnia, id est exploratum. Sed hoc etiam Deo tribuere, quod hic tribuit, *hyparxin*, seu *existentiam ejus esse omnia*, nimis mihi crudum videtur.

Coroll. Prima ergo ratio sufficiens possibilitatis rerum omnium in æterna est & infinita Dei intelligentia.

Prop. LI. Omnia possibilia systemata, sive ordinationes substantiarum possibilium ideis æternis comprehensarum, intelligentia Entis æterni continentur.

D. Nam nisi contineantur, possibilia non sunt, quando constat primam rationem sufficientem possibilitatis rerum in æterna esse intelligentia (ex superiori coroll.)

Scholion. Sane nisi omnia systemata a mente æterna, atque æterna intelligentia comprehendantur, duorum alterum efficietur, aut nunquam omnia posse comprehendi, aut novas in ea excitari perceptiones posse; quarum illud possibilitati systematum, hoc immutabilitati mentis æternæ repugnat. Est hac in re Augustini locus egregius & memoratu dignus: *occurrit*, inquit, *animo quiddam mirum, sed*

(a) *Vide Plot. Enn.* v. *lib.* iv. *cap.* i. *&* *Enn.* vi. *lib.* 9. *& alib.*
(b) *Panarchias lib.* 7.

sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset: Deo autem nisi notus esset, esse non posset (a).

Prop. LII. Systemata illa possibilia nequeunt esse omnino arbitraria, sed nasci debent ex essentiis substantiarum possibilium, idest idearum æternarum, iisque essentiis adaptari, idest earum relationibus esse consentanea, ut ordinata esse possint.

Schol. Habeo tanquam axioma. Sane voluntas est mentis determinatio ex intellectione pendens, ac intellectionem *essentialiter* consequens; intellectio porro substantiarum illarum in mente æterna nihil sibi fingere potest, quod non sit, sed suas sibi infinitas perfectiones repræsentat, in iisque substantias possibiles intelligendo delineat (ex Schol. prop. 50.); quæ suas habent immutabiles relationes, quibus systemata esse consentanea absolutissima ordinis ratio exigit. Systemata ergo substantiarum possibilium intelligit ex ipsarum substantiarum, seu æternarum idearum, essentiis fluentia, essentiisque illis idcirco aptata. Ordines igitur illi & systemata intelligibilia *ut possibilia* a voluntate Dei non pendent, sed æterna sunt & necessaria, quemadmodum æterna ac necessaria est Dei ipsius simplex intelligentia, qua continentur, & cujus vi intelligibiliter primum procreantur. Hinc S. Thomas perspectissime pronunciat, *Divinum scire habere necessariam habitudinem ad scita* (b). Quæ si animadvertisset is de circo philosophus, qui in hoc loco cespitavit, minus, opinor, subiratus mihi fuisset. Enim vero, si quis eum roget, ecquid? *Scientia simplicis intelligentiæ*, ut Theologi vocant, a voluntate ne Dei est? Negabit, si se, ut ajunt, Theologum profitetur. Sciat autem, de hac scientia me hic loqui.

Hoc in loco quasi in antecessum animadvertatur volo, voluntatem Dei cum duplici notione accipi a Theologis, una, ut se suamque naturam spectet, altera, ut res possibiles, quas libere volens *futuras* facit. Quum primo modo accipitur, *est necessaria habitudo* Dei ipsi, ad suam naturam & bonitatem, qua ille natura & bonitate beatus est, & in qua velut in perfectissimo fine quiescit. Itaque hoc sensu accepta Dei voluntas necessaria est, quemadmodum ipsa Dei natura. At si cum altera notione accipiatur, referri item potest, aut ad possibilium *intelligibiles essentias*, aut ad earum *futuram existentiam*. Intelligibiles

(a) *De Civit. Dei lib.* XI. *cap.* 10.
(b) *Prima parte quæst.* 19. *Art.* 3. *ad* 6.

biles rerum essentiæ sunt *ipsum Dei esse*, *quo continentur eminenter*, ac proinde immutare illas, aut quocumque modo earum ordinem turbare, voluntas Dei nequit: se nempe Deus suamque naturam immutare, aut proturbare, quum necessario sit quod est, non potest. Existentia vero possibilium rerum necessaria Deo non est; est enim ille sibi natura sua & ad existendum, & ad bene beateque existendum sufficientissimus; quapropter ad hujusmodi res progignendas nulla potest impelli nec externa coactione, nec suæ naturæ necessitate. Itaque hæc rerum existentiæ in Deo voluntas, *est libera sui ipsius ad hujusmodi res procreandas determinatio*. *Liberam* autem dico, nempe in causa & natura, quia nec ab ulla externa causa adigi potest, nec a sui natura necessario inflecti ad ea extra se ponenda, quæ ei nihil addere nec perfectionis, nec beatitudinis possunt. Vide ut hæc iisdem ferme verbis explicat, quem ego satis laudare nequeo, Metaphysicorum omnium maximus Thomas Aquinas (*a*). Ceterum cave putes, voluntatem Dei, qua se & naturam suam spectat, vim quasi pati, ac invitam rapi, quod necessario se Deum amare, & in se quiescere dicimus: nam hoc est perfectissimæ Dei naturæ, & beatitatis proprium, ut non possit non in optimo & perfectissimo conquiescere. Quod hoc confirmat, quod nullum est objectum facultatis illius rationalis, quod ei facultati vim inferre possit, & rapere invitam; quippe quod quo id objectum est perfectius, eo magis est facultati illi consentaneum. Omnem igitur ab hac necessitate coactionis & violentiæ suspicionem amoliri debemus, nisi impii & stulti simus. Itaque vocabulum *necessarium* hoc in loco *immutabile* significat, non *coactum*.

Sed & illud adnotari volo, hujusmodi Dei intelligentiam plenam hujusmodi ideis, regulam voluntati divinæ esse, qua illa agat, ut voluntas Dei *essentialiter* ei regulæ sit conjuncta. Nihil nempe Deus sine ratione, arte, regula, nec vult, nec efficit; quum inter res creatas, inquit ad rem Augustinus, tanto quælibet est perfectior, quanto accuratiori ratione, arte, regula agit; ut absurdum sit suspicari Deum, idest supremam rationem, quidquam efficere sine arte & regula, idest sine ratione. Ratio autem hujusmodi, si quidquam in re tam sublimi atque ab intelligentia nostra remota, pronunciare licet, e natura ac relationibus essentiarum intel-

(a) *Prima parte qu.* 19. *Art.* 1.

intelligibilium, ideſt divinarum idearum, proficiſcitur. Ea vero lex eſt æterna, adverſus quam nihil Deus extra ſe efficit. Eadem a ratione noſtra intellecta, & ſanctione divinæ voluntatis conſtabilita, *Naturæ lex* dici poteſt. Vide ut hæc acute ediſſerit S. Auguſtinus in libris *de Libero Arbitrio*.

Prop. LIII. Plurima poſſibilium ſubſtantiarum ſyſtemata ſimplicia ſunt poſſibilia.

D. Subſtantiæ iſtæ exhibentur ut realiter diſtinctæ, adeoque ut partim ſimiles, partim diſſimiles: poſſunt ergo eſſe plura genera ſubſtantiarum. Quum autem in ſingulis generibus poſſit quælibet cum ſimili comparari, ut per ſe patet, naſcuntur inde variæ relationes, & poſſibilia ſyſtemata ſimplicia. Ita ex. g. ex innumerabilibus ſubſtantiis ſimplicibus ac ſimilibus auri, fit aurum: ex ſimplicibus ſubſtantiis aquæ, aqua. Sic cetera ſyſtemata homogenea. Quod fit in hoc mundo, id ab æterno in mundo intelligibili comprehendatur neceſſe eſt, ut conſtat ex propp. ſuperioribus.

Prop. LIV. Poſſibilia ſunt ſyſtemata ex pluribus aliis ſimplicioribus ſyſtematis compoſita. Nam quemadmodum una ſubſtantia poteſt cum alia ſimilis naturæ comparari, atque efficere primam & ſimplicem ſubſtantiarum ſeriem, ita poteſt una ſimplex quarundam ſimilium ſubſtantiarum ſeries comparari cum alia aliarum item ſimilium ſubſtantiarum ſerie ſimili, indeque naſci ſyſtemata ex pluribus ſeriebus, ſeu ſyſtemata compoſita. Tellus, ex. g. eſt ſyſtema compoſitum ex pluribus ſimplicioribus. Magis etiam compoſitum eſt ſyſtema Solare: nec dubitari poteſt, quin ſint alia majora & magis adhuc compoſita. Sed hæc ſyſtemata prius quam exiſterent, poſſibilia erant; ergo æternis ideis comprehendebantur.

Prop. LV. Quælibet harum ſerierum legibus, ſeu regulis ſuis regitur, & diſtinctæ ſeries, diſtinctis, diverſiſque legibus: ita tamen, ut leges ordinum, & ſerierum omnium ſint ſubſtantiis ipſis aptatæ. Nam quoniam ſeries ex ipſis ſubſtantiarum, ideſt æternarum idearum eſſentiis fluunt (prop. 37.); inde quoque fluere leges debent, quæ ſeries conſervare debent, quæque totam legem æternam conſtituunt.

Scholion. Toto igitur cælo, ut dicitur, aberrant ii, qui ordinum mundorum, ſeu ſerierum ſubſtantiarum, le-

ges & regulas æternas mere esse arbitrarias, idest a Dei tantum voluntate pendere arbitrantur, non a divino intellectu; non satis, ut videtur, acute distinguentes inter æternam legum illarum essentiam, & Mundi hujus, ejusque ordinis, aut cujuscumque alterius, existentiam: qua ratione Dei scientiam, ac proinde naturam, qua rerum omnium species continentur necessario, mutabilem, idest imperfectissimam faciunt. Quocirca nisi ita id intelligant, ut existentia earum legum sit mere arbitraria, ac a Dei voluntate unice pendens, ii totam Dei naturam perturbant, eamque ex finitis mentibus admetientes, non quæ est, sed quæ hominibus videtur esse, constituunt. Ac vero in ea re tam turpiter hallucinantur, quam qui pronunciet, à Geometræ voluntate pendere, ut circulorum radii sint æquales, ut tres trianguli anguli sint æquales duobus rectis, ut diagonalis quadrati sit lateri incommensurabilis. Præclare S. Thomas, verbis licet id ætatis; *res creatæ sunt in Deo invariabiliter* (a).

Jam fuere plebeji quidam philosophi, qui mihi opposuerunt, si ita res sit, ut ego prædico, fore ut Deus interno Fato subjiciatur. Imperite simul, & inique. Ac imperite quidem, quia scisse oportebat, totàm divinam scientiam esse necessariam & immutabilem, habereque, ut S. Thomas ait, *necessariam habitudinem ad scita*: quum autem idem sit dicere totam intellectus divini scientiàm, atque omnes Dei cognitiones; & hoc unum idemque, atque omnes Dei ideas; fit ut dubitare nequeant, quin ideæ ipsæ divini intellectus per se necessariæ sint & immutabiles. Jam quum his ideis possibiles rerum essentiæ comprehendantur; & hæ necessariæ sint & immutabiles necessum est. Ergo ita sunt id quod sunt, ut aliud esse nequeant. Sunt autem distinctæ, ac si distinctæ natura ipsa aliæ cum aliis conferuntur; earum ergo idearum & essentiarum relationes, tam sunt necessariæ & immutabiles; quam eæ sunt ideæ. Ad hæc ordo est, ut res per similes relationes proportione disponantur (def. 83.); ergo ex immutabilibus illis ideis immutabiles habentibus relationes, immutabiles æterni ordines proficiscuntur.

Atque hæc est summà perfectio & immutabilitas naturæ divinæ, quæ non voluntaria est, sed suapte & necessa-

(a) *Prima p. q.* 14. *Art.* 15. *ad* 1.

faria natura. Agesis nunc: ponamus hos ordines divina voluntate mutari; ii igitur non erunt nec immutabiles, nec proinde æterni: ita fit, ut non ex idearum æternarum relationibus proficiscantur; ex quo porro consequitur, ut ideæ illæ aut nullas omnino inter se habeant relationes, aut ut eas intellectus divinus non intelligat, nisi divina voluntate eo inflexus; aut si quidem intelligit, ut totam ejus intellectionem voluntas emendet, & in ordinem cogat. Dicere vero ideas illas nullas inter se habere relationes, tantumdem est, atque constituere, non esse in intellectu divino distinctas; quia duæ distinctæ ideæ tam inter se necessariam habent rationem quamcumque, & relationem, quam necessario sunt distinctæ, quamque necessario duæ magnitudines ejusdem generis A, B rationem quamcumque inter se habent, quum Geometricam, tum Arithmeticam. Quod si intellectus divinus earum idearum distinctionem non intelligit, nisi voluntate incitatus, fit ut voluntas ratione suapte natura sit prior, quum tamen ea esse nequeat sine ratione. Quod si intelligit, necessaria est & immutabilis hæc intellectio, ut ea nullo prorsus modo voluntate mutari possit, aut turbari. Quæ quum sint perspicua, si qui dicunt hac doctrina Deum interno *Fato* subjici, *Fatique* voce Dei significant immutabilitatem, ii & vocabulis abutuntur; & in eo sunt impii, quod si hoc *Fati* genus negare volunt, Dei negent immutabilitatem necesse est. Quid vero ii, quum eo audaciæ progressi fuerint, Dei intellectum & voluntatem mutabilem ne esse ajunt, necne? Nam si mutabilem esse constituunt, ii viderint quam rem agant. Si immutabilem, imperite simul & inique mihi subirascuntur. Sed mittamus plebejos hujusmodi philosophos, & secum ipsos pugnantes: est enim in litteraria Rep. hominum quorumdam genus, qui ut sibi famam concilient, procacitate ineptissima pugnant, & magnis saltem inimicitiis inclarescere gestiunt, ut Tribuni olim Romani.

Coroll. Quum ideæ possibilium sint infinities infinitæ, & infinita erunt hujusmodi systemata possibilia, quæ nos *Mundos possibiles* dicere consuevimus.

Prop. LVI. Quum omnia ista systemata sint æque substantiarum essentiis aptata (prop. 37.); sunt omnia hoc sensu æque perfecta.

Scholion. Sunt ex Philosophis quidam ac docti & eru-

diti, qui hac in re nobis vehementer adversantur. Putant nimirum ex omnibus possibilibus mundis hunc, qui existit, esse perfectissimum. Moventur eo argumento, quod Deus semper optimum sequatur: nisi autem hic mundus, seu hoc substantiarum simplicium systema, omnium esset optimus, Deus quod minus bonum esset, sequutus esset. Si vero ceteris esset perfectionibus similis, aut æqualis, nulla ratio Deum movere potuisset, ut hunc potius, quam alium, aut alios ex infinitis crearet. Ita Leibnitius ratiocinatur, & Wolfius. Inde vero deducit Wolfius, mundum hunc non potuisse alia ratione produci, quam qua productus est. Ac verum id quidem est: nam *hic mundus est hæc substantiarum series*, quæ hunc ordinem, hasque ordinis ejus leges, exigit: ordo enim ac ordinis leges, ut supra demonstratum est, ex substantiarum ipsarum natura & constitutione fluunt. Itaque his rebus hic ordo est consentaneus. Sed non id quærimus, an hic, qui est, mundus, possit esse alius, quam est, quod tam est contradictorium, quam qui est circulus esse quadratum: sed illud, an loco hujus alium Deus creare potuit, qui esset ab hoc diversus, & ipse interea perfectus. Nec video quid prohibere potuerit, quando constat externarum rerum existentiam nullo pacto esse Deo necessariam. Itaque qui negant, viri alioquin docti, longe errant, ut puto, quod nimis audacter rationes & consilia Dei se tenere profiteantur. Itaque non nego hunc mundum optimum esse: sed censeo tamen omnem alium ex infinitis possibilibus esse æque optimum, si Dei fini & consilio respondeat. Nam bonitatem & perfectiones ex fine & arte hoc in loco accipio. Ii igitur tantum ut id negent oportet, qui mundi emanationem essentialem ex Deo ponunt: ea enim emanatio naturæ est, non arbitrii & voluntatis, qualis emanatio luminis a Sole. At quando est hoc dogma, non modo impium, sed stultum, mirari profecto licet viros doctos, & in Dei causa adserenda strenuos, id affirmare potuisse. Rationes vero, quæ ex pluribus æque optimis Deum movere potuerunt, ut hunc eligeret, is investigabit, qui putat *tantum sciri posse, quantum quæri*. An, inquit aliquis, non potuit Deus Mundum sine malis moralibus & physicis creare? Equidem non dubito quin potuerit: sed eum futurum fuisse perfectiorem, idest ex nobiliori fine, arte, sapientia, id ego cum Thoma Aquinate nego.

Prop.

Prop. LVII. Possibile non est systema substantiarum plene similium, idest similium etiam in essentia individuali.

D. Nam hujusmodi substantiæ existere nequeunt (vide Sch. def. 8.).

Prop. LVIII. Systema substantiarum, quarum singulæ sint infinite perfectæ, est impossibile: quia est impossibile ut existant plures substantiæ infinite perfectæ: essent enim eæ etiam in essentia individuali similes, adeoque una, eademque (prop. 9.). Quare fit, ut omne systema substantiarum sit nec infinite perfectarum, nec in essentia quoque individuali similium.

Prop. LIX. Systema substantiarum diversarum specierum, & generum, quæ species & genera similitudine aliqua contineantur, pulchrius est, quam systema substantiarum similium ejusdem speciei. Nam & uberior sapientia, & potentia, & bonitas in primo, quam in secundo, explicatur.

Prop. LX. Ex quibus fit, ut qualibet substantia in systemate composito, quale in prop. 45. infinitas habeat sibi similes, infinitas dissimiles necesse est, ac propterea plures consentaneas, plures contrarias. Hoc dici potest cum Arist. malum relativum substantiarum. Itaque est hoc in perfectissimo etiam systemate necessarium.

Prop. LXI. Quod ad existentiam systematum istorum spectat, ut hæc potius, quam illa eligantur ad conficiendum universum *reale factum*, id pendet a finibus mentis æternæ.

D. Nam id pendet a voluntate Mentis æternæ, ut paulo post demonstrabimus ab hac independenter; voluntas vero determinatur a fine (def. 63.)

Scholion. Hinc patet, existere debere fines rerum factarum, quos tanta stupiditatis nostræ objurgatione auferre conatus est Spinoza, *appendice ad primam Ethicæ partem*. Nempe esse debent rationes, quibus Divina voluntas determinatur ad rerum existentiam volendum, tum ad hunc potius, quam alium rebus ordinem constituendum; nihil enim Dei voluntas efficere potest sine summa ratione.

CAP. V.

De Substantiarum origine, & indestructibilitate.

Prop. LXII. NOn est impossibile unam substantiam creari ab alia.

 D. Præ-

Persarum, *Siamensium*, atque *Sinensium*, qua de re luculenter commentati sunt Bernerius (*a*) Trigaltius (*b*), aliique: Proferam, quæ de Sinensibus Trigaltius, vir doctus & accuratus, scribit loco laudato, quo monstrat eos idem, quod Spinoza, tenere.

Opinio hoc tempore celebrior... asserit universitatem hanc ex una eademque constare substantia, illiusque conditorem una cum Cælo & Terra, hominibus, ac brutis, arboribus, & plantis, & quatuor denique elementis, continuum corpus unum conflare, cujus magni corporis singula res singula sunt membra. Idem refert Bælius, *Art. Japon.* Eusebius in Præparatione Evangelica pluribus ostendit hoc eodem cœno totam involutam fuisse Ethnicam Theologiam, quod & alii Apologistæ veteres confirmant; ut non sine ratione Ethnicos *Atheos* vocaverit Apostolus.

Posset quis in hunc censum referre Franciscum Patricium, virum alioquin acutum & disertum, sed in Platonicos Enthusiastas æquo justius propensiorem. Hic lib. xx. Panarchias de Dei immensitate disserens, ita rationes subducit suas, ut, nisi emphatice loquatur, ego vix intellexerim, qua in re a Pantheistis differat. Quum recitasset Personati Hermetis locum. Και τουτον εστιν ὁ Θεος, το παν. ουδ' εν τω παντι ουδεν εστιν, ὁ μη εστιν ὁ Θεος, *atque hoc ipsum est Deus, ipsum universum. Nec quicquam in universo est, quod non sit ipse Deus*; addit, quo rem clarius etiam explicet. *Universum ergo hoc Deus ipse est: quia scilicet ipse ea omnia, quæ in universo sunt, effecit, & efficientia ejus omnem ac totum permeavit effectum, ratione cujus efficientiæ ipse omnia est, & universum seipso implet*. Et hæc quidem in meliorem partem flecti possent, nisi ea sequerentur, quæ omnem defensionem nobis eripiunt... *Numquam ergo ab opere cessat: & cum ipso sui esse operetur, & esse suum ipsemet sit*, IDIPSUM, QUOD FACIT, IPSE EST. *Atque hoc est, quod quum in opus perpetuum* EXEAT, *non tamen exit ex seipso*. QUIA IPSE SIT ID QUOD EFFICIT. *Et ideo necessario omnia illa & permeat ipse, & capit; quoniam ipse seipsum capit, & in seipso est. Est quia semper in seipso est, neque a se abit, aboletur*, ET IPSE EA, QUÆ FACIT, SIT; *Servator Entium*, SERVATOR SUI IPSIUS EST.

(a) *In Itinerario tom. 2. pag.* 163.
(b) *De Christian. Exped. lib.* 1. *cap.* 10.

EST. Nescio ego cur, qui scholia quædam caustica pluribus in locis Patricianæ philosophiæ addidit *R. P. M. Jacobus de Lugo*, intactum impium hunc omiserit.

Prop. LXIV. Oportet ut in Ente æterno, ex quo sunt omnia contingentia (prop. 25.) quodque infinitæ est entitatis (prop. 29.), sit voluntas infinite potens, ut satis sit velle, quo id exsistat, quod vult.

D. Est in entibus contingentibus voluntas, qua fit ut quidam motus existant hoc solo, quod vult (ex intima nostri conscientia), possibilis ergo est voluntas, quæ volens tantum operetur. Quum autem fieri nequeat, ut voluntas Entis æterni non sit proportionalis entitati; sitque illa Entitas omni modo infinita (prop. 29.); fit ut infinite potens fit ejus voluntas, atque ita potens, ut satis sit ut velit, quo ea existant, quæ vult.

Scholion. Scio esse plerosque philosophos, quibus placet eos motus, quos nos voluntarios vocamus, non a nostra voluntate esse, sed a Prima causa immediate. Ea de re hic non disputo, modo id constet, esse motus quosdam, qui sola voluntate cientur. Nam seu nostra eos voluntas excitat, seu voluntas primi Entis, eodem semper modo superioris argumenti vis constat. Quamquam, ut id in transitu dicam, mihi numquam persuaserim, eos, qui ita loquuntur, ita loqui, ut sentiunt, ut scilicet nullius actionis principium sit voluntas humana. Sed ea de re alibi dicetur commodius.

Prop. LXV. Substantiæ contingentes creatæ sunt ex nihilo *sui & subjecti* a substantia æterna, & quidem sola voluntate.

D. Substantiæ istæ sunt factæ (def. 17.), & quidem ab alia substantia: quum autem repugnet progressio in infinitum (prop. 25.); factæ sunt a substantia æterna. Jam non per emanationem essentialem (63. prop.): ergo ex nihilo *sui & subjecti*, idest nihil est in substantiis istis proprium, quod extra causam, a qua factæ sunt, extitit, antequam fierent, neque ex causa, a qua factæ sunt, aliquid reale in illis transmanavit. Atque hoc erat primum.

Alterum. Eæ non sunt creatæ per essentialem emanationem (prop. 63.) ergo sola voluntate, quæ in Ente æterno hoc solo, quod vult, efficit quæcumque vult (ex prop. 64.).

Schol. Quod ad modum creationis pertinet, non est

eius probatur, quam nobis sit ignotus, quam ipsa Philosophorum omnium ingenua confessione. Sane Christiani omnes Philosophi non verentur asserere, modum creationis ex nihilo *mysterium* esse naturali rationi impervium. Nam quamquam aliquando creationem vocent *emanationem totius entis a Deo* (*S. Thom.* 1. *par. qu.* 45. *art.* 1.), caveſis tamen putes, eos de emanatione essentiali loqui. *Idem S. Thom.* creationem esse ait *relationem*, in creatura quidem *realem*, quippe quæ natura sua ad Deum ordinatur: in Deo vero *rationis*: non enim ad creaturam ordinatur Deus. Actionem porro creationis non dubitat esse *ipsam Dei essentiam* (*ibid. art.* 3. *ad* 1.), sed cum ea relatione, de qua dictum est, ad creaturam. Hæc vera sunt. Interim nondum his Doctrinis intelligimus, qua ratione fiat, ut huic actioni rerum existentia respondeat, quin quidquam ex Deo re ipsa emanet. Atque hoc est, quod dico, nempe modum, quo res ad Dei imperium ex nihilo existunt, omnem captum humanæ rationis excedere. Id ita esse, idest ex nihilo cuncta esse creata, ratio nos dubitare non sinit: qua id via & ratione factum sit, ignoramus. Atque hinc esse existimo, quamobrem Ethnici Philosophi, quorum ratio Divinæ fidei lumine non erat illustrata, quum qua id ratione fieri posset non comprehenderent, mentes quidem *per essentialem emanationem* a Deo effluxisse, materiam vero æternam esse, opinati sint. Tandem Atheismi non aliud primum esse fundamentum videtur, quam quod materiæ originem intelligere homines nimium confidentes non potuerint, nec tamen secum reputare voluere, Ens æternum, & infinitæ entitatis, non posse non infinita pollere virtute, ut continuo sit, quodcumque voluerit: tamen nullum nobis facessit negotium: scitum enim illud est, rerum existentiam intelligi facilius & comprehendi, quam aut generationis modum, aut essentiam. Cujus rei causa est, quod existentia entis agnoscatur qualibet structura ejus attributorum: modus vero, quo ens fit, concipi nequeat, nisi majori cognitione naturæ, & potentiæ ejus causæ; ut essentia non concipitur, nisi plena *essentialium & attributorum* comprehensione. Ceterum, ut ipse *Spinoza* in *cogitatis* metaphysicis vere observat, ignoratio unius veritatis non efficit, ut alteram, quam clara notione comprehendimus, ignoremus, etiam si altera cum altera sit conjuncta. Ita scire Geometra potest circulum æqualem

esse

esse quatuor angulis rectis, licet ignoret, qua ratione & modo quadrari possit (*a*).

Sed & de actione, qua res creantur, nimium quam vellem, subtiliter in Scholis disputatum est, ut in ceteris ferme omnibus, in quo Scholæ illæ æquo justius fuere curiosæ. Placuit quibusdam actionem, qua Deus res creavit, esse Deo *immanentem*, nullo modo *transeuntem*. Creatio, inquiunt, si actio est transiens, subjectum habet aliquod, in quod transeat, id quod cum creatione pugnat, qua res ita fiunt, ut nullum eis præexsistat subjectum. *Hæc*, inquit Suarez (*b*), *censetur esse sententia D. Thom.* 1. *p. q.* 45. *art.* 3., *eumque ita explicant Cajetanus*, *aliique Thomistæ*. At B. Th. ait, *oportere omne agens conjungi ei*, *in quod immediate agit*; *& sua virtute illud contingere* (1.p.q.8.art.1.); itaque hoc ut fit, quemadmodum creatio est *actio formaliter immanens*, ita creaturæ *formaliter sint* in Deo necesse est, id quod cum tota Dei ac creaturarum natura pugnat. Ergo alii docuere, *creationem esse aliquid extra Deum*, *tamen in re non esse aliquid distinctum a creaturis*, *quæ creantur* ... *Sed realiter & essentialiter esse ipsas creaturas*, *quæ creantur* (*c*). *Nempe actio ut actio necessario debet esse in suo termino*, quod decretum verissimum pronunciat Suarez. At est procul dubio creatio Dei actio: quumque doceant Scholæ, *nullam esse actionem Dei respectu illius proprie transeuntem* (Suarez ibidem); creatio est ipsa Dei vis immanens, idemque sunt creaturæ, quæ *essentialiter sunt creatio*. Sed & hæc cum tota Dei, ac creaturarum natura pugnat. Quanto fuerat satius pronunciare rotunde, quod efficit Max. Tyrius, ad nutum *Dei cuncta prodire ex nihilo*, quam eo nimia curiositate evadere, unde omnis exitus sit præclusus? infinitipotens est Dei voluntas, proportionalis scilicet Entitati: id mihi clarum est. Itaque satis est velle, ut ea exsistant, quæ vult.

Coroll. 1. Quum igitur substantiarum creatio ex nihilo fiat sola voluntate entis infinitæ entitatis (ex prop. 65.), ea vis haberi debet pro infinita.

Corollarium 2. Quam pugnet, tantam vim convenire posse

(a) *Consulatur Auctor Artis cogitandi part.* 4. *cap.* 7. *axiom.* 8. (b) *Suarez Metaph. disp.* XX. *sect.* V.
(c) *Idem ibid.*

posse *substantiis contingentibus*, quibus hæc rerum universitas conficitur, quanta ad creationem ex nihilo necessaria est; generationes omnes naturæ fiunt per essentialem emanationem rerum e suis ovis aut seminibus, idest per evolutionem primorum elementorum; augmenta vero per varias transmutationes & additiones partium corporum. Quare statuendum est, nullam esse in natura generationem *substantialem*, quemadmodum Aristoteles opinatus videtur.

Schol. Agitatissima hæc fuit in Scholis quæstio, possit ne tanta inesse Agentibus creatis vis, ut de nihilo quidquam creent? Intelligebant facile, inter *nihil*, *&* *ens* distantiam esse infinitam; itaque *creationem*, qua ex *nihilo ens* producitur, exigere in Creatore vim ac virtutem infinitam, quæ finitis rebus inesse nequit. Vulgata hæc est inter Scholæ Philosophos demonstratio. Sed vir procul dubio acutissimus Joannes Scotus, ut est ille in singulis minutissime cribrandis accuratus, aliam pressit viam, ac ita, ut rem confecerit penitus, meo saltem judicio. Ejus ratiocinationem paucis exhibet Pererius. *Aut*, inquit, *ea res, seu creatura, quæ ponitur creare, est immaterialis, aut materialis. Si immaterialis, ut Intelligentia, aut creat per actionem quampiam transeuntem, & hoc non, quia talis actio eget subjecto, quod nullum est in creatione: aut per actionem immanentem, cujusmodi est intelligere & velle: sed hoc non potest dici, tum quia solum intelligere & velle Angeli non potest esse tantæ efficacitatis, ut ad voluntatem Angeli, ex nihilo res, quæ sunt extra Angelum, ab eo multum differentes, momento existant, nisi fortasse ex divino aliquo pacto & voluntario Dei concursu, itaut voluntario constituerit Deus, quum Angelus quidpiam cogitat, aut vult creationem alicujus rei, continuo eam rem, vi & potestate sua infinita creare: id quod ab eo per Prophetas & Apostolos edendo miracula, non semel factum est. Tum etiam quia intellectio & volitio Angeli sunt accidentia, quæ non possunt separari a subjecto: quamobrem illorum vi & efficientia non potest ulla substantia creari ex nihilo, hoc est produci ex non subjecto. Sin autem ea res, quæ ponitur creare, sit materialis, duabus rationibus convincitur, id non posse præstare: primum quia nulla res materialis potest quicquam efficere, nisi per actionem transeuntem, & mutationem physicam, cui exercendæ opus est subjecto: deinde quia in re materiali principium productivum est forma materialis,*

in

in esse & operari dependens a subjecto; quare actio vel productio ab ea proficiscens, non erit præstantior, & ut ita dicam, independentior, quam illa; ut quum forma agens sit in subjecto, ejus tamen actio non recipiatur, & insit in aliquo subjecto. Hæc ex Scoto Benedictus Pererius (*a*). Quam Scotus exornat demonstrationem, ea ipsa est, qua nequeamus intelligere, quo tandem modo e nihilo cuncta sint a Deo creata (*b*), etsi ita esse creata prorsus sit necessarium, quando constat, Universum nulla *Entis necessarii* præseferre vestigia. Sed eandem fuisse puto, quamobrem medii quidam ævi Philosophi creationem conceperint velut *actionem a Deo in res emanantem*. Porro quum ea actio nequeat intelligi a natura Dei separata, inde per se, ac suapte natura cuncta Deum creare arbitrati sunt. Vide quæ superius dicta sunt de F. Patricio. Quoniam autem hæc eo evadunt, quo ire tota vetat ratio; fateamur potius, quod est, mentem nostram huic rei intelligendæ imparem esse. De tota hac re acute disserit Berigardus in Circulo Pisano (*c*).

Prop. LXVI. Substantiarum factarum, earumque ordinum essentiæ, *intelligentiæ* Dei debentur, existentia vero *voluntati*.

D. Prior pars patet ex prop. 50. Secunda vero inde probatur, quod res factæ non per essentialem emanationem sunt factæ (prop. 63.) neque sunt æternæ; adeoque voluntate sunt factæ (prop. 65.) Advertenda igitur diligenter est in rebus omnibus essentiæ & *existentiæ* origo prima.

Prop. LXVII. Nullum contingens, atque idcirco nullum contingentium systema, ita necessario existit, ut non potuerit non existere.

D. Nam hæc non existunt per emanationem essentialem (prop. 63.), sed voluntate entis æterni & perfectissimi (prop. 65. & 66.), nihil harum rerum indigi (prop. 29.); sibique propterea sufficientissimi & ut sit, & ut bene beateque sit; quodque idcirco nec ab externa causa, nec a natura sua cogi potest; nulla ergo fingi potest necessitas, qua existunt.

Schol. Evertitur hoc theoremate aliud Spinozismi caput, quod ita effertur a Spinoza. *Ex necessitate divinæ naturæ infinita infinitis modis* (idest omnia possibilia in omnibus

(a) *De Communibus princ. lib. v. cap. 6.*
(b) *Idem ibid. cap. 8.*
(c) *P. 2. circulo IX.*

bus possibilibus systematis) *sequi debent* (*a*). Evertiturque alia Spinozæ propositio, qua asserit, *Dei potentiam totam actu esse debere, eosque eam auferre, qui ita concipiunt, ut non respondeat intellectui* (*b*). Ceterum non negamus, posita determinatione voluntatis Dei, res necessario debere existere, idest *necessitate hypothetica*. Addimus interea, posse eadem voluntate hæc destrui omnino, aut alia systemata his substitui, si id ratio divina exegerit. Hinc intelligitur, plura Deum posse, quam quæ efficit, in qua quæstione pertractanda diligentissime veteres versati sunt. Nempe infinita quidem ac infinities infinita Deus intelligit possibilia; sed quum eorum existentia necessaria divinæ naturæ esse nequeat, & infinita sint incompossibilia; fit ut nec ad ea necessario ferri voluntas possit; nec quum ea eligit, quæ esse vult, omnia eligere potest. At quæritur, quum Dei voluntas sit æterna, fertur ne ea ad omnia possibilia? Si enim omnia vult, omnia futura, & quidem *ex suppositione necessario futura sunt*, quandoquidem Dei voluntas immutabilis est; ita nulla erunt mere possibilia. Quod si non omnia ab æterno vult, ne velle quidem reliqua amplius potest, ne novas voluntates Deo tribuamus: quod autem velle Deus nequit, id existere nullo modo potest; ita fiet, ut sint quædam possibilia, quæ esse nequeant, quod est metaphysicum paradoxon. Cui quæstioni sic respondeo. I. Fieri potest ut omnia possibilia velit Deus, eaque omnia ex voluntate sint futura, sed futura tamen commensurata æternitati. Quid enim vetat, quin dicamus Deum per totam æternitatem extra se operaturum? Nihil in ea positione humana ratio absurdi intelligit. Sed nulla erunt mera possibilia? nimirum erunt ex natura & origine: in intellectu divino sunt possibilia: postquam voluerit, futura. Respondeo II. Fieri potest, ut non omnia velit, quod est vero proximius, quippe pleraque non satis cum divinis attributis cohærentia: tum quæ non vult, ex intellectu divino & potentia dicentur possibilia, ex voluntate impossibilia moralia. Quo modo innocentem plectere æternis cruciatibus, ex potentia Dei physica, seu, ut dicunt, *absoluta*, possibile est: ex voluntate, impossibile: quandoquidem quæ suæ bonitati adversantur, nequit Deus velle.

(a) *Eth. part. pr. prop.* 15. (b) *Sch. prop.* 17. *p. p.*

le. Observo hoc in loco, S. Thomam demonstrationum, quibus libera Dei voluntas ostenditur, excellentiores intellexisse, miraque vi, & simplicitate, ut ille solet, explicuisse. Bina proferam loca, ut quantus hic homo fuerit Philosophus, intelligatur. Quæst. 19. primæ partis art. 4. *Quum*, inquit, *bonitas Dei perfecta sit, & esse possit sine aliis, quum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur, quod alia a se eum velle non sit necessarium absolute: & tamen necessarium est ex suppositione: supposito enim quod velit, non potest non velle; quia non potest voluntas ejus mutari*. Paucis complexus est quæcumque cæteri longo sermone edisserere solent. Sequenti vero articulo in alium item sublimem rapitur intellectum. *Quum igitur*, inquit, *esse divinum non sit determinatum, sed contineat in se totam perfectionem essendi, non potest esse quod agat per necessitatem naturæ, nisi forte causaret aliquid indeterminatum & infinitum in essendo, quod est impossibile, ut ex superioribus patet* (spectat articulum secundum quæstionis septimæ).

Prop. LXVIII. Hæc rerum universitas, quam & *rerum naturam* vocant Philosophi, est magnum quoddam Systema ex simplicioribus plurimis ac similibus coagmentatum.

D. Hæc rerum universitas Dei voluntate exsistit (prop. 65.). Quum autem omnia sint in Ente infinitæ entitatis perfecta & concordia; hæc voluntas debet esse divino intellectui consentanea; est igitur hoc universum unum ex infinitis possibilibus systematis divinæ rationis. Jam divina ratio suapte natura vera est & ordinatissima; ergo est hoc systema ordinatissimum. Porro quum sit compositum, est harmonice coagmentatum ex aliis simplicioribus item harmonicis.

Schol. Haberi potest pro axiomate notissimo, quod continua docet experientia & observatio. Ex. g. quælibet fibra corporis humani series est, aut ex minoribus aliis seriebus, aut ex pluribus substantiis simplicibus conflata: ex pluribus fibris fit pars aliqua *integralis*, ut vocant: ex his porro corpus: ex pluribus hominibus hominum genus. Eodem modo ratiocinabimur de plantis, brutis, mineralibus, quibus fit hujus globi nostri majus systema. Porro ex pluribus majoribus systematis, veluti Tellure, Luna, Venere, Mercurio, Sole, aliisque, constat systema solare, quod & Planetarium vocamus, idque ex septendecim corporibus, quæ & or-

dine suo locata sunt, & harmonice moventur, compositum est. Jam quum quælibet Stella fixa sit Sol quidam, gravissimæ conjecturæ nos commovent, ut putemus, circa quamlibet fixam suum esse Planetarium systema; atque ita ex pluribus istis planetariis systematis fiunt alia semper majora, ex quibus universum istud conficitur, si oculis credimus, haud magnum, si rationi, pene immensum & infinitum, varietate entium multiplex, ordine unum (*a*).

Ac vero nullum esse in rerum universitate *casum*, nihil fortuitum, nihil perturbatum, quum *Naturæ* ipsius contemplatio, tum perspicuæ rationes demonstrant. Pertractarunt priorem partem accuratissime, omnique industria recentes philosophi, posteriorem acutissime veteres Peripatetici, & Stoici. Tota ferme corporea natura, quatenus sensus nostri patent, diligentissime a nostris pertentata est. In Tellure, aer, aqua, terræ, argillæ, arenæ genera omnia, herbæ præterea, & plantæ, brutorum etiam species omnes, corpora denique omnia, non majora tantum, sed minima quoque considerata, ac ad rationis lancem appensa sunt. Vel exiguæ earum partes microscopiis in examen adductæ. Omnia mira harmonia esse constructa compertum est: nullam esse in tantis corporibus particulam, quæ non ad rationis & consilii artem sit facta. Quo plus in Naturæ penitissima devenitur, ac adæquatius rerum singularum relationes introspiciuntur, eo clarius admirandus infinitarum particularum ordo detegitur. Detegitur & singularum Serierum constantia. In hac philosophiæ parte versantur Derham (*b*), Niewentit (*c*), Fabricius (*d*), Lesserus (*e*), Hales (*f*), ac alii plures viri acuti & docti. Qua in contemplatione id est in primis animadvertendum, .. anto scilicet discrimine pulchritudo earum rerum, quas Natura progignit, ab ea distet, quæ arte nostra efficiuntur. Nam illas quo intimius inspexeris, eo pulchriores cernuntur: quæ arte & ingenio humano efficiuntur, eminus quidem conspecta pulcherrima sæpe videntur: at si introspexeris, statim sese ingenii nostri imbecillitas, atque artis ruditas prodit. Quum igitur in iis, quæ detegere potuimus, nihil hucusque

(a) *Vide Burn. lib. 2. Theor. Tell. c. ult. & Hugenii Cosmotheoron.* (b) *Theologie physique.*
(c) *De l'existence &c. de Dieu.* (d) *Theologie de l'Eau.*
(e) *Theologie des insectes.* (f) *Statique des vegetaux.*

que extra ordinis regulas positum deprehendere potuerimus, isque ordo nec ullo unquam tempore, nec locorum varietate nutaverit, magnæ profecto esset dementiæ, ea, quæ minus comprehendimus, vel ut casu jacta, aut inconsiderate posita accusare. Sed non in Tellure tantum philosophorum hujus perquisitiones continentur: totum ferme universum complectuntur, ac pervagantur. Systematis Planetarii ordo, ejusque ordinis leges, quum aliis, tum in primis viro summo Isaaco Newtono, enucleatæ sunt. Iis constat nihil in tanta magnorum corporum congerie non sine summa stare ratione: magna hæc corpora motus suos peragere juxta æternas Geometriæ proportiones (*a*), idque tanta constantia, ut nihil in tanta temporis antiquitate luxatum sit, nihil umquam a regula exorbitaverit, Analogiæ ratio exigit, ut idem de tota mundana extensione teneamus. Quando ergo in magnis hujusmodi machinis nihil est non ex regula & ratione, necesse est, ut ne in prima quidem coagmentatione simplicium ac primigeniarum universi substantiarum, quidquam sit, quod non constantem ac certam normam sequatur: a primis enim illis ordinis, symmetriæ, proportionis initium est, ut nequeat ullum in illis esse enorme, quod non statim totum, quod illæ spectant, vitiet ac fœdet. Quod si sensus naturæ subtilitati pares atque aptos haberemus, ut in paulo grandioribus Naturæ machinis, ita in minimis illis, & occultis rerum seriebus, nihil non sapientissime constitutum facile oculis videre liceret.

Sed & perspicuæ idipsum confirmant rationes a *natura* ipsa & *essentia* primarum substantiarum repetitæ. Limitatæ hujusmodi sunt Universi primigeniæ substantiæ, ac simplices, & activitate sua, attractione, entelechia, idest *natura*, & ut Scholæ dicunt, *formis substantialibus*, distinguuntur. Quumque simplices sint, totis seipsis secernuntur. Sed quoniam rerum series quasdam similes, alias dissimiles inde proficisci videmus; intelligendum est esse earum plura genera similium, id quod Anaxagoras acute vidit. Ex. g. particulæ omnes mercurii, aquæ puræ, lucis, puri ætheris, ex primigeniis substantiis similibus fiunt. Porro hanc similitudinem ego in identitate, seu conspiratione

(a) *Galileus idcirco vocabat sæpe Geometriam solam ac veram artem, qua naturæ librum legere possimus.*

activitatis illarum posuerim. Itaque necesse est ut substantiæ istæ relationes habeant similitudinis, proportionis, symmetriæ reales, & finitas, ex hujusmodi *activitate* manantes. Ac quemadmodum similes figuræ similibus facile copulantur, dissimiles repellunt; ita singulæ substantiæ ex naturæ suæ ratione similibus jungi amant, a dissimilibus refugiunt. Observamus id in minimis corporum elementis. Sed hæc elementa ex iis substantiis profecto nascuntur. Hinc homogeneorum corporum homogenea elementa, quæ secum & coeunt magna facilitate, & diversa repellunt. Ita fit, ut seu dicas (agamus id liberaliter, quamquam sine stultitia dici nequit) suapte natura impellente primas Mundi substantias, postquam a Deo creatæ fuere, coaluisse; seu, quod est, immediato Dei imperio coagmentatas; fieri certe aliter nequit, quin omnia in Universo provenerint ordinatissima. Nam & substantiæ illæ suapte natura non potuere non suas reales relationes sequi; & Deus, quia omnia summa ratione efficit, non ita copulare ac disponere, quemadmodum earum exigit natura: siquidem horum ordinum essentiæ ab intellectu divino pendent, ac idcirco æternæ sunt & immutabiles, ut superius demonstratum est. Quibus ex rebus conficitur, *casum* non solum in rerum Natura esse nullum, sed nec esse posse, idque non solum Theologia Christiana constare, sed ratione quoque naturæ.

Paucis totam hanc disputationem Scholæ concludere solent. Scilicet, quodcumque fit, suam habet causam; ex nihilo enim sine causa nihil fit: in causa vero ratio effectus sufficiens inesse debet; ergo quodcumque fit, a determinata ratione sufficiente fit; nec propterea ex quolibet fieri quodlibet potest; quod ipse agnoscit Lucretius. Sunt igitur certæ atque determinatæ singulorum effectuum in natura causæ; nihil igitur in ea fortuitum est, ac enorme (a).

Prop. LXIX. Naturæ vi nulla primarum substantiarum in nihilum abire potest.

D. Aut enim vi sua abit in nihilum, aut vi alterius creatæ substantiæ. Vi sua nequit: Si enim vi sua abit, abit agendo; quum autem primæ substantiæ sint essentialiter activæ, eo existunt, quo agunt: ergo quo vehementius agunt, eo magis existere pergunt. Nec vi alterius; quia

(a) *Vide Alb. M. in* II. *phys. cap.* 10. *Disserit ex instituto ea de re Pererius lib.* IX. *de com. Princ.*

quia substantiæ primæ ut sunt naturaliter activæ, ita sunt essentialiter antytipæ.

Prætenea quum hujusmodi substantiæ existant voluntate Entis æterni (prop. *65.* & *66.*), eaque conserventur; eaque sit infinita: nulla naturæ vi vim existentiæ & conservationis vincere possunt.

Schol. Est propositio vulgatissima, quam Lucretius physicis aliquot, atque simillimis vero argumentis probat (*a*), in quibus hoc,

Nam, si quid mortale e cunctis partibus esset,
Ex oculis res quæque repente erepta periret.

Revera infinitis patet Mechanicorum experimentis, maximam, quæ est in natura, vim corpora quidem in partes tenuissimas dividere, non autem in infinitum, qualis est vis ignis ustorii, quo nihil efficacius ad corpora comminuenda reperitur, quod agnoscit Muschembroekius (*b*). Itaque experimenta divisionis materiæ Rohaultii (*c*), Keillii (*d*) aliorumque, nondum confecerunt materiam dividi naturæ viribus usque ad nihilum, aut in infinitum absolutum. Credendum est igitur esse statos divisionis corporum terminos, quos ultra naturæ vires non progrediantur: alioquin, ut egregie ratiocinatur Lucretius (*e*), rerum generationes, quæ in natura eædem semper, & ordinatæ cernuntur, & interturbarentur, & pleræque interciderent.

Prop. LXX. Generationes, & corruptiones naturales sunt variæ modificationes & determinationes substantiarum primigeniarum juxta leges naturæ physicas.

D. Generationes istæ & corruptiones non sunt creationes ex nihilo (coroll. 2. prop. *65.*), neque corruptiones in nihilum (prop. *69.*); ergo quum nihil aliud restet, quod asseramus, sunt modificationes variæ primigeniarum substantiarum. Altera pars loco suo commodius.

Scio interim in hoc theoremate Scholæ philosophos pene omnes nobis adversari. Persuasum enim illis est, substantias a substantiis naturali vi ac efficacia progigni: naturalium enim causarum vi e materia formas omnes sub-

(a) *Lib.* 1. *v.* 218. & *seqq. ad v.* 265.
(b) *In Elem. Physico-Mathem.* §. 51. (c) *In Phys. cap.* IX. §. 4. & 5. (d) *Introduct. ad veram phys. lect.* 3.
(e) *Lib.* I. *v.* 226.

stantiales educi, aut, ut acutiores loqui amant, in materiam induci, scholæ totius decretum fuit solemne. Ego vero nec, si id ita intelligitur, ut minores Scholæ Philosophi intelligunt, fieri nullo modo posse contendo; nec id voluisse majorum gentium Peripateticos ajo. Ac fieri nullo modo potest, ne ex Scholasticorum quidem decretis, ut substantiæ, quæ nequeunt nobis esse nisi simplices, per generationem fiant: simplices enim substantias, nec esse nisi *creatione*, nec perire nisi *annihilatione*, Philosophorum omnium constans dogma est. Sed illud quoque ajo, non id majorum Gentium Scholasticos docuisse, saltem id dicere noluisse, quod minores illis tribuerunt. Vadem do Suarez, omnium certe non modo acutissimum, sed in Sectis Scholæ versatissimum. Is disputatione XVIII. quæ est *de causa proxima efficiente*, Sect. 1. §. 14. duo in primis extra omne dubium esse ponit. I. Quod simplex substantia a simplici per generationem effici nequeat. II. Quod ne substantia quidem composita secundum se totam a causis creatis produci possit. Primum velut axioma habet ex Scholæ consensu; quod *substantia simplex in essentia non possit nisi per creationem fieri*. Posterius *certissimum esse ait: quia causæ creatæ non possunt aliquid creare ... substantia autem per se primo ac secundum se totam non potest fieri nisi per creationem; non enim potest fieri ex præsupposito subjecto; quia toti substantiæ nullum subjectum supponitur, quum sit ens per se completum: ergo necessario fieri debet ex nihilo, atque adeo per creationem*. Sed quando is idem Suarez affirmat, *posse causas creatas ex substantiali materia substantiam generare, educendo substantialem formam*, ut intelligatur, quid sibi Scholæ velint, dum *formas substantiales e materia educi* dicunt, oportet. Id est certum formas illis substantiales non haberi integras substantias: neque enim idem est *substantiale aliquod*, ac substantia. Itaque substantiale aliquod generatione effici dicunt substantiam non dicunt. Hoc autem quale sit non difficile est intelligere, si animadvertamus, formas illis substantiales esse *entelechias, activitates*, quæ sunt in corporibus. Ergo quæstio huc refertur, entelechiæ hujusmodi, seu vires activæ, de novo ne generentur? Hoc Suarez ipse non *esse evidens & certum* (a): probabilius tantum appellat. Ac Sane Albertus Ma-

(a) *Ibidem* §. 15.

Magnus in ea fuit sententia, formas præexsistere in materia omnes, ut agentia *earum* essentias non *producant*, id quod agnoscit ipse Suarez (*a*), licet alio viri acutissimi doctrinam contorqueat. Sed & Aristoteles in eam sententiam a quibusdam laudatur; nec diffiteri possumus Aristotelem formas e *natura* & *entelechia prima* progigni docere, quæ quid sit, alias dicetur. Præterea Avicenna a *prima intelligentia formas in materiam induci* opinatus est, idcirco quod hanc naturalem formarum productionem intelligere nequivit: eodemque modo, rei difficultate moti veteres alii, formas omnes creari censuerunt (*b*). Ceteri quum dicunt *formas generari*, id dicunt *educi de potentia materiæ*: itaque non *fiunt formæ*, sed educuntur; neque ex *nihilo*, sed ex *materia*. Materia autem hæc *concurrit*, *influit ad esse & fieri formarum*. Quid istuc? quia hujusmodi *formæ continentur in materia*, *e qua vi agentis educuntur* (*c*). Nec continentur, nisi in *natura* illa materiæ Aristotelica & Arabica, quod quum scholæ Philosophi recentiores non intelligerent, aliorsum hoc traduxerunt, *educi ex materia*, sensumque Aristoteli affixere perabsurdum, minimeque ejus systemati consentaneum. Quod si tandem dicerent Peripatetici nostri, evitarent vero systematis Aristotelici antecedentia, non illi tam a recentibus Philosophis dissentirent.

CAP. VI.

De legibus, quibus rerum universitas regitur, generatim disseritur.

Prop. LXXI. CHaos & Ordo inter sese opponuntur: quare fit, ut in universo aut Chaos regnet aut Ordo necesse sit. Eæ igitur leges, & regulæ quibus fit, ne in mundo Chaos regnet, *Cosmologicæ* dicuntur.

Scholion. Pertractavit eam rem acutissime, ut illi solet, Wolfius in Cosmologia, quem, qui vult, consulat. Ego, qui in his elementis summa rerum capita attingo, a minuta hujusmodi inquisitione abstineo. Sic enim censeo, esse in hujusmodi studiis plurima lectoris diligentiæ seponenda.

(a) *Disp.* XV. *Sect.* 11. (b) *Vide Alb. M. in* 11. *dist.* 18. *art.* 12.
(c) *B. Th.* 1. *q.* 90. *art.* *p.* 1.

Prop. LXXII. *Attractio* singulorum materiæ elementorum, seu vis, qua in mutuos amplexus ruunt, & arcte cohærent, est primaria lex cosmologica. Nam sine ea corpora coalescere nequeunt, atque e chao emergere; itaque sine ea esse ordo in universo nequit: ac propterea (per def. 33.) est primaria universi lex.

Prop. LXXIII. *Gravitas* est altera item primaria lex cosmologica. Nam leges mechanicæ sunt eæ normæ, quibus universi ordo continetur (def. 33.); jam sine gravitate, seu viribus centripetis, nullus esse potest in natura ordo; quia ubi nullæ sunt in natura vires centripetæ, necesse est, ut nulla sint corporum centra, nec ulli motionum magnorum corporum fines; gravitas ergo est primaria universi lex mechanica.

Prop. LXXIV. *Vires centrifugæ* sunt tertia lex cosmologica. Nam sine iis viribus, ubi locum habent primæ duæ priores, tota materia circa unum centrum coit, nulla discretione, nec ordine. Finge ex. g. planetas sola gravitate in solem agi, fiet unum continuum corpus ex sole & planetis.

Prop. LXXV. *Antitypia* est quarta lex cosmologica. Nam ea sublata corpora cum corporibus compenetrantur, si vel minimum inter se confligant: quare sine ea inter se confligere nequeunt. Ut autem auferatur corporum conflictus, motu privari debent: motu autem sublato perit universi ordo; ergo antitypia ad universi ordinem efficiendum, & conservandum est necessaria; ea autem est lex cosmologica (def. 33.); antitypia ergo est lex cosmologica.

Prop. LXXVI. *Inertia* est lex cosmologica quinta; nam sine inertia minima vi omnis mundanus corporum ordo turbaretur. Inertiam autem dico eam vim, qua corpora, quæ ab aliis pelluntur, aut trahuntur, causæ motrici resistunt proportionaliter suæ gravitati, ut videantur eam ob vim niti ad statum suum conservandum.

Prop. LXXVII. *Vires particulares genitales*, quibus animantium & plantarum generationes, & series continuatæ servantur, pertinent ad leges cosmologicas. Eadem est ratio ac superiorum.

Coroll. Attractio, gravitas, vires centripetæ, antitypia totam mundanam materiam pervadunt: quum autem sint vires activæ, conficitur totam mundanam materiam esse activam, ut nihil aliud esse universum videatur, nisi substantiarum activarum compages.

Schol.

Schol. Offendit & hæc doctrina eumdem de circo Philosophum, qui & Theologum se esse jactat, nempe, ut Hieronymus alicubi inquit, inter mulierculas. Is hæc stare non posse sibi persuasit, quin Athei, si superis placet, simus. Nec animadvertit se & eum Theologia pugnare, & cum tota veteri juxta ac recenti Philosophia. Nam & Scriptura sacra docet divino spiritu omnia creata afflari, eaque statim concidere, ubi Deus eum ad se trahat: & hunc spiritum, qui rerum initio ferebatur super aquas, δυναμιν ζωτικην, *vim animalem* vocat Chrysostomus, cui plerique alii veteres consentanea scribunt: & *legem naturæ datam* S. Basilius in *Hexaemero*, *S. T.* 3. *C. G. c.* 69. Jam vero non animadvertit nulla ex re clarius Dei existentiam demonstrari, quam ex rerum activitate, ejusque activitatis mechanicis legibus, quod effici non posset, si otiosæ essent, nec ulla virtute præditæ. Jam Aristoteles totam materiam *natura* esse præditam censuit: naturam autem esse *vim activam* αρχην κινησεως (lib. 2. Phys.) atque in hoc longe a se distare ea, quæ sunt naturalia, ab eis, quæ sunt artis; quod illa hac virtute constent, non hæc. Quam doctrinam tenuere omnes veteres scholæ Philosophii, docentque adhuc. Legi potest Pererius de *Communibus principiis* lib. VII. Renatus Cartesius omnibus ac primigeniis materiæ cubulis æquam vim a Deo inditam scripsit in *Principiis Philosophiæ*, eumque omnis Cartesiana schola sectata est. Vi centripeta, centrifuga, inertiæ totam esse materiam perfusam docent nunc Newtoniani. Leibnitius vires hujusmodi activas essentias esse monadum primarum existimavit. Quid igitur hic sibi vult Heracliteus homo? Nam nec cum Theologia consentit, & ab omni Philosophorum schola est extorris. Sed, opinor, bilem movet, quod hujusmodi vires dicamus primis corporum elementis esse *essentiales*. Præclare prorsus! Nempe, quo is modo vires plasticas in plantis inesse diceret, si quidquam in physicis saperet? Nempe essentiales. Quæro, est quidquam corpori essentiale? Quod si est, quo modo est illi essentiale quod is illis tribuerit, eodem ducito esse materiæ essentiales vires activas. Postremo, quo modo animabus & mentibus vim quamdam activam insitam & essentialem inesse dicimus omnes, quin idcirco necessarium sit Deum extorrem ex mundo facere; eodem dictum existimet, quod de omnibus primis substantiis scripsimus. Sed suspicor, qua

ob rem id profiteatur: opinor enim eum putare nihil esse in mundo inditæ a Deo activitatis, sed unicam & immediatam mundi totius activitatem esse Deum, ut is in omnibus rebus & prima sit causa & secunda, agatque *immediatione virtutis, & suppositi*, ut ajunt scholæ. Sed id scito, non aliud prædicare Spinozam. Mittamus hominem, qui quid ipse sibi velit, nondum, quantum scio, didicit.

Prop. LXXVIII. Præter leges mechanicas, quibus universum corporeum regitur, exsistunt leges naturæ morales, quibus spiritus, qui nobilissima sunt totius universi pars, actiones suas liberas conformare debent. Nam quoniam universum totum ordinatissimum est, vult profecto Prima ejus Causa, cujus voluntate exsistit, ut ejus naturales relationes, idest ejus ordo servetur. Huic autem voluntati creaturas rationales parere debere, inde perspicuum est, quod sit voluntas supremi totius universi Domini. Cum autem voluntas supremi universi imperantis, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans, creaturis rationalibus per rationem communicata sit lex naturæ moralis (ex definit. 34.); sequitur exsistere legem naturæ moralem.

Prop. LXXIX. Regula certa & tutissima finitæ rationis non potest esse, nisi æterna & infinita ratio, idest lex æterna.

D. Nam ea regula debet esse ab omni obliquitate immunis, alioquin & ipsa regula alia indigeret. Quum autem nulla finita ratio possit suapte natura esse ab omni obliquitate immunis, ut est per se perspicuum, fit, ut sola infinita ratio certa & tutissima regula finitæ rationis esse possit.

Prop. LXXX. Ordo mundi est certissima regula humanæ rationis. Hic ordo est ordo æternus (ex dictis superius); ordo vero æternus est ratio æterna, & lex æterna (prop. 52.); & lex æterna est certissima norma finitæ rationis (prop. 79.); ergo ordo mundi est certissima regula humanæ rationis.

Prop. LXXXI. Homo ordinatus, atque propterea beatus est is, in quo recta ratio regnat. Nam homo ordinatus est qui vivit ex ordine mundi (prop. 80.), idest ex ordine æterno (prop. 52.), idest ex lege æterna; ergo est is, in quo recta ratio dominatum obtinet.

Schol. Vide S. Aug. de liber. arb. lib. 1. cap. 18.

Prop. LXXXII. Homo ex lege æterna obligatur ad sui custodiam.

D. Lege æterna quælibet universi res & est, & cum toto ordinata est; itaque natura sua fit, ut sit, & ut ordina-

dinata sit. Ergo quæ res huic naturæ & ordini adversantur, legi æternæ adversantur. Porro ubi homo sui custodiam deserit, naturæ suæ & ordini mundano adversatur; ac proinde legi æternæ; ex lege igitur æterna homines obligantur ad sui custodiam.

Præterea lex æterna est Dei voluntas ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans; ergo est jus Dei in universum, quod per naturam rerum manifestatur, adversus quod jus nihil potest creaturæ esse licitum. Jam natura & rerum, quas comprehendit, actione, quæ ad earum conservationem tendit: & ordine, qui stare nequit incolumis, ubi singularia adversus sui exsistentiam moliuntur; satis aperte demonstrat, Deum velle, ut singula ita sint, ut sunt, & ita sint ordinata, quemadmodum sunt ordinata; ergo ex rerum natura hoc Dei jus patescit, ut nulla res adversus sui exsistentiam quidquam agat, sed potius, ut singulæ, quantum sciunt, & possunt, sese conservent. Homo ergo ex lege æterna obligatur ad sui custodiam.

Prop. LXXXIII. Quæ ad nos spectant ex ordine mundi, ad ea jus quæsitum habemus.

D. Ad ea jus quæsitum habemus quæ ad nos spectant ex æterna lege; sed quæ ad nos spectant ex ordine mundi, spectant ex lege æterna (prop. 80.) ergo ad ea, quæ ad nos spectant ex ordine mundi, habemus jus natura ipsa quæsitum.

Scholion. Est hoc jus *permissivum*, ut dicitur.

Prop. LXXXV. Vetitum est lege æterna alterius jus quæsitum invadere. Lege æterna constat ordo mundanus (per sup.), & jus cujusque quæsitum ex ordine mundano est (prop. 83.); ergo lex æterna vetat jus alterius quæsitum invadere.

Prop. LXXXVI. Vetitum est alterum lædere in iis, quæ ei necessaria sunt & ut sit, & ut bene sit.

D. Homo obligatur ex lege æterna ad sui custodiam (prop. 82.); ergo jus habet ex lege æterna, ut sit, & bene sit (prop. 83.). Quum autem eadem æterna lege vetetur alterius jus quæsitum lædere (prop. 85.); sequitur & vetari alterum lædere in iis, quæ necessaria sunt, & ut sit, & ut bene sit.

Scholion. Necessaria porro dico ea, sine quibus natura nec esse, nec bene esse potest, non quæ sunt opinionis & cupiditatis, ad quæ non habeat jus.

Prop.

Prop. LXXXVII. Ex lege æterna Deo jus est & imperium in totum universum, & singula entia, ex quibus constat.

D. Deus est mens æterna, cujus voluntate universum & primum exstitit, & nunc esse pergit (ex sup. prop.) res igitur sua est, ac ita sua, ut pugnet esse alterius (prop. 29. corol. 2.): habet igitur jus & imperium in totum universum, & singula universi entia.

Scholion. Hoc ergo jus non ei inest ex potentia irresistibili, ut Hobbes insaniendo prædicat.

Prop. LXXXVIII. Deus est & dominus universi, & gubernator, & benefactor, & finis ultimus.

D. Prima & secunda pars constant ex superioribus propositionibus. Tertia pars. Esse, atque ordinatum esse, & bonum est, & perfectio entium universi; quum autem omnia a Deo sint, & ordinata sint; sequitur Deum esse in omnia beneficum. Quarta pars. Finis ultimus, ob quem causa rationalis agit, debet esse bonum, quod non sit minus bonum, quam est causa agens, alioquin nequit esse ultimus; quum vero nihil esse possit Deo melius: is ipse est sui ipsius, & omnium ejus actionum finis ultimus.

Corol. Deus ergo habet in universum & jura domini, & jura gubernatoris, & jura benefactoris, & jura ultimi finis.

Prop. LXXXIX. Homo debet Deo servitutem, invocationem, gratitudinem, summum amorem.

D. Homo debet vivere ex lege æterna (prop. 79.); ergo iis juribus consentanee, quæ singulis rebus competunt. Quum autem Deo conveniant jura domini, gubernatoris, benefactoris, ultimi finis (prop. 88.), iis consentanee vivere debet. Jam domino debetur servitus, gubernatori invocatio & oratio, benefactori gratiarum actio, ultimo fini summus amor, ut patet, hæc ergo omnia Deo debet homo.

Scholion. Officia heic describo; quæ ex naturali universi ordine proficiscuntur, ut leges cosmologicas attingam. Nam quæ ex christiana Religione discimus, ea in tertia parte præcipiemus.

Prop. XC. Vera hominis felicitas pendet ex exacta eorum jurium observatione, quæ jura summatim superioribus propositionibus explicuimus.

D. Homo est universi pars; ergo ejus perfectio posita est in ordine cum universo, imperfectio in ejus ordinis perturbatione (prop. 47.). Jam unde pendet perfectio, inde felicitas: ergo hominis felicitas pendet ex vita ordi-

nata

nata cum ordine universi, idest cum lege æterna (propp. superioribus). Sed nequit vitam agere cum ordine universi concordem, nisi ea jura, de quibus dictum est, religiose sequatur, quia is est ordo universi, & lex æterna (prop. 80.); ergo vera hominis felicitas pendet ex religiosa eorum jurium custodia, ex violatione vero miseria.

Corol. 1. Vera honestas est causa veræ utilitatis. Nam vera utilitas est ea, ex qua pendet felicitas: & felicitas pendet ex religiosa custodia legis æternæ (ex sup. prop.); lex autem æterna est veræ honestatis regula.

Coroll. 2. Nequit igitur vera utilitas a vera honestatis regula sejungi, nisi aut bruti simus, aut perditissimi, & nobis hostes infensissimi.

Coroll. 3. Veræ utilitatis regula est æterna & immutabilis. Est enim ipsa lex æterna. Itaque non ex arbitrio nostro æstimanda est.

Prop. XCI. Leges naturæ quum mechanicæ, tum morales, quibus hoc universum regitur, sunt quidem quod ad essentiam æternæ, sed quod ad existentiam absolute contingentes. Prima pars ex eo patet, quod leges ordinum systematum ex essentiis substantiarum fluant, (prop. 52.) quibus idcirco positis, hujusmodi leges sunt æternæ quod ad essentiam. Altera vero pars inde demonstratur, quod totum mundanum systema contingenter existit.

Prop. XCII. Leges naturæ seu mechanicæ, seu morales, quibus hæc rerum universitas gubernatur, ex hypothesi tantum sunt immutabiles. Nam hujusmodi leges relationes substantiarum sequuntur: ergo his substantiis positis, eoque systemate, quo continentur, non possunt esse aliæ, nisi sublimiori ordini ordo naturalis serviat; qua de re dicemus alibi commodius.

Scholion. Offenderat plerosque theorema 48. primæ editionis, quo ego docueram, *leges naturæ morales, quæ spectant aut nos ipsos, aut societatem, aut alia naturæ creatæ entia, mutabiles esse*. Id ita acceperant, quasi ego censuerim, *communissima*, ut S. Thomas vocat, *naturalis legis præcepta* ita esse comparata, ut ea a sola Dei voluntate, ac velut præcisa ab æterna sapientia, rationem haberent suam, utque possit illa Deus, etiam universo hoc eodem permanente, iisdemque rerum relationibus, abrogare, quinimo contraria constituere: uno verbo, ut possit non solum in toto naturæ jure dispensare, sed etiam in tota

æter-

æterna lege, ex qua jus naturæ fluit, veluti ex fonte rivulus. Quumque nihil ſit aliud æterna lex, quam *ratio divinæ ſapientiæ gubernativa totius univerſi*, ut loquitur S. Thomas (*a*), concludebant, Deum æternam quoque ſui rationem aut abrogare, aut commutare poſſe. Atqui ſi ita ego ſenſiſſem, profecto non ſolum totam Dei naturam, quam generatim ſuperius poſueram, ſubvertiſſem, ſed ſuperiora etiam omnia theoremata, quibus demonſtraveram, leges univerſi ex ſubſtantiarum eſſentiis fluere, iiſque aptari, eaſque æternis & immutabilibus ideis contineri, ut idcirco diverſa rerum ſyſtemata, diverſis regi legibus ſit ita conſequens, quemadmodum conſequens eſt, ut diverſæ ſint circuli & trianguli proprietates, quæ ex circuli & trianguli eſſentiis proculdubio diverſis, manant. Ac poterant iſti, ſi rem ipſam propius accuratiuſque perpendiſſent, undequaque rationes habere, quibus me a tam abſurda doctrina defenderent, niſi in quibuſdam harum rerum ſumma ignoratio, in aliis depravati animi affectus judicium omne aut impediviſſent, aut pervertiſſent. Scilicet exiſtentiam ego legum iſtarum ſpectaveram. Eam eſſe contingentem & mutabilem dixeram. *Priores illæ leges* (quibus ſcilicet naturæ creatæ entia reguntur) *ſpectant exiſtentiam vel totius ſyſtematis univerſi, vel peculiarium ſyſtematum, quibus illud conficitur: eſt autem hæc exiſtentia contingens, unde leges phyſicæ mutabiles* (ideſt contingenter exſiſtentes) ; *mutabiles ergo* (ideſt contingenter exſiſtentes) *leges morales, quæ eam ſpectant*. Ita ego theorema illud demonſtraveram. Quamobrem nihil eſſe poterat magis perſpicuum, quam me non eſſentiam harum legum, ſed exiſtentiam dixiſſe mutabilem, &, ut ego voco, *contingentem*: exſiſtentiam vero ita, quod hæc rerum univerſitas omnino divina virtute deſtrui, & in nihilum reduci poſſit, ejuſque loco mundus alter ſubſtitui, qui ut alium ordinem, ita alias exigat leges. In infinita enim ſyſtematum poſſibilium varietate, eſſe aliquod poteſt, in quo eæ leges, quæ non creatorem, ſed creatas res ſpectant, quæque in earum naturis inædificantur, ſint locum habituræ, quæ iis, quibus nos gubernamur, adverſentur. At quouſque præſens rerum univerſitas exiſtet, ut eſſe alia nequit, quam eſt, ita ne aliis

(a) 1. 2. *q*. 91. *art*. 1.

aliis quidem legibus regi, quam quibus regitur, potest, ac proinde etiam harum legum existentia est ex hypothesi necessaria. Atque huc spectat præclarum illud Pseudodionysii frequentissime S. Thomæ usurpatum, & ex intima Metaphysica depromtum, *corrumpere rerum naturam non est divinæ providentiæ* (*a*). Interim poteram ego, si id scripsissem, quod mihi per summam injuriam tribuebant, ac si in his rebus non ratione, sed auctoritate caperer, plurimorum magnique nominis Theologorum præsidio doctrinam illam valide communire. Neque enim ita sum in veteri Theologorum Schola peregrinus, ut ignorem, Ockamum (*b*), Gersonem (*c*), Almainum (*d*), generatim pronunciare, in omnibus naturæ legibus dispensare posse Deum: Durandum vero in plerisque saltem (*e*): Bonaventuram in ceteris, præterquam in tribus prioribus decalogi (*f*): Scotum & Gabrielem in omnibus, præterquam in duabus prioribus decalogi (*g*). Sed nec poteram ea defensione uti, quæ totum, quod ego meditor systema metaphysicum evertit; nec si possem, volui; quippe qui sciam in his acroamaticis quæstionibus veteres illos Metaphysicos, utut magni ingenii, sectæ plerumque serviviſſe, affectibus nonnumquam, ac pleraque non de fontibus primis, sed de rivulis deflexisse. Uni ego S. Thomæ hoc tribuo, ut si pauca, in quibus ætas eum abripuit, excipiamus, in ceteris & ad primas humanæ sapientiæ scaturigines pertingat, & limpidissimus fluat.

CAP. VII.

De Uno, & Universalibus.

Prop. XCIII. OMne ens est unum sive simplex, sive compositum. Axioma est magna Philosophorum consensione probatum.

Schol. Nam quidquid exsistit, aliquid est; hoc vero hoc potius, quam aliud; & id per *essentiam*: essentia autem una

(a) *I. p. q. 22. art. 6. & alibi*. (b) *In 2. Sent. q.* 19.
(c) *In tract. de vita spirit. lect.* 1. *Coroll.* 10.
(d) *Tract.* 3. *Moral. cap.* 15.
(e) *In* 1. *sent. dist.* 47. *q.* 4.
(f) *In* 1. *sent. dist.* 47. (g) *In* 3. *sent. dist.* 37. *q.* 1.

una rei intrinseca forma, qua res id est, quod est; ac propterea una; itaque omne ens unum est.

Prop. XCIV. Nullum est in natura *unum universale*.

D. Hoc unum universale aut divisibile esset, aut indivisibile. Si primum, unum non esset, sed plura. Si posterius, id per se constaret, ejusque res omnes ceteræ essent modificationes; una ergo esset universi substantia, idest una substantia contingentium, id quod esse nequit (p. 39.)

Scholion. Se nobis plures e veteribus ac recentibus Philosophis opponunt. Non ignotum quot Philosophis *unum* reale adriserit, in primis Jonicis, Eleaticis, Pythagoricis, Platonicis, Aristotelicis. *Unum infinitum* esse rerum omnium principium dixit Anaximander Jonicæ scholæ alumnus. Ex hoc infinito omnia prodire, & in idem eundem aliquando redire (a). Nihil dicam de Eleatensibus, quorum fuit hoc *Unius* dogma præcipuum. Unitatem mentis Pythagoræ, ex qua ceteri animi caperentur & memorant veteres sæpe, & redarguit Cicero in libris de natura Deorum. Pervulgata est & Platonis anima & natura genitrix una & ipsa ac universalis. In primis autem Unitas materiæ ac Universalitas, si scholam Democriticam excipias, veteribus ferme omnibus placuit, in primis Aristoteli. Mittamus nunc veteres, ac unum Patricium virum alioquin perspicacem & eloquentem audiamus. Is postquam demonstrasset esse unum omnium rerum principium efficiens, æternum, simplicissimum, infinitum (b), existimat ab eo alterum unum profluisse, quo omnia, quæ rerum universitate continentur, unum sint. Id autem iis argumentis efficit, quorum illud pudere potuisset, si a Platonicorum vino, quo se inebriaverat, paullum remisisset. *Omne*, inquit (c) *ens est: omne quod est, per essentiam est*. Nota hæc & perspicua. Non iterum quæ sequuntur. *At essentia in plurimas partes scinditur: partes omnes has totius esse partes necesse est; totum autem omne unum esse est necesse. Essentia ergo tota uno participat, & partes ejus singulæ unæ sunt*. Si hoc in loco *Essentiæ* nomine Patricius totam universitatis *naturam* intelligit, ut intelligere videtur, *seu formam universalem*, ac *entelechiam* per totum mundum diffusam, ut vocat ad cal-

(a) *Plutarchus de placitis philosopher. lib.* 1. *cap.* 3.
(b) *Panarchias lib.* 2. (c) *Ibid. lib.* v.

calcem libri octavi, is dupliciter peccat: nam principio quum ponit, *omne, quod est, per essentiam est*, singulorum: intelligere debet internam *constitutionem, formam, essentiam*: alioquin id ponit, quod in quæstione est. Quum vero concludit, *essentiam scindi in partes, ac essentiam totam uno participare*, dilabitur a prima notione ad universalem hanc *essentiam*, atque ex singulari decreto universale deducit, quod est turpiter in ratiocinandi canones peccare. Deinde si utrobique *essentiæ* vocabulum generice accipit, altero modo peccat, quod ea velut decreta sumit, ad quæ ille demonstranda aggreditur: hanc enim *universalem essentiam*, quam ille esse ponit, quamque in partes scindit, quæ omnes uno participent, demonstrare oportebat.

Sed ecce: quæstionem urget ac premit. *Si in universo nulla est multitudo, forte & unum aliquod fuerit in universo. At in universo multitudines sunt multæ, multa rerum genera, multæ species, multa individua: multa tota, multæ totorum partes: essentiæ multæ, vires multæ, actiones itidem multæ. Multitudo hæc rerum tam multarum, vel ordine constat aliquo, vel ordine constat nullo. Si nullo, nulla causa effectum suum præcedet, nullus effectus causam suam sequetur. Genus nullum, species partesque antecedet suas: neque hæ sequentur illa. Neque actio a viribus nascetur, neque vires ab essentia, sed hæc erit post vires, & actio vires anteibit .... omnia per omnia erunt fusa, omnia in omnibus confusa jacebunt. At his omnibus contraria cernimus omnia & experimur .... Ergo res mundanæ omnes ordine constant aliquo, & sunt suis numeris, formis, molibus, qualitatibus ornatæ & ordinatæ. At ubi ordo, ibi primum, & secundum, & tertium, & reliqua deinceps. Ergo in rerum universitate primum aliquod est. At primum hoc, quid aliud est, quam unum?* Misere & heic dilabitur a quæstione Patricius. Quærebatur unum, cujus, ut ille loquitur, totius Essentiæ, idest mundi partes sint partes, quo omnes participent: hic autem unum esse conficit effectivum mundi, mundanique ordinis principium, id quod quæstione caret. Præterea esse in mundo unitatem ordinis, non essentiæ & substantiæ. Unitas autem ordinis non magis probat unitatem substantiæ, quam unitas systematis geometrici probet unitatem figuræ. Exempli tantum causa ejus hoc argumentum protuli, ut quam consequenter ratioci-

tiocinetur Platonicus noster intelligamus. Reliqua ejus argumenta videri eodem in libro possunt: sed ejusdem sunt farinæ, ut dici solet. Nempe in hoc viro ratio a phantasia urgetur, ac distrahitur. Illud nollem in Italo Philosopho, hæc adeo provexisse phantasmata, ut non sine ratione Pantheistis favere videatur. Tandem enim aliquando ait hoc *unum* esse principium omnium rerum, *principium ordinis*, *& numerationis*, *& productionis*, *& constitutionis*, *& essentiæ*, *etiam* UT EX MATERIA, *& conservationis*, *& adcrementi*, *& perfectionis*, *& finis reditus*. Nempe eo tandem insaniæ evadunt fanatici! Repetit autem idem in 7. & 8. lib. ejusdem operis.

Acutius autem hoc Patricii argumentum & distinctius pertractavit Campanella in Metaphysica. Ex infinitis particulis corporea rerum universitas componitur, quarum singulæ a singulis separari possunt. Hinc primæ ac simpliciores rerum series progignuntur: ex istis majores, eæque per vastissimum mundi spatium ita dispositæ, ut aliæ cum aliis mirabili ordine connectantur. Tanta moles sine vi quadam conglutinante, ut ita dicam, nec gigni, nec stare potest. Hanc vim seu adtractionem vocaveris, seu vim singula ad singula impellentem, perinde est, esse certe aliquam necesse est. Neque vero corporea illa esse potest: est enim perspicuum totam materiam, non crassiorem modo, sed etiam subtilissimam, hac vi, ut coeat, indigere. Porro non solum incorporea esse debet, sed arte instructa; artis enim & vestigia in materiæ coagmentatione apparent manifestissima. Itaque una ea erit & simplex, eaque una participabunt omnia. Erit ergo hoc universale illud in rebus, de quo disputamus.

Permovit hoc Cudworthum, ac recentes alios Philosophos: neque enim inficior. Sed si rem perpendamus adcuratius, intelligemus, hoc eo argumento demonstrari, vi aliqua mundi partes ac ordinem stare: intima autem iis hæc sit vis, an ea sit sola Dei voluntas omnipotens, id ego confici manifesto non video. Porro ut sit rebus intima hæc vis, necesse non est, ut sit una ac simplex, qua omnia participent: idem ordo consistere quoque potest, si singulis monadibus singulæ sint vires, ex quibus secundum Dei regulas coeuntibus vis una aliqua mundana efflorescere videatur. Itaque necesse non est, ut hoc universale unum constituamus.

Non ego hoc in loco Scoti quoque rationes proferendas

censeo, quas ille nimio acumine, sed nullo sæpe judicio exaggeravit (*a*). Itaque hic locus est, in quo Scoti pudere nos possit. Sed utcumque ejus argumenta considerentur, id illi est certum, rerum species *esse communes quasdam naturas, non a singularibus separatas*, in quo ille secundum Aristotelem Platonem reprehendit, *sed in singularibus exsistentes, ita tamen, ut habeant suum esse reale distinctum ab esse numerali singularium*: id enim *esse*, inquit, intelligo: *naturam communem* percipio: at quod intelligitur intellectum præcedat necesse est; quod enim non est, id ne intelligi quidem potest. Quasi scilicet possibilia non intelligantur; quasi nihil sit, quod intellectus non plerumque sibi confingat. Nec necessarium est, ut longius exempla petamus: naturas communes intelligebat Scotus, quæ nullibi sunt, nisi in intellectu. Quod si istud argumentum quidquam habet ponderis, conficietur & *genera esse naturas reales ac communes, ipsum tandem ens*. Quum nihil exsistat, quod non sit ens, *unum ens erunt omnia*, illud nempe, quod cum tota pugnat natura rerum.

Hic locus esset de *Universalibus* copiosius disserendi. Nos ne in dumeta hæc ingrediamur, paucis saltem historiam comprehendemus. Quæ super Universalibus disputata sunt in veterum Philosophorum scholis, plurima sunt & intricatissima. Ea Cartesianis Philosophis velut nullius pretii sunt deinceps habita, quod eam instituissent philosophandi viam & rationem, quæ longe esset ab iis diversa, qui ab Universalibus mundi Principiis exordiebantur, quales Eleatici, Jonici quidam, Platonici, & Peripatetici antiqui, junioresque. Hinc tota ea materia e scholis ejecta ab hominibus, qui quorsum tot illæ disputationes spectarent, minime intelligebant. Sed postquam invaluit apud quosdam Pantheismus, tum tandem cognitum est, quanti referret, hæc adcurate perpendere.

Et veteres quidem Philosophi quod ad hanc rem pertinet, in duabus classibus constitui possunt. Quidam eorum materiam *ασωματικην incorpoream* posuere, eamque immensam undequaque, ex qua vi *Entelechiæ* manarent omnia, quæ generantur, & in quam tandem abirent omnia, quæ

(a) *Lib.* II. *Sent. dist.* 3. *q.* 1. *Vide ut Scoti illa argumenta venent Thomas Cajetanus lib. de Ente & essentia & Franciscus Suarez Metaph. disp. 6. sect.* 1.

destruuntur. Et Pythagoreorum, quorumdam Jonicorum, Platonicorum, Peripateticorum sententia fuisse videtur (*a*). Hæc materia procul dubio substantia est universalis, utut in scholis Peripateticorum vocabulum substantiæ ad composita ex materia & forma transferatur. Alii e contrario Corpuscularem Physicam invexere, ac totam istam substantiam universalem rejecerunt. Hæc Democriticorum fuit, & Epicureorum doctrina. Hi nullam in natura substantiam universalem agnoverunt: ex atomis omnia conflata arbitrabantur. Retinuere quidem immensam illam extensionem, quam materiam & *ὑποκείμενον* primum, seu *primum subjectum*, Pythagorei, Platonici, Aristotelei vocabant, *infinitum* Anaximander, & veteres alii; sed longe alio ab iis intellectu: nec enim activam hanc posuere per se ipsam, nec in rerum naturam ullo modo influentem, nec ullas ejus agnoverunt modificationes, quod est necessarium ad rem universalem constituendam: est enim res universalis una quidem, sed *in multis*, ut loquitur Aristoteles: locum tantum ac fundamentum rerum omnium, quod nihil ageret, nihil pateretur, arbitrati sunt. At illi materiam primum rerum omnium subjectum fecere; ex quo vi *naturæ*, seu entelechiæ, quasi *animæ* per totam materiam diffusæ, manarent omnia, & qua constarent. Scio ita plerumque Aristotelem loqui, ut materiæ *potentiam mere passivam* tribuat, qua cum notione accepta materia isthæc vix intelligitur, in quo ab immenso Democriticorum vacuo seu loco differat. Sed quando & *naturam*, & *entelechiam*, seu vim activam, formarumque eductivam materiæ adsociavit, & ex ea omnia fieri credidit, *potentia* illa *passiva* ita concipienda est, ut sit formarum capacitas, atque ad eas indifferentia, non ut materiæ activitas omnis auferatur. Quod si *naturæ* nomine (nam est hæc res apud Aristotelem obscurissima) intellexit ille aut vim Intelligentiarum orbibus præfixarum, ut conjicit Bruckerus (*b*); aut vim & influxum primæ cujusdam Intelligentiæ, quæ toti materiæ præsit, ac per eam effundatur, quod Arabes putarunt; aut,

---

(a) *Timæus Locri de anima Mundi inter Opuscula a Galeo collecta pag.* 544. *Cic. Ac. qq. lib.* I. *cap.* VII. *Aristoteles ipse in* I. *Phys. Plutarch. de plac. phil. lib.* I.

(b) *Historia Philosophiæ tom.* I. *pag.* 814.

aut, si ego opinor, Dei ipsius vim, quæ ab eo emanet necessario, materiamque permeet modificetque; proculdubio Aristotelica hæc materia a natura illa velut segregata vix est, ut a vacuo differat, nisi fortassis mysteriis & involucris, quibus eam Aristoteles texit. Hæc autem doctrina universalis materiæ eo apud plerosque Aristotelis sectatores evasit, ut tandem Deum ipsum esse sibi persuaserit David a Dinando. Theologi christiani hanc Aristotelis materiam tenuere: sed non omnes sibi consentanei fuerunt. Nam quum omnes universalem illam *a parte rei* statuere deberent ex consectariis suorum principiorum, soli in eo Scotistæ hæsere tenacius, qui idcirco velut Pantheistæ accusati sunt (*a*); non jure tamen, quod ipse Baelius animadvertit. Sed vel universalitas materiæ Aristotelicæ pernegauda fuerat omnibus Aristotelis sectatoribus, ut omnia in natura singularia ponerentur, ac Philosophia corpuscularia induceretur: vel cum Scotistis natura universalis erat admittenda.

Interim est hæc doctrina valde hodie periculosa, præsertim si cum quibusdam aliis τινιτατι theorematis jungatur. Scitum illud est scholarum Peripateticorum adagium, *unumquodque secundum hoc est Ens actu, quod habet formam*: nam forma *dat esse rei*, idest materiam suapte natura unam & indifferentem determinat ut *hoc*, aut *illud* sit. Itaque formæ sunt modificationes unius hujus extensionis mundanæ, quam illi, ut dictum est, *materiam primam* vocant. Porro eæ modificationes e sinu materiæ profluunt vi naturæ, idest, ut ego accipio, actione Dei, qui ex Aristotele necessitate naturæ suæ materiam modificat; id quod non ignoraverunt Scholastici, qui & monent sæpe, & in eo Aristotelem suum deserunt, tenaces alioquin dogmatis universalitatis materiæ. Quocirca totius mundi primum principium internum unum quidem ex Aristotele erit, *materia prima*, seu infinita extensio incorporea: *principium activum entelechia*, *forma*, item unum, actio videlicet ex Deo emanans, & necessario totam materiam pervadens. Inde substantia una mundana, cujus modificationes sint entia singula. Pura est hæc Aristotelis doctrina: purus putusque Spinozismus. Nam Spinoza hæc ex Arabibus, veterique Peripatetica schola in-

 ter-

(a) *Baelius in dict. Art. Spinoza.*

terpolavit (1). Itaque erat hæc gravissima ratio quamobrem Corpusculares Physici ab hac materiæ unitate discederent; recteque animadvertit sæpe Cudwortus, Physicam hanc Corpuscularem adcommodatiorem esse, quam Peripateticam, ad Dei causam adversus profanum genus tuendam.

Prop. XCV. Repugnat imago entis, quæ sit universalis in repræsentando. Nam quodlibet ens est unum singulare (prop. 93. & 94.): cujuslibet igitur entis imago rem unam singularem repræsentat: repugnat ergo imago universalis, idest, quæ quum sit una, plura tamen objecta singularia referat. Ac vero qui intelliget, eadem effigie plures & diversos homines exprimi posse, is hujusmodi generica exemplaria concoquere poterit.

Scholion. Quid faciemus, inquit aliquis, divinæ intelligentiæ, quæ quum una sit ac simplex, omnia exhibet possibilia? Respondeo longe diversam esse rationem divinæ intelligentiæ, atque aut Platonicorum exemplarium *ante omnia*, aut rerum creatarum intellectus: illa non ab iis, quæ extra se sunt, rerum haurit ideas, sed quum se ac essentiam suam contempletur Deus, in se ac natura sua possibilium omnium essentias intelligibiles procreat, ut superius demonstratum est: Entitas enim divinæ essentiæ infinita est. At exemplaria Platonica infinitam entitatem habere nequeunt. Mentes item creatæ, quum finitæ sint, nequeunt in se ac essentia sua rerum aliarum naturas delineare; quare extrinsecus hauriant necesse est. Hujusmodi ergo ideæ, si quidem objectis, unde hauriuntur, respondent, tam sunt singulares, quam objecta, nec universales esse possunt, nisi *potentia*, ut scilicet, quum unæ sint, similia plura possibilia repræsentent, quam universalitatis rationem per *indifferentiam* veteres scholæ Philosophi dixere. Ex. g. idea circuli A una suapte natura est & singularis. Interim quum omnes circuli eamdem habeant essentiam, nihil vetat dicere eam omnes circulos abstracte exhibere; non quod revera exhibeat, sed quod omnibus eadem applicari potest.

Coroll. 1. Ideæ igitur Platonicæ, si ita excipiantur, ut conjicit Bruckerus, nempe pro æternis atque extra Deum existentibus exemplaribus, ac *essentiis separatis*, ut vocat sæpe Aristoteles, esse nequeunt universales *in repræsentan-*

tan-

(1) *Valchius* de Atheismo Aristotelis *in Parergis Academicis*.

tando. Accedit, quod si hujusmodi ideæ sint æternæ & per se subsistentes, nequeunt exhibere, nisi seipsas: suapte autem natura universales non sunt. Vix credibile est tantum Philosophum ita hæc intellexisse, ut loquitur. Itaque sæpe addubitare cogor, Aristotelem, quo præsertim Auctore hæc adfirmantur, quo systemati suo de emanatione mundi a Deo & materia serviret, hujusmodi ideas platonicas paullo ad modum Poetarum comtiores exhibuisse, quo absurdiores viderentur. Nam Stagirita in hoc dogmate pertinax est, ideas & formas nusquam extra materiam esse aut fuisse unquam. Quum contra ii omnes Philosophi, qui minus Deum cum materia commiscuerunt, hujusmodi formas primum in Deo separatas posuerint, inde vero in materia expressas. Sed nolo quidquam ultra suspiciones affirmare. Alioquin scio, *nullum esse*, ut ille inquit, *absurdum*, *quod non aliquis philosophorum dixerit*.

Prop. XCVI. Si ideæ vocabulo significamus rerum externarum imagines, easque a perceptionibus distinguimus, nullæ sunt ideæ hoc sensu universales, nec *ante multa*, seu Platonicæ, nec *post multa*, quæ aliis placuere.

D. Nullæ sunt aut esse possunt imagines universales (prop. 95.), sunt autem ideæ imagines rerum externarum (ex hypothesi); nequeunt igitur esse universales.

Scholion. Doctrina est omnium pene recentiorum Philosophorum, eaque clarissima. Miror ergo nostrum Doriam inter alia in Lockio crimini vertisse, quod negaret ideas universales, quasi hoc sit mentis humanæ naturam evertere. Etenim quamquam Lockius ideas universales ea, qua accepimus, notione negat, at non negat tamen intellectiones ac rationes universales abstractas, quarum ope contendit confici ideas universales, & quam vim esse hominis propriam docet. Vide quæ super ea re in secunda parte dicentur.

Prop. XCVII. Non repugnant perceptiones & rationes universales.

D. Perceptionem universalem voco actionem mentis unicam & continuatam, qua plures res, aut plures ideas, si istæ a perceptionibus distinguuntur, confuse comprehendit: nihil autem repugnat hujusmodi actio mentis; quinimo intime conscii sumus, nos unica mentis actione plura simul objecta nobis confuse repræsentare; ergo perceptiones

universales non repugnant. Præterea ratio universalis est æstimare singularia ex universalibus axiomatibus & propositionibus: sunt autem in nobis axiomata & propositiones universales per *indifferentiam*, eæque quotidie peculiaribus speciebus applicantur; est igitur in homine ratio universalis.

Scholion. Quænam ratio Wolfium induxerit, ut & perceptiones universales negaret, non satis teneo. Is distinxit inter ideas & perceptiones: tum vero addidit, & singulas ideas *singulares* esse, & singulas ideas singulis perceptionibus percipi; perceptiones vero, quæ vulgo universales habentur, esse plures perceptiones magna celeritate editas, quibus ideæ similes repræsentantur, ita ut quemadmodum plurium individuorum similium celeres perceptiones dicantur *species*, ita celeris perceptio plurium specierum similium sit, quod *genus* appellatur. Cujus doctrinæ posterior pars non est evidens, qua nempe docet singulas ideas singulis perceptionibus comprehendi. Nam quamquam actio mentis intellectrix ex relatione ad ideas singulares rationem habeat singularium perceptionum; nihil tamen vetat, unam esse eamdemque ac continuatam, sed diversis objectis applicatam, quo ego nomine universalem habeo. Jam vero qui Sensistæ dicuntur & Hobbesiani perceptiones quidem universales & ipsi admittunt, sed alia ratione: iis enim perceptiones sunt sensuum & cerebri motiones: quum autem velint has motiones quasi in unam convenire in quadam cerebri parte, quam sensum communem vocant, hoc ipsum perceptionem universalem appellant, de qua absurditate loco suo.

CAP. VIII.

De Natura Mundani Spatii.

UNitatem ac universalitatem substantiæ mundanæ satis, ut opinor, videor in superioribus refellisse. Sed quum quidam recentes Philosophi veterem Anaximandri ac Metrodori opinionem in scenam revocasse videantur, primam nempe ac universalem substantiam esse spatium primigenium, hanc ego accuratius perpendendam duxi. Habet hæc investigatio duas partes: nam seu spatium est, infinitum, immobile, penetrabile, indivisibile, unum, & id longe esse quum a Prima substantia alienum, tum ab *νοι* mundi demonstrabimus. Seu non est, & nos hujusmodi cura liberabit.

Sed quum hoc capite ad opinionem hoc sæculo longe la-

teque

teque diffusam confutandam aggrediar, *spatii* nempe hujus undequaque *immensi*, *æterni*, *incorporei*, *immobilis*, *indivisibilis*, ne ullá mihi ex novo, ut heic videri potest, conatu, invidia creetur, duo ut lectores animadvertant, oro. Primum hujusmodi res nullius hominis auctoritate præfiniendas, ne a philosophandi libertate in antiquam iterum Peripateticorum tyrannidem dalabámur. Quocirca argumentis res conficienda est, ac resonantia illa hinc inde pugnantium Philosophorum nomina tantisper seponenda. Sæpe enim dixi: Philosophiam hujusmodi a ratione natam, ratione nutriri & propagari: quid est autem ratio nisi idearum nostrarum calculus? Alterum, ut, si auctoritate standum sit, animadvertatur, non minus graves Philosophos, & Mathematicos ex una, quam ex altera parte judices sedere, ne quis putet alios ignoratiône rationum alterius partis, aut stupiditate peccare. Neque enim putandum est Leucippum, Democritum, Epicurum, Lucretium, Galilæum, Gassendum, Morum, Lochium, Newtonum, Gravesandium, Musschembroekium rem acu tetigisse: Aristotelem vero, Cartesium, Malebranchium, Regium, Rohaltum, Hobbium, Leibnitium, Hartsoeckerum, Wolfium, cæcútiisse. Quis præterea credat clarissimis, ut putant, Newtonianorum *demonstrationibus* Philosophos atque Mathematicos ingenuos refragari? Demonstrationis enim mathematicæ ea est vis, ut nemo nisi stupidus ei repugnet. Atque hoc argumento est rem non esse adhuc ad exitum adductam: nam quæ sunt hujusmodi refragatores non habent, nisi truncos, aut pravos. Accedit, quod Newtonus ipse in quæstionibus Opticis, spatium mundanum fluido æthereo minime centripeto (unde tota hæc exsistit quæstio) impleri supponit, quamquam illud rarissimum habet & tenuissimum. Robertus Green (*a*) in Principiis Philosophiæ, quæ anglice scripsit, animadvertit, Newtonum in altera Optices editione vacuum, quod in prima adfirmate constituerat, convertisse in *fluidum æthereum*, & in altera item editione Principiorum, propositionem, *quod detur Vacuum*, in hanc, quod res omnes non sint æqualiter plenæ. Scilicet etiam ubi quis in animum induxerit, vacuum illud immensum negare, totumque mundanum

(a) *Vide Acta Lipsiensia Anno* 1729. *pag*. 240. *&* *Anno* 1730. *pag*. 207.

ſpatium materia eſſe plenum conſtituerit, materiem vero non ubique homogeneam, neque ejuſdem activitatis poſuerit, poterit ea ſpatia vocare vacua, quæ materiæ illius tenuiſſimæ, atque activitatis, præſertim gravitationis, minime ſenſibilis, non vero iſtius craſſioris, atque majoris & ſenſibilis activitatis, ſunt plena, idque ipſius Newtoni auctoritate quadam. Qua de re paullo poſt.

Tum quum olim & ipſe doctrinam hanc ſpatii immenſi & vacui ſectatus fuerim, docuerimque pertinacius, quæret a me quiſquam fortaſſis, ecquid cauſæ fuerit, quam ob rem pertinaciter nunc rejiciam? Ego vero candide dicam. Principio, argumenta, quibus vacuum iſtud adſeri ſolet, quum ad incudem revocaſſem, ſenſi probari illis quidem, exſiſtere ſpatium aliquod, in quo ſenſibilia & craſſiora corpora locata intelligerem, ſed cujus naturæ illud ſit, minime demonſtrari. Quatuor autem ſubibant animum. Primum eſſe fortaſſis fluidum ſubtiliſſimum, minimeque grave, quod ſenſibus non perciperetur, flexile tamen, ac mobiliſſimum, etiam in minimis ſui particulis. II. Eſſe rem unam & ſimplicem ſine ulla activitate, qualem Epicurei conſtituunt. III. Eſſe æternum ac primigenium *nihil*, ſpatioſum tamen, quod & dixerat olim Gaſſendus, & placuit quibuſdam recentioribus, viris alioquin doctis, & acutis. IV. Eſſe ipſam Dei immenſitatem, ut Deus ſit cunctorum locus. Ut a poſtremo incipiam, illud quamquam non vacabat auctoritate veterum quoque aliquot Theologorum (*a*), nimis eſſe periculoſum videbam, eoque anſam neſcio quam Spinoziſtis dari, quos ego quum in his elementis oppugnatum irem, intellexi ab ea me opinione recedere oportere, etiam, ut eſt illa falſiſſima, ſi utcumque defendi potuiſſet. Penultimum quantum ſit abſurdum nemo ignorare poteſt, modo animadverterit, extenſionem, quæ vacuo tribuitur, realem eſſe, non imaginariam. Ecquis autem ſibi perſuaſerit extenſionem realem eſſe *nihil*? Nos, qui ex ideis humanis philoſophamur, ne in quæſtionem quidem hoc adducere operæ pretium eſſe exiſtimamus. Dicere porro hujuſmodi extenſionem realem eſſe æternam, exigebat, ut rem Deo coævam ponerem, in qua nihil illi inſit juris, quod ego in primis impium, atque tale, quo tota naturalis Theologia ſubvertatur, cenſeo. Itaque primum veri eſſe

(a) *Vide Petavium Dog. Theolog. T. 1. lib. 3. cap. 9. §. 10.*

esse similius arbitratus sum, idque tanto liberius sum complexus, quanto cum gravissimorum Philosophorum consensu. Nec tamen velim contendere pugnacius, modo ne id dicatur, extensionem vacuam esse Dei ipsius immensitatem; ac per me licet; modo illud caveatur, aut spatiosum nihil dici, aut a Deo creatam extensionem, quod tuetur Musschembroeckius. Est enim, ut in aliis rebus, ita in Physicis, quod ingenio tribuas Philosophorum, modo ne ea turbentur, quæ sarta ac tecta servari omnium interest.

Tum vero, quum in rem ipsam acrius inquirerem, non intelligebam, quo tandem ex fonte hæc in nobis vacui ipsius realis notio informari posset. Ratum enim mihi ac certum est, ea, quæ in nos nullo modo agunt, idest nec *immediate*, nec *mediate*, omnino a nobis ignorari. Nam qua ea via & ratione perquiramus, quando nullas eorum ingenitas a natura notiones habemus? Quum autem vacuum istud, si quidem ullum est, nec patiatur quidquam, nec agat, nullamque habet cum reliqua rerum universitate connexionem, suspicabar, quidquid super ea re in Scholis constitueretur, divinationi esse persimile. At enim locum corporum esse aliquem necesse est. Nempe crassiorum corporum locum inter nos aerem habemus. Habeat aer & suum locum, qui sit subtilior æther. Potest hic & alium subtiliorem habere: quis enim quousque materiæ tenuitas portendi possit, novit? Quæretur, an ullum his fluidis multiplicandis faciemus finem? Equidem facimus, sed ita, ut postremum, & reliquis & sibi sit locus. Alioquin eodem argumento, & loci locum, ac spatii spatium quærere possimus. Quidquid ejus sit, quidvis potius dixerim, quam ut substantia una, simplex, immensa, nihil tamen agens nec patiens, res omnino otiosa, Dei interim extensio, invehatur. Sed argumenta primum Epicureorum perpendamus.

Prop. XCVIII. Gravitatem, non absolute cognoscimus, sed relative. Nam gravitas est vis centripeta; itaque ex directione ad centrum cognoscitur. Non *absolute* igitur, sed *relative*.

Prop. XCIX. Nihil pugnat esse in universo materiam quamdam tenuissimam, quæ nec centripeta sit, nec centrifuga.

D. Vires hujusmodi non sunt materiæ essentiales, quemadmodum extensio, antitypia, &c.: ergo sine iis concipi & esse materia potest.

Schol.

Schol. Sane gravissima argumenta demonstrant lumen non esse grave. Quodnam enim dicemus ejus esse centrum? Certe nullum est luminis elementaris centrum. Quid si sint fluida etiam subtiliora? Id quod non sine ratione videtur opinatus Newtonus. Jam ignis centripetus certe non est: ejus enim natura est, ut quaquaversus diffundatur in modum radiorum sphæræ a centro, quod experimenta extra omnem dubitationem ponunt, agnoscitque Massuetus in *Institutione philosophiæ recentioris*.

Prop. C. Ex motu corporum, ex astrorum æquabili & perenni circulatione, ex jactu luminis fixarum, ex magnis cometarum caudis (1) nulla solida argumenta pro vacui exsistentia desumi possunt.

D. Ex his phænomenis solida pro exsistentia vacui argumenta desumerentur, si esse omnino non possent, nisi vacuum esset. Ita enim Epicurei & Newtoniani argumentantur. Nisi est vacuum, in quod corpus eat, quum omnis materia sit æque solida, corpus nihilo commoveri potest magis, *quam si dura silex, aut stet marpesia cautes* .... Deinde motus astrorum in pleno fieret continuo tardior, ob medii resistentiam. Accedit eodem, lumen fixarum in tanta distantia non fore ad nos permeaturum, continenter a medio solido retusum. Tum vero, tam ingentes cometarum caudæ, qui hac illac moveri possent? At hæc phænomena omnia explicari etiam in spatio pleno quidem, sed fluidissimo, mobilissimo, activissimo Philosophorum plures, iique docti, ac in cognitione naturæ versati agnoscunt: nulla ergo inde solida ac necessaria pro vacuo argumenta desumi possunt.

Schol. Sane quum in medio fluido, elastico, & mobilissimo pars quælibet undequaque prematur, si aut fluidi pars aliqua, aut durum fluido mersum resistentiam versus quamcumque directionem superaverit, tum pars fluidi anterior cedet etiam anterius; & posterius, aut circumjacens fluidum sequetur. Quumque partes hujus fluidi aptissime sibi, aut duris corporibus, cohæreant, variisque figuris aptare se possint, potest motus continuari quacumque, sine ullo vacuo. Nunquam hoc esse ἀδύνατον demon-

(1) Habent hæc argumenta Lokius lib. 2. cap. 13. §. 23. Gravesandius in Philosophia Newton., Musschembroeckius in Elementis §. 47. & in Specimine Gallico cap. v. Voltairius in Phil. Newt. Eorum partem protulerunt Lucretius, Gassendus, & Newtonus.

monstraverunt Epicuri Sectatores. Nam quod Raphson (*a*) reponit, ita si sit infinitos vortices in singulis motibus excitandos esse, haud illa meliora sunt. Quippe quum rerum natura per minima agat, ac sensibus nostris impervia, fateor me ignorare, quot in singulis motibus laterales circumpulsiones contingant: sed contingere oculis intueor, dum dura corpora per fluida crassiora duco; tactu quoque persentisco, dum me aut per aquam, aut per aerem moveo; nec dubito id ita etiam se habere in subtilioribus fluidis. Plura sunt, quæ natura efficiuntur, quorum nos causas & rationes, & instrumenta ignoramus. Sed Lucretius hanc responsionem occupasse videtur loco prorsus elegantissimo (*b*). Quærit enim, principium motus qui fiat sine vacuo? Reposuit ei Hobbius, principium in natura motus nullum fieri sine motu altero antecedente: nec enim vero a quiete ad motum quidquam sine motu altero transit. Id vero quod nos principium motus dicimus non ita *absolute* est, sed *relative*: quod nimirum in eo corpore motum fieri incipit a causa quæ in motu est, quod corpus antea quiescebat. Quod vero ad lumen fixarum pertinet, id paullo ineptius argumentum est, in quo adornando non mirum est Voltairium, Poetam meliorem, quam Philosophum, laborasse. Nam & immensum fixarum lumen vix puncti instar nobis cernitur, quod probat per vacuum non meare; & in Newtonianorum ipsorum systemate eadem, aut vix minor est difficultas: quippe negare nequeunt illud vacuum, per quod lumen fixarum transit, non solum lumine quaquaversum sese agitante, aliisque subtilissimis fluidis, sed etiam plurimis planetarum & cometarum atmosphæris, non modo in vortice Solari, sed in aliarum quoque Fixarum systematibus, repleri. Musschembroeckius, magnus ille vacui assertor, inter rationes, quas profert, ut explicet, cur pendulum in vacuo Boyleano non possit perenniter & æquabiliter suas oscillationes continuare, una est hæc, quod *ignis & lux penetrent per omnia, & resistant omnibus corporibus, quæ moventur* (*c*). Motum vero astrorum continua Dei actione conservatrice indigere, ipse Newtonus fatetur. Quid, quod ne vacuum quidem

(a) *In dissert. de spatio reali*. (b) *Lib.* 1. *v.* 371.
(c) *In Elementis Physicis* §. 386. *Edit. Anni* 1741.

dem illud impedire potest, quin astrorum motus tardior in dies fiat, si nulla actione Dei conservetur? Nam certe effluvia astrorum, quæ ex tot sæculis spatium replent, paullatim densari oportet, & qualemcumque motibus illis resistentiam adferre. Præterea perpetua illa oppositio & conflictus virium centripetarum & centrifugarum vires consumere debet, quod in nostris machinis videmus, & ratio aperte docet. Quod quum non observetur, manifesto apparet, causam motus astrorum perpetuo illum conservare, aut producere. Ceterum si astra in vacuo moveantur, ita ut nullam patiantur resistentiam, qua ratione ex calculis Newtonianis deduci potuit, telluris motum post 25. millia tandem annorum plane cessaturum? Qua ratione concludi, ordinem mundi subinde *manu restauratrice* indigere?

Prop. CI. Cur corpora sint gravia, incertum adhuc est.

Schol. Fatentur id Philosophi omnes ingenue. *Causa gravitationis ignoratur ab omnibus mortalibus*, inquit Musschembroeckius (*a*). Sane ipsæ Philosophorum discordiæ id solidissime demonstrant. Aristotelei principium ut gravitatis, ita levitatis corporibus intrinsecum posuerunt. His accedere nunc Newtoniani videntur, nisi quod omnia corpora *gravia* faciunt. Omnia corpora esse *levia* censuit Cartesius, idest omnia vi quadam centrifuga prædita esse, qua conentur recedere a centro motus: gravia vero fieri putavit pressione eorum, quæ validius a centro vorticis recedunt. *Pressione aeris* corpora esse gravia placuit Regio. Gravitatem nasci a *spiritibus ex corpore manantibus* opinatus est Keplerus. Id provenire a *mutua corporum adtractione* sensit Gassendus. Corpora gravitare, *quia extra propria loca* exsistunt, tradidit Casatus. Corpora evadere gravia per *actionem divinam iis superincumbentem* verius suspicatur Musschembroeckius. Nempe, dum animo mihi obversatur ingens illa massa fluida, quam sub rerum initium Deus creavit, & ex qua mundum conformavit; simulque spiritus ille Jehovæ, qui incumbebat *aquis*, idest fluido, si recte accipio, videre mihi videor totum illud fluidum divina vi, & vi ζωτικῇ, ut Chrysostomus eleganter vocat, undequaque premi. Newtonus in Optica elatere ætheris, aut alterius fluidi sub-

(a) *In Elem. Phys. Mathem.* §. 172.

subtilioris progigni gravitatem sæpe suspicatur. Quæri posset, quum nihil elasticum agat, nisi prematur, unde æther ille impellatur, ut vim suam elasticam explicet. Conjecturæ!

O curas hominum! O quantum est in rebus inane!

Prop. CII. Ex majori vel minori gravitate corporum nullum argumentum pro vacuo statuendo desumi potest.

D. Cur corpora sint gravia ignoratur (prop. 101.); ergo ignoratur cur quædam graviora sint, alia minus gravia. Major ergo aut minor gravitas corporum vacuo interspersso tribui nequit, nisi petere, ut inquiunt, velimus principium. Præterea fieri potest ut non omnia sint gravia (prop. 99.), nec certum est utrum omnia sint gravia (ib. Schol.). Quæ item superius argumentum enervant.

Schol. Sed opponunt, gravitatem esse *proportionalem* quantitati materiæ: corpora ergo graviora plus habent materiæ, quam minus gravia, dum moles sunt æquales, idest corpora minus gravia plus habent vacui interspersi. Cui argumento Scholasticus responderet, *peti principium*. Sane qui adserit gravitatem esse *proportionalem* quantitati materiæ, is adserit corpora graviora habere plus materiæ, minus corpora leviora, idest id tanquam certum adserit, de quo contenditur acerrime. Negamus igitur propositionem illam. Sed inquiunt, experimentis ea patet. Respondemus experimentis hoc patere, principium gravitationis non eodem modo in omnia corpora agere, non vero gravitatem esse proportionalem quantitati materiæ. Quæ autem causa sit cur principium gravitationis non eodem modo agat in omnia corpora, id incertum adhuc est & obscurum. Quis enim intellexerit (ut ponamus a vi insita gravitatem nasci, quando in mechanicis causis parum inest probabilitatis) qua lege voluerit Deus, hanc vim in corpora agere? An scilicet æque in omnia corporum genera, an diverse pro diversa eorum natura? id enim expediendum est, priusquam quidquam inde pro vacuo conficere liceat. Quid, quod in vacuo Boyleano, *quicquid est corporeum æqualis magnitudinis, ex quocunque genere fuerit corporum, eamdem gravitatem habere*, non tantum æque velociter descendere, rotundis verbis ipse Musschembroeckius fatetur? (*a*) Quod si verum est, gravitas non est proportionalis quantitati materiæ,

(a) *Musschemb. in Elem.* §. 163. *primæ edit.*

teriæ, sed varie agit in corpora, pro ut ea varie cum aliis mixta ac copulata sunt. Ad hæc, cur sub Æquatore corpora eadem minus gravitant? quia scilicet ibi major est vis centrifuga; consequenter minor centripeta. Quis nunc doceat, vim hanc centrifugam motu telluris non majorem communicari subtiliori materiæ, veluti aeri, ætheri, aliis fortassis ignotis, quam crassiori? Cur tandem corpus minus gravitat in majori a tellure distantia? Nam si quidquid corporeum est, grave est vi insita, semper æque corporeum, æque grave erit. Minor ibi, inquiunt, est vis centripeta. Nempe minor gravitas: idest minus ibi gravitat. Non est id ludere par impar? Apparet hinc principium gravitationis nec semper, neque ubique eodem operari modo, ac fortassis ne agere quidem in omnia corpora.

Prop. CIII. Corporum *densatio* & rarefactio commodissime & clarissime explicantur, illa quidem per insensibilis, & fluidissimæ alterius generis materiæ *expulsionem*, hæc per ejusdem intromissionem. Ex. g. Videmus aquam *salibus* rarefieri, & in glaciem gliscere, iisdem extractis ope caloris, densari. Nec alio modo hanc aquæ densationem, & rarefactionem Newtoniani explicant (*a*). Quæ quum sint, ex corporum densatione & rarefactione nullum pro vacuo asserendo argumentum desumi potest. Miror igitur illi argumento tam confidenter Newtonum, acutissimum certe Philosophorum hæsisse (*b*).

Prop. CIV. Resistentia, quam corpora mota in fluidis majorem aut minorem patiuntur, minime vacuum esse probat. Resistentia enim hæc non nascitur ex sola *soliditate*, sed partim ex cohæsione partium, partim ex gravitate. Est autem cohæsio hæc non in omnibus corporum generibus æqualis: nam sunt corpora alia aliis compactiora. Ac vero resistentia major aut minor fluidorum sæpe pendet a cohæsione partium. Ita per liquidiusculam picem resistentia major persentitur quam per mercurium, etsi compactiorem. Idem fit in aqua gelida, quæ etsi rarior, plus resistit, quam fluida. Gravitas vero quum in diversis corporibus diversimode agat, quin necesse sit ad vacuum confugere (ex prop. superiori); ubi major est, ibi efficit resistentiam majorem.

Schol.

(a) *Mussch. ibid.* §. 803. *Gravesandius, aliique.*
(b) *Newt. in Principiis lib.* 3. §. 6. *coroll.* 3. *&* 4.

Schol. Atque hæc sunt potissima Epicureorum & Newtonianorum argumenta, quibus vacuum asserere conantur, partim, ut apparet, vix probabilia; partim minus apta. Quamobrem miror Musschembroeckii confidentiam, qui, argumentis illis productis, perorare audeat, *cæcutire eos*, qui in tanta Europearum litterarum luce vacuum istud esse negant (*a*). Jam vero, ne recentiores isti Philosophi superbiant, quum de vacuo disputant, nullum novum argumentum protulisse, sed Lucretiana adornasse, demonstremus. Primum Lucretii argumentum, quo maxime nititur, depromitur ex motu. Nam si non esset vacuum, inquit (*b*):

. . . . Nulla ratione moveri
Res possent: namque officium, quod corporis extat,
Officere atque obstare, id in omni tempore adesset
Omnibus: haud igitur quidquam procedere posset,
Principium quoniam cedendi nulla daret res.

Pergit vero Lucretius, atque argumenta ex corporum penetratione profert (*c*),

In saxis ac speluncis permanat aquarum
Liquidus humor, & uberibus flent omnia guttis:
Dissipat in corpus sese cibus omne animantum:
Crescunt arbusta, & fœtus in tempore fundunt,
Quod cibus in totas usque ab radicibus imis
Per truncos ac per ramos diffunditur omneis.
Inter septa meant voces, & clausa domorum
Transvolitant. Rigidum permanat frigus ad ossa.
Quod nisi inania sint, qua possent corpora quæque
Transire, haud ulla fieri ratione videres.

(*d*) Accedit tum ad argumentum a varia gravitate depromtum.

Denique cur alias aliis præstare videmus
Pondere res rebus, nihilo majore figura?
Nam si tantundem est in lana glomere, quantum
Corporis in plumbo est, tantundem pendere par est,
Corporis officium est quoniam premere omnia deorsum,
Contra autem natura manet sine pondere inanis.

(*e*) Tandem argumentum a condensatione producit:

Nec

(a) *Loco citato* §. 47. (b) *Lib.* 1. *de Nat. rerum* V. 336.
(c) *Ibid.* V. 349. (d) *Ibid.* V. 359.
(e) *Ibid.* V. 395.

Nec tali ratione potest densarier aer,
Nec, si jam posset, sine inani posset, opinor,
Se ipsum in se trahere, & partes conducere in unum.
Quapropter quamvis caussando multa moreris,
Esse in rebus inane tamen fateare necesse est.

Musschembroeckius utitur praeterea in vacuo asserendo celeri dissociatione duarum laminarum, quae plene sibi cohaerebant, aut subita fractura corporis cylindrici, ad cujus, inquit, centrum antequam pertingat aer, qui profecto successione sua, ut cetera corpora, movetur, vacuum erit. Id ipsum vero argumentum Lucretius eleganter concinit lib. 1. v. 385.

Postremo duo de concursu corpora lata &c.

In quo non video quid inesse ponderis possit, quum ut aer, ita separatio laminarum, aut partium cylindri, successione moveantur. Praeterquamquod quum nondum constet, nullum esse aliud fluidum mundanum subtilius, ac mobilius; quinimmo gravissimae conjecturae esse aliquod suadeant, ne hoc quidem Lucretiano argumento quidquam indubium conficitur.

Prop. CV. Extensio substantia non est, sed est aut modus, aut attributum substantiae.

D. Substantia intrinsece ab alia non pendet, sed ita per se constat, ut sit primum subjectum ejus, quod est, aut fit (def. 21.). Quamobrem esse nequit ens compositum ex iis, quae realiter distinguuntur ac separabilia sunt, sed debet esse physice simplex (prop. 38.). Jam vero quum dico, extensionem, nisi extensionem tantum imaginariam dicam, qualis est, quam animo concipiunt Geometrae, simul dico, *aliquod extensum*, *rem extensam*, cujus subjectum sit aliquod necesse est, quando *nihili* extensio non est. Quocirca extensio intrinsece pendet a re, cujus est; atque idcirco aut modus est, aut attributum rei & substantiae alicujus. Quod si ipsa per se est, & simplex est, ipsa sui ipsius substantia est.

Schol. Apposite Cartesius (a). *Quum ex hoc solo,* inquit, *quod corpus sit extensum in longum, latum, & profundum, recte concludamus illud esse substantiam, quia omnino repugnat, ut* NIHILI SIT ALIQUA EXTENSIO; *idem etiam de spatio, quod vacuum supponitur, concludendum est; quod nempe,*

(a) *Principiorum p. 2. Art. 16.*

pe, quum in eo sit extensio, necessario etiam in ipso sit substantia. Nec alio modò ratiocinatur Morus. *Necesse est*, inquit (*a*), *ut reale aliquod subjectum huic subsit extensioni* (vacuæ) *quum sit attributum reale*. Nec dissentit Clarkius, *spatium*, inquit, *substantia non est, neque ens æternum & infinitum, sed proprietas entis æterni & infiniti* (*b*). Idipsum quoque scribit Newtonus (*c*). Præclare super ea re differit Leibnitius in *examine* Principiorum Malebranchii (*d*): *Contendo*, inquit, *extensionem nihil esse aliud, nisi ens abstractum, si a re ipsa, cujus est, segregetur. Et igitur a subjecto aliquo pendet, atque ad subjectum istud refertur, non secus atque ad rem durantem duratio. Præterea extensio aliquid etiam anterius in eo subjecto supponit: supponit nimirum ejus subjecti qualitatem aliquam, proprietatem, naturamque quamcumque, quæ cum subjecto extenso extendatur, dilatetur. Quocirca extensio erit hujus qualitatis, aut naturæ velut diffusio quædam, quomodo in lacte extensio albedinis, in adamante duritiei extensio; effusiones sunt lactis & adamantis. Ac dicere possumus, id esse extensionem ad spatium, quod est duratio ad tempus. Nimirum duratio & extensio attributa sunt rerum, quæ durant, & extensæ sunt: tempus vero & spatium ideæ abstractæ, quibus durationem, & extensionem metiamur*. Quæ cum sint, neque nos spatium, in quo crassiora corpora moveantur, negemus, quinimò id nemò, nisi stultus, negaverit: tota controversia huc redit, quænam sit hujus spatii substantia, simplex ne, una, immobilis, penetrabilis; an multiplex, in infinitas moleculas divisibilis mobiles omnes, activas, seu resistentes? Si primum constiterit, vacuum in natura erit; si alterum, nullum omnino, sed quod vacuum dicimus, id subtilissimum erit fluidum ex infinitis pene monadibus activis ac coexsistentibus compositum.

Prop. CVI. Substantia spatii vacui secundum Morum, Newtonum, & Clarkium est Deus.

Demonstratur horum Philosophorum verbis. Ea de re sic disputat Morus (*e*). *Neque enim reale dumtaxat, sed divinum quoddam videbitur hoc extensum infinitum ac immobile, quod tam certo in rerum natura deprehenditur, postquam divina*

(a) *Part.* 1. *Enchir. cap.* 8. §. 6. (b) *Recueil &c.* 4. §. 2. & *Respons.* 5. §. 15. (c) *In Sch. gen.* (d) *Recueil de diverses pieces pag.* 221. *tom.* 2. (e) *In Ench. p. prima cap.* 8. §. 6.

illa nomina vel titulos, qui examussim ipsi congruunt, examinaverimus, cujusmodi sunt quæ sequuntur, quæque Metaphysici PRIMO ENTI *speciatim attribuunt. Ut, Unum, Simplex, Immobile, Æternum, Completum, Independens, A se existens, Per se subsistens, Incorruptibile, Necessarium, Immensum, Increatum, Incircumscriptum, Incomprehensibile, Omnipræsens, Incorporeum, Omnia permeans & complectens, Ens per essentiam, Ens actu, Purus actus. Non pauciores, quam* 20. *tituli sunt, quibus insigniri solet divinum Numen, qui infinito huic loco interno aptissime conveniunt.* Hæc ille. §. vero 15. ejusdem capitis, ait *esse hanc rudem quandam* υπογραφην, *seu delineationem essentiæ divinæ, cui tantum operationes vitales addendæ remaneant.* Audiamus nunc Newtonum (*a*). *Deus* inquit, *æternus est & infinitus, omnipotens & omnisciens, idest durat ab æterno in æternum, & adest ab infinito in infinitum, omnia regit, omnia cognoscit, quæ fiunt, aut fieri possunt. Non est æternitas, vel infinitas, non est duratio, vel spatium, sed durat, & adest. Durat semper, adest ubique, & existendo semper & ubique, Durationem, &* SPATIUM, *æternitatem, & infinitum constituit.* De Clarkio vero, non est quod dubitemus. Esset enim exscribenda tota ejus tractatio *de exsistentia, & attributis Dei.* Passim quoque idem repetit in Epistolis ad Leibnitium. Scio plerosque fuisse, qui ea in re Newtoni defensionem susceperunt. Quam recte, illi viderint. Mihi persuasum est, hanc esse, quam expressimus, Newtoni sententiam. Id quoque, nisi torqueantur, ejus verba procul dubio significant. Nec poterat ei hæc doctrina adeo absurda videri, ut exsecraretur, cum Theologo peracutissimo Leonardo Lessio Societatis Jesu fuerit olim persuasum, spatium mundanum incorporeum non nisi sola ratione a Deo distingui. Ejus verba sunt sequentia. *Quare quum Deus sit immensus, & in immensum diffusus, etsi non sunt ibi ulla intervalla creata aut corporea, aut corporalia, sunt tamen increata, aut spiritualia (quibus tamen corporalia possunt coextendi), quæ non nisi ratione ab immensitate Dei distinguuntur. Ipsa enim immensitas divinæ substantiæ & sibi & mundo sufficiens est spatium, & intervallum capax omnis naturæ creabilis tam corporalis, quam spiritualis* (*b*). Malebranchio

---

(a) *Princ. Schol. gen. sub finem.* (b) *In lib. de Divinis perfect. cap. 2. quod est de Immensitate divinæ Essentiæ.*

chio tribuit idem Arnaldus, quemadmodum constat ex ejus Epistolis 8. & 7. ad Malebranchium. Sed & ejusdem opinionis fuit Cudworthus, quod non diffitetur interpres ejus eruditissimus ad Systema intellectuale cap. II. §. 8. Eidem accessit Andreas Ridigerus in Phys. divina lib. 1. cap. 8., vir magnus in Philosophia perturbator, & ejus generis, qui quandoque magna quædam excogitant paradoxa. Putat Laurentius Mosshemius ad caput 5. Systematis Intellectualis Cudworthi sect. 1. §. 25., veterum quoque aliquot Patrum eamdem fuisse mentem. Qua de re in Scholio propositionis 108. dicetur.

Refero & inter hos Patricium. Is Lib. 1. Pancosmiæ omni, qua potest, vi primus omnium Italorum, atque adversus omnes spatium illud immensum adstruere conatus est. Illud & esse, & infinitum esse exquisitis undique argumentis demonstrare aggreditur. Quod postquam effecisse sibi visus est, inquirit accurate prorsus & subtiliter in ejus naturam, quam talem statuit, ut nisi cum Pantheistis faciat, haud tamen longe ab illis distat. Sed videamus primum quid esse ille spatium velit.

Est ergo spatium sui natura mundo prius, primumque rerum omnium mundanarum, ante quod nihil fuit, & post quod omnia fuere. Spatium ergo hoc, quod ante mundum fuit, & post quod mundus est, & quod mundum & capit, & excedit, quidnam tandem est? Aptitudo ne simplex ad capienda tantum corpora est, & aliud nihil? Suscipit quidem Spatium hoc corpora omnia; sed non videtur aliud nihil esse, quam aptitudo. Sane, si quicquam rerum sit, vel substantia est, vel accidens. Et si substantia est, vel incorporeum quid est, vel corpus. Si vero accidens, vel quantitas, vel qualitas, vel aliud quid tale. Profecto dicimus nos, spatium per se ipsum, quum mundum præcedat, quumque extra mundum sit, nihil rerum esse mundanarum, præter eam ejus partem, quæ mundum capit, aut quod mundus suo corpore occupat. Verum alia res a mundo diversa est. Mundus enim corpus est, spatium vero corpus minime est: nulla ergo categoriarum spatium complectitur: ante eas omnes est, extra eas omnes est. Quid ergo est? hypostasis, diastema est, diastesis, ectasis est, extensio est, intervallum est, capedo, atque intercapedo. Ergo quantitas? Ergo accidens? Ergo accidens ante substantiam? Et ante corpus? Architas uterque, & senior Pythagoræ auditor, &

junior Platonis amicus, & qui eos secuti Scriptores categoriarum, hoc spatium non cognovere. Sed sunt categoriæ in mundanis bene positæ: spatium de mundanis non est; aliud quam mundus est. Nulli mundanæ rei accidit, sive ea corpus sit, sive non corpus, sive substantia, sive accidens: omnia hæc antecedit; omnia illi uti accedunt, sic etiam accidunt; ita ut non solum quæ in categoriis numerantur accidentia, verum etiam quæ ibi est substantiæ, illi sint accidentia. Itaque aliter de eo philosophandum, quam ex categoriis. Spatium ergo extensio est hypostatica, per se substans, nulli inhærens. Non est quantitas. Et si quantitas est, non est illa categoriarum, sed ante eam, ejusque fons & origo. Non ergo accidens dici potest; neque enim cuiquam accidit substantiæ. Quid ergo, substantia ne est? Si substantia est id quod per se substat, spatium maxime omnium substantia est: substat enim per se, nulli innititur ut sit; nullius eget, quo sustineatur, sed ipsum substantiis sustentationem præbet, easque ut sint sustentat. Si substantia est, quod per se existit, spatium omnium maxime substantia est; quia maxime omnium per se existit. Si substantia est, quæ aliis substat, spatium maxime omnium substantia est; omnibus enim substat aliis naturæ rebus. Si substantia est, quæ nulla aliarum rerum eget ad esse, spatium omnium maxime substantia est; nullo enim aliorum eget, ut sit; reliqua omnia, ut sint, egent spatio. Si substantia primum omnium entium est, spatium maxime omnium substantia est. Primum enim aliarum rerum omnium esse jam est probatum. Hisce ergo rationibus omnibus patuit clarissime, spatium maxime omnium substantiam esse, sed non est categoriæ substantia illa. Neque enim individua substantia est, quia non est ex materia, & forma composita. Neque est genus, neque enim de speciebus, neque de singularibus prædicatur. Sed alia quadam extra categoriam substantia est. Quid igitur, corpus ne est, an incorporea substantia? Neutrum, sed medium utriusque. Corpus non est, quia non est antitypos, aut resistens, aut renitens, non visui, non tactui, sensuum nulli objicitur, aut subjicitur. Incorporeum rursus non est, quia trine dimetitur. Longitudinem, latitudinem profunditatemque, non unam, non duas, aut plures habet, sed cunctas. Itaque corpus incorporeum est, & non corpus corporeum. Atque utrumque per se substans, per se existens, in se existens, adeo, ut etiam per se stet semper,

per, atque in se stet: neque unquam, neque usque moveatur, neque locum mutet, nec partibus, nec toto. Quod enim movetur, per hoc spatium movetur; hoc autem spatium supra se non movetur, neque aliud usquam est supra quod moveri queat. Neque etiam, vel in ipso, vel extra ipsum terminus ullus est unde moveatur, aut quo moveatur. Neque pars ejus ulla hinc illuc migrat: per partem namque sui ipsius migraret. Et duæ spatii partes; altera esset in altera, & supra alteram; & locus illius quæ discederet, spatio vacuus remaneret, atque ita spatium seipso vacuum esset. Itaque nec toto, nec partibus movetur. Est ergo & immotum prorsus, & omnino immobile.

Quid est quod ajo? Stat toto spatium? Stat partibus? An partes habet? Totum ne dici potest? Partes quidem habet duas, at totum dici nequit. Pars altera spatii ea est, quæ mundo plena est; altera quæ mundo est vacua, extra mundum est. At totum ex his partibus conflatum, dici minime potest. Nam totum omne partibus constat, omnibus finitis, quibus & ipsum finitum esse necessarium est. At spatium, parte mundo plena, mundi finibus finitum, & æquale est. Parte autem mundo vacua, extra mundum posita, finitum infinitumque, uti docuimus, est simul. Sed utra nam partium harum majores habet agendi, vel patiendi vires, infinita ne, an finita? Vel æquales habet utrasque, vel nullas? Rationabile videtur, infinitam partem majores habere, quoniam æquas habere finitum & infinitum, non est rationi consonum. Multo minus, si finita, & minor pars, majores habere dicatur. Sed prius de infinita. Si ea vires habeat ullas, eas vel in sese exercet, vel in partem finitam, vel in mundum ipsum, ejusque partes. Si in sese eas exercet, alia ejus pars, iis viribus prædita, agit in aliam ejus partem, quæ vel easdem vires habebit, vel majores, vel minores, vel etiam nullas? Si easdem quomodo ab æquis viribus patietur? At quo modo in æquas aget? Multominus possibile videtur, si patiens pars majoribus sit viribus. Hæc enim potius aget minores, quam ab his patiatur quicquam. Si vero minoribus sit patiens pars prædita, poterit a majoribus forsitan pati aliquid. Sed quisnam inæqualitatem hanc virium rei tribuit prorsus sibi simili? Et alteram ab altera dissimilem fecit? Non videtur a se ipso hanc partium dissimilitudinem spatium illud acquisivisse. Ergo ab alio. At a quonam? Quum nihil aliud sit, quam ipsummet? Nihil ergo dissimilitudinem virium ibi creavit. Quid igitur? nihil aget, nihil patietur? Ita prorsus?

Sed quæret quispiam a Patricio, spatium hoc æternum ne sit, an creatum? Huic ille quæstioni paucis respondet sub ejus libri initium. *Spatium*, inquit, a PRIMO UNO *ante entia alia omnia est* PROFUSUM, *& veluti* SPIRITU ORIS EJUS EFFLATUM ATQUE DIFFLATUM IN INFINITUM. Quid aliud requiramus, ut intelligamus, spatium Patricio nihil fuisse aliud, nisi *effusionem divinæ essentiæ*? Porro quum inter hos Philosophos statum certumque sit, nihil esse in mundo otiosum, infinitum hoc spatium infinito lumine, quod *primævum lumen* vocat, plenum esse contendit (*a*). Hoc autem lumen a Deo itidem manare docet. *Infinita*, inquit eodem in loco, *Dei lux*, *infinitipotens tota sese effudit in actum*, *atque infinitum produxit lumen .... sed origine quidem spirituale fuit hoc lumen & incorporeum penitus. At postquam a fonte suo egressum per spatii partes atque dimensiones fundi cœpit*, *corporale evasit*, *trine scilicet dimensum*. Quo magis sese explicat, eo mihi propius Pantheistis accedere videtur. Paullo post hunc in modum scribit, lumen hoc esse *actum a luce quidem fonte suo prodiens*, *non tamen* AB EO DISCEDENS: *continue inde manans*, *sed per se & in se existens... est ergo lumen primum primæ lucis actus*, *ab illa defluens quidem*, *sed non effluens*, *a se se non fluens*, *a se non diffluens*, *nec se circumfluens*, *neque in se refluens*: quid ergo nisi prima & æterna substantia? Interim, ne quid desit, ex hac primigenia luce, velut ex materia, Sol & cetera sidera omnia sunt constituta, si credimus Patricio. Fortassis non intelligebat vir doctus, quo proreperet; sed quando id temporis non defuere in Italia, qui impietatem hanc oblique propagarent, id quod Andreæ Cesalpini, & Claudii Berigardi scriptiones demonstrant (*b*), non id suspicione vacat, eodem cœno revolutum Patricium.

Atque hoc in loco subit animum inquirere, quid causæ fuerit, ut nullus pene extiterit, non idiotarum Philosophorum, sed nobilissimorum, qui, si paullo vela humani ingenii laxaverit, ab hac nostra Philosophia non eo fuerit perductus, quo ire tota vetat christiana doctrina. Atque Græcos non memorabo, quorum Philosophia tota profana est, atque, si recte accipio, purus putusque Pantheismus, id quod agno-

(a) *Pancosmiæ lib.* IV.

(b) *Vide Berigardum in Circulo Pisano par.* II. *circ.* 19.

agnoscit sæpe ex veteribus Eusebius Cæsareensis, e recentibus Berigardus. Nostros ajo Italos, Gallos, Germanos, Anglos. Nullum esse dico magnorum istorum Philosophorum, qui dum Philosophiam e ratione natam æquo justius provehunt, non ad impia interdum aliqua dogmata vergant. Illustres primum Italiæ nostræ Peripateticos intelligo, qui quum essent nimis Aristotelei, jure ac merito a viris quibusdam hujus provectæ impietatis accusantur (*a*). In quibus id etiam magis mirum est, errorem agnovisse, & e Philosophia defendere voluisse, quasi Aristotelei & Christiani una esse possent. Cæsar Cremoninus exempli causa in Ep. ad Lectorem, quam operi *de Cælo* præfixit, profitetur, *se Aristotelis principia secutum, mirum nemini esse debere, nonnulla scripsisse christianæ fidei ac veritati adversa*. Zabarella, Pomponatius, Cesalpinus, Berigardus fatentur idem sæpe: nec intelligo, quum agnoscerent, se non posse esse Christianos, & Aristoteleos, voluisse tamen videri utrosque. Idem de Gallis affirmo, Magnano, Cartesio, Malebranchio: item de Germanis Leibnitio & Wolfio, quorum doctrina de Universo, Substantia, Fato nemini est ignota. Idem de Anglis nobilioribus: de quorum plerisque a me dictum est *in disput. de Origine rerum corporearum*. Ejus rei quam aliam causam esse dicemus, præterquam rationis brevitatem? Necesse est enim, ut qui terminos humanæ rationis prætergrediuntur, in avia eant, eaque dicant sæpe numero, quæ cum tota pugnant ratione.

Prop. CVII. Si substantia spatii vacui est Deus, Deus est substantia Spinozæ.

D. Si substantia spatii sit activa, eaque tota naturæ suæ activitate penetret substantiam materiæ, substantia spatii & materiæ unum proculdubio efficient subjectum mundi primum activum & passivum simul: quum autem quæ eidem sunt unum, inter se sint unum; si Deus est substantia spatii mundani, Deus & substantia materiæ sunt idem subjectum mundi primum, nempe Deus est substantia Spinozæ (vide Schol. prop. 22.), & Stoicorum Deus, seu mundi το ποιουν intrinsecum (*b*).

(a) *Parckerus de Deo disput.* I., *Willemandy in Scepticismo debellato*, *Buddeus de Atheismo & superstit. cap.* I.

(b) *Videri potest Lipsius, qui ea de re ex instituto disputat in Physiologia Stoicorum lib.* I. *dissert.* VIII. *Nos supra sæpe eadem memoravimus*.

Schol. Nolim ego Spinozismi insimulare viros doctos, qui & imprudentes fortassis hoc systema complexi sunt, dum crederent Materialismo se adversari. Certe vidit hoc, ut erat perspicacissimus, Newtonus: sed ita occurrit, *in Deo contineri & moveri universa, sed absque mutua passione. Deus enim nihil patitur ex corporum motibus; illa nullam sentiunt resistentiam ex omnipræsentia Dei.* At quum *formalem* extensionem Deo dederit, idest extensionem, quæ procul dubio habet partes extra partes, & quidem reales ac veras, non tantum intelligibiles, aut relativas, agnoveritque, hanc rem infinite extensam immediate rerum vitam, motum, actiones producere, etiamsi in eam rem res aliæ non reagant, quia *reactio* non est, nisi inter duo corpora; id tamen non prohibet, quin res illa sit prima cunctorum κοια, & anima: nam ne inter mentem quidem nostram & corpus reactio est, nec est ulla inter vim gravitatis & corpora ipsa gravitantia. Itaque satis est, si ex una tantum parte sit *passio*, ex altera *actio*, ut una res alterius anima esse & dici possit. Quidquid autem ea de re sit, certum mihi est, eos qui statuunt, substantiam spatii, idest rem *formaliter extensam*, esse Deum, statuere quoque debere, Deum esse materiæ ac hujus mundi primam substantiam, idest necessitate naturæ suæ materiam omnem pervadentem, animantem, modificantem. Nam quum substantia spatii sit primum materiæ fundamentum, materiamque permeet ita, ut nequeat materia exsistere sine spatio hoc, profecto materiæ primum fundamentum, idest subjectum & substantia, Deus est. Quid concludi apertius possit non video. Mirandum igitur est, Morum hoc systemate, quo Spinozismus mirifice confirmatur, conatum esse materialismum evertere.

Prop. CVIII. Substantia spatii non est ipsa Dei substantia, seu substantia entis æterni.

D. Si id est, una est universi substantia (prop. sup.): non est autem una universi substantia (prop. 37.): non ergo substantia Dei, seu entis æterni, est substantia spatii.

Schol. Iis igitur, qui spatium istud asserunt, nihil superest, quod dicant, nisi aut esse *nihilum æternum & immensum*, μη ον, ut vocabat Democritus; aut extensionem simplicem immensam itidem & immobilem a Deo creatam. Primum etsi non destituitur patronis, nescio quis serio in animum suum ducat; nisi sibi persuadeat, tam esse facile rerum naturas

teras immutare, quam vocabula. Nec minus absurdum alterum mihi videtur; res enim immensa, simplex, immobilis, nullius nec actionis capax, nec passionis, ut actione aliqua sit facta: id enim cum iis ideis, quas habent mortales, aut longe fallor, aut pugnat. Qua de re dici quidem potest: comprehendi quod dicitur non potest. Hæc si ita sunt, ut ego verisimilia esse puto, omnia illa attributa, quæ Patricius, Morus, Newtonus, Clarkius, Raphsonus, aliique, potissimum Angli, spatio vacuo tribuerunt, sunt attributa entis imaginarii, uti jam Hobbesius (a), Cartesius, Leibnitius, Wolfius, & Cartesiani omnes existimaverunt. Spatium igitur, quod vacuum vocant, nihil fortassis est aliud, nisi tenuissima & fluidissima quædam extensio corporea, quæ a nobis nec tangi, nec ullo sensu percipi potest, qualis, ut supra observatum est, vel in ipso vacuo Boyleano esse comperitur. Est igitur ex minutissimis partibus a se distinctis composita. Nam *una* illa *individua* & *immobilis* substantia *extensa* in hoc universo nullibi reperitur, & tantum est Aristotelis, & Spinozæ fabula, qua miror posse ullum Philosophum, Christianum potissimum, decipi. Sed qua ratione Philosophi ad vacuum statuendum moti sint, copiosius explicatum est a Cartesio (1). Nempe magna erroris hujus causa sunt *imperfectio sensuum*, *Phantasia*, *& sensibus atque Phantasiæ fides præpropere præstita*. Scripsit nuper in hanc sententiam præclara quædam Cardinalis Poliniacus in suo Antilucretio. In primis acutum est id, quod hic adnectimus (2).

Atque hæc sunt argumenta, quibus spatium istud oppugnari posse mihi videtur. Nunc restat ut iis respondeam, qui Theologico argumento hanc vacui doctrinam propugnant. Deum esse immensum, & omnipræsentem, doctrina est non

---

(a) *P. prima Princip. Art.* 10. *&* 12.

(1) Tom. 1. operum philosophicorum in physica cap. 26. ubi spatium vocat *phantasma abstractione a ceteris materiæ proprietatibus factum*.

(2) *Polignac in Antilucretio lib.* 3. *v.* 474.

Materiem a spatio quis jam discernere possit?
Impenetrabilitas, inquit, quam corpora servant,
In vacuo non est. Imo est; eademque profecto.
Confundi partes vacui non posse fateris;
Nam si confundas, punctum redigentur in unum,
Extensique nihil, spatii nihil inde futurum est:
Non possunt igitur sese penetrare vicissim.

non modo naturalis, sed gentilis quoque, & christianæ Theologiæ, & ratio quidem naturalis, inquiunt, docet Deum non esse ita inextensum, qualia sunt puncta geometrica; ita enim esset nihil. Quocirca qui Deum omnino inextensum faciunt, eum, inquiunt, e rerum natura auferunt. Extensum autem si est, finitam habere extensionem nequit: repugnat enim id Enti per se exsistenti, necessario, immutabili. Ergo eadem ratio, inquiunt, quæ docet, Deum esse; eadem Deum esse immensum docet.

Gentium vero Theologia tota in eo est, ut demonstret verum esse vetustissimum Arati illud (*a*).

. . . . μεϛαι δε Διος πασαι μεν ἀγυιαι,
Πασαι δ' ανθρωπων αγοραι, μεϛη δε θαλασσα,
Και λιμενες . . . .

nempe ... *plena Jovis omnia quidem compita, & omnes hominum cœtus, & mare, & portus.* Prodidit enim Aristoteles, usurpatum illud a Thalete, Heraclito, Timæo Locri, aliisque (*b*). Pythagoras Deum definivit, *mentem per omnem rerum naturam diffusam & intentam* (*c*). Tenuit idipsum Socrates, qui apud Xenophontem Deum παντα χυ παρειναι *ubique adesse atque per omnia* ire docet (*d*). Et Virgilius, quum cecinit, Deum ire per *omnes cæli, maris, terrarumque tractus* (*e*): & Lucanus illo protrito,

Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris (*f*).

Hoc idem docuisse Stoicos, non est quod pluribus ostendamus. Scitum enim est Senecæ illud *Deum* esse *toti mundo & partibus ejus insitum, & animam mundi* (*g*).

Quin autem sententia illa antiquissima apud Chaldæos fuerit, eruditi non dubitant. Nam a Deo primum ὑπερκοσμιον φως, *supramundanum ignem* emanasse, eumque deinde se per universum diffusisse, & centrum ipsum telluris penetrasse, Chaldæorum fuit doctrina (*h*). Hinc Jamblicus ex Ægyptiorum atque Chaldæorum sententia hunc in modum scri-

---

(a) *Phaen. vers.* 2. (b) *Lib.* 1. *de Anima cap.* 8.
(c) *Apud Ciceronem lib.* 1. *de Nat. Deorum.*
(d) *Xenoph. memorab. lib.* 1. *pag.* 711. (e) *Georg.* 4.
(f) *Lib.* IX. *Pharsaliæ.*
(g) *Legatur Lipsius in Physiol. Stoic.*
(h) *Legatur Stanleyus in hist. Ph. Or. part.* XIII. *sect.* 2. *cap.* 2. *& Clericus notis ad Oracula, quæ Zoroastris dicuntur.*

scripsit (a): *Perstat in sese erectum & stabile lumen divinum, & tamen omnia penetrat, percurrit omnia, a se ipso autem nunquam excurrit. Permeat universum: cernitur omnibus locis, & omnibus partibus mundi.* Legatur & Huetius in Alnetanis.

Tandem Theologiæ christianæ dogma est, Deum esse immensum, *præsente potentia, non absente natura*, ut loquitur Augustinus, qui præterea in Ep. 57. veteris Parisiensis editionis totus in hoc est, ut probet Deum *substantialiter esse* ubique, quod negare hæreticum putant Theologi, & in quo accuratius & prolixius explicando plurimum impendit Petavius (b). Itaque non modo nostri, sed Lutherani quoque vehementer Calvinianos quosdam, & Socinianos exsecrantur, qui Deum cælo contineri docuerunt (c). Nec oportet Scripturarum divinarum loca proferre, quibus Theologi dogma hoc statuunt: sunt enim apertissima.

Quid quod veteres aliquot Theologi ita locuti sunt, ut videantur spatium a Dei immensitate non distinxisse? Tatianus in oratione ad Græcos Deum vocat τυ παντος την υποςασιν *universi subsistentiam*. Theophilus ad Autolycum lib. 2., *Deus*, inquit, *loco nequaquam circumscribitur, sed ipse est* τοπος των ολων, *locus cunctorum*. Arnobius lib. 1. vocat Deum, *fundamentum cunctorum*: mitto alia.

Quoniam ergo tanta consensione substantiæ divinæ immensitas statuitur, fateamur oportet existere substantiam quandam *æternam, immensam, simplicem, immobilem, in qua vivamus, & simus*, ut Paulus loquitur Act. XVII. vers. 28. Atque hunc in modum argumentantur ii, præsertim Angli, qui spatium vacuum ipsam Dei esse immensitatem opinantur.

Sed eos, qui argumentum istud tam speciose adornant, ne nimis res urgeant, quæso, & dum vacuum adstruere student, ex christianæ Religionis mysterio ratiocinantes, id in Philosophiam inducant, quod Religionem omnem, nedum christianam, evertat. Deum enim esse omnipræsentem & immensum tam certo habemus, quam Deum esse, eumque esse immutabilem. At cujusmodi sit hæc omnipræsentia, nec ratio explicat, nec ulla traditio docet,

(a) *De Myster. Ægyptiorum segmento* 1. *cap.* 9.
(b) *De Deo lib.* 3. *cap.* 7. *&* 8.
(c) *Adiisis Buddeum Theol. dogm. lib.* 2. *cap.* 1. *ad* §. 41. *pag.* 246.

cet, nec revelatio ipsa manifestat. Illud ratio æque & revelatio errorem esse commonstrant, Deum esse universi substantiam & *subsistentiam*, aut mundi animam, *Deum habere formalem extensionem*, quæ tota sit major, quam quælibet ejus pars, in quo Ethnici plurimi errarunt.

Quod quum sit, intelligere nunquam potui, quid Moro, Raphsono, Huetio, Petavio venerit in mentem dum infinita illa gentilium Philosophorum *farragine*, hanc Dei immensitatem statuere conati sunt. Nam si verum est, quod gentiles illi docent, regnat jam Spinozismus. Quis enim ignorat Chaldæos, Ægyptios, Pythagoram, Eleatenses, Stoicos, aliosque, qui tam præclara de immensitate Dei præfantur, nihil aliud Dei vocabulo intelligere, nisi vim quandam activam & intelligentem, æternæ materiæ, seu mundi corpori conjunctam, quocum magnum hoc universi animal efficit? nam verba ipsa Antiquorum, quæ isti laudant, aperte dicunt *Deum ire per omnes*

Terrasque tractusque maris, cælumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitam,

ut unis Virgilii verbis dicam. Quum ergo tam impia sit hæc gentilis Theologiæ doctrina, mirum est ullum extitisse christianæ Religionis Theologum, qui nos hac in re Gentilibus paria docere, scribere potuerit. Quod ego de Huetio potissimum dictum volo, qui quum in Alnetanis, opere alioquin docto, demonstrare conetur, omnia Religionis nostræ mysteria Gentilibus nota fuisse, is eadem opera, sed nolens tamen, hostibus arma suppeditat. Nam si aut dogmata nostra, aut mysteria & ritus, naturalis ratio Gentes docuit, quidnam non natura vulgatum nostra continebit Religio? Quod tantum abest, ut sit verum, ut potius Christus & Apostoli omnia mala perpessi sint, quod novam apud Gentes Religionem inducerent, novamque doctrinam, uti loquuntur Athenienses apud Lucam (*a*). Ceterum quod Angli, magni certe ingenii viri, sed paullo tetriores & Fanatismo addictiores, idest qui obscuris, modo sublimia sint & magna, delectantur, atque rapiuntur, quod Angli, inquam, isti spatium immensum, ipsam Dei naturam esse ubique se exserentem, in animum inducere potuerint, non valde miror; absurdiora enim sy-

stemata

(a) *Actor.* XVII. *vers.* 19.

stemata Fanatismus apud Anglos produxit. At id potuisse Italis nostris placere, valde esset mirandum, nisi jamdudum *ire* assueti essemus, *non qua eundum est, sed qua itur*.

Venio ad Theologiam christianam. Primum Theologiæ christianæ caput est, Dei naturam ab hominibus comprehendi non posse. Hinc agnoscunt Theologi nostri nos ita de Deo loqui, ut qui ex parte *scimus*, *ex parte* prophetamus. Deum ergo esse immensum Religio christiana docet: at simul docet Deum non esse *formaliter* extensum, nec ita compenetrari cum materia & universo, ut unam rem cum eo efficiat, nec universi primam substantiam esse. Ex quo facile intelligamus, nos quidem modum immensitatis Dei penitus ignorare, sed non ignorare universum esse a Deo distinctum, nec ad Dei substantiam quoquo modo pertinere. Præclare Augustinus, *quum*, inquit, *dicitur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut fumus, aut aer, aut lux ista diffunditur: omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto*. Nam opinari veteres aliquot Christianos id suis verbis dixisse quod isti ajunt, est esse in eorum libris plane hospites & peregrinos. Emphatice enim illi loquuntur sæpe, & quod Deus sua virtute omnia efficiat, tueaturque, omnibusque rebus sua natura sit præsens, id ita efferunt, ut dicant esse rebus *subsistentiam*, *locum*, *fundamentum*. Ex Theologia igitur christiana is tantum valide argumentari pro exsistentia spatii vacui potuerit, cui fuerit persuasum, Mosem, Salomonem, Jeremiam, Paullum, Pantheistas fuisse, quod Spinoza primum, inde Tolandus incredibili impudentia asserere non dubitarunt (*a*). Ego quod ad me attinet, ita philosophari assuetus sum, ut ex mysteriis fidei rerum hujus universi naturas explicare, ejus esse putem, qui nihil ratione, & sensibus comprehendi posse credit, quique ratione sua brevissima, quæ credere oportet, perturbare velit. Philosophiam enim admiratione inchoatam, conjectura auctam, ratione nostra longe lateque provectam, eaque continendam censeo.

Sed redeamus eo, unde digressi sumus. Quem, inquit ali-

(a) *Spinoza in Ep. 21. ad Henricum Oldeburgium pag. 4. & Johan. Tolandus in Originib. Judaicis pag. 155.*

aliquis, intermedium parietem ponemus inter *christianam Theologiam*, & *pantheisticam*? Nam & nos Deum esse intime rebus præsentem fatemur, & quidem *substantialiter*, atque in iis intime agere. Nempe infinita est intercapedo. Principio nos nullam Deo *dimensivam* extensionem tribuimus: illi tribuunt. Deinde nihil ex Deo extra se *effluere*, idque servata proprietate vocabulorum, docemus: *Quod enim de ipso est, id est quod ipse*, inquit Leo Papa Ep. 15. illi omnem eam vitam, energiam, entelechiam, actionem denique, quibus res hujus universi perciuntur, effluxionem esse ac emanationem divinæ substantiæ fatentur. Atque hoc est præcipue, quo ab iis differimus. Nempe christiana doctrina est, Deum quidem esse atque agere ubique, sed non effusione naturæ, verum imperio ac voluntate. Quum autem voluntas sit actio *immanens*, non *transiens*, præsertim in Deo ente simplicissimo, nihil ex illo vere ac proprie effluit, sed ad ejus imperium omnia exsistunt, quæcumque vult. Quod si quandoque nostri ita loquuntur, ut *effluere*, *emanare*, *prodire* aliquid extra Deum ex Dei essentia videantur dicere, caveamus ne id cum proprietate dictum accipiamus, sed eas loquutiones emphaticas habeamus. Porro ne id quidem velim, non aliam ob rationem Dei demonstrari immensitatem, quam quod nisi ubique sit, ne ubique quidem agere possit: quod nulla causa agat ubi non est. Nam ea ratio ponere videtur Deum agere effusione naturæ, non imperio voluntatis. Deus igitur necessario est ubique, non eam ob rationem, sed quod quum sit ens suapte natura ac necessario existens, necesse est, ut nullas naturæ suæ habeat limitationes: haberet autem nisi ubique esset. Itaque ubique est, nec tamen ut rerum subjectum, nec ut rerum essentia, nec ut rerum internum activum principium, ut eorum sit & entitas, & entelechia, sed incomprehensibili modo.

CAP. IX.

De rerum Differentia & Distinctione.

Prop. CIX. QUÆ eadem sunt eidem, eadem quoque sunt inter se: Quæ vero aliqua habent eadem eidem, ea habent eadem inter se: & quæ similia sunt eidem, similia sunt inter se.

Schol. Patentissimi & maximi in Philosophia usus axiomata.

mata. Eis & Mathematicæ disciplinæ, & ars tota syllogistico-analytica innititur. Qua vero ratione scire possimus utrum duo aut plura sint eadem uni tertio, in Arte Logico-Critica edisseruimus. Sunt interim Sceptici quidam, qui superius axioma ex Trinitate, sanctissimo Christianorum mysterio, oppugnant, quorum causam agit, ut solet, Baelius (*a*). Nempe constat ex christiana Theologia Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unam eandemque habere divinitatem, easdemque infinitas perfectiones, unamque esse individuam æternamque substantiam, sed esse tamen tres personas realiter distinctas. At his duobus potissimum modis respondent Theologi: primo quidem, tres divinas personas esse idem in divinitatis substantia, in qua conveniunt, &, ut inquiunt, *sibi communicant*, non vero in *personalitatibus*, in quibus non communicant. Altero, qui modestior est, & humana imbecillitate dignior, non posse nimirum in omnibus, quæ ad Deum spectant, nec debere ex rerum nostrarum ideis, judicia ferre: decreta philosophica nasci ex ideis rerum, quibus circumdamur, iisque contineri, nec ad res diversi a creaturis generis pertingere: rationem nostram natura rerum nostrarum comprehendi non secus ac oculos coloribus & lumine, ac tantundem esse ad superiora pervagari temerario, quam oculos extra objecti sui atmosphæram prosilire petulanter. Oportere ergo rationem naturalem modulo suo metiri, ac in his rebus gravissimum illud Augustini dictum sæpe animo versare, *Deum ignorari melius, quam sciri*. Qua de re legantur lectissimæ Huetii quæstiones Alnetanæ, seu de Concordia rationis, & fidei (*b*).

Prop. CX. Quæ sola ratione distinguuntur, eandem habent essentiam realem.

Nam si diversam habent essentiam realem, distinguuntur realiter.

Prop. CXI. Quæ eandem habent essentiam realem, realiter distingui nequeunt.

Schol. Ne quis iterum axiomati huic invidiam creet ex Trinitatis mysterio, is sciat, in qualibet divinarum personarum esse, & id quod est *proprium divinitatis*, & id quod est *proprium personæ*, divinasque personas eandem habere essentiam divinitatis, quum sint internæ *emanationes* sive

(a) *In Dictionario Historico Crit. Art. Pyrrho.*

(b) *Potissimum Caput* 1. 4. *&* 5. *libri primi.*

five *processiones* naturæ Dei; non eandem essentiam personæ, id est quod est *proprium personæ*. Quo fit, ut in essentia divinitatis distingui nullo modo possint, quandoquidem eadem omnibus adest: at possunt in *essentia personæ*, seu in *personalitate*, ut alii loquuntur: quippe hæc non una in omnibus est. Legatur Epist. Bessarionis Cardinalis cap. VI. quæ extat in Actis Concilii Florentini.

Prop. CXII. Si res mathematicas exceperis, quarum essentiæ sunt tantum nominales, quousque res aliæ inter se conveniant, aut a se discrepent, nisi forte in paucissimis, præsertim modis simplicibus, nescimus.

D. I. Essentiæ nominales sciri possunt & metiri adæquate vocabulorum definitionibus, uti patet: ergo nihil prohibet, quominus quousque conveniant, aut discrepent, sciatur. Quum tales sint res puræ mathematicæ, scire præcise possumus, quatenus conveniant, aut discrepent.

II. Deinde rerum aliarum essentias reales ignoramus, seu non adæquate scimus (ex Philosophorum omnium ingenua confessione): metiri ergo nequimus, quatenus sibi congruant, aut a se discordent. Tandem modorum simplicissimorum, saltem quorumdam, essentias reales, quia abstractæ, adæquate noscimus; scire ergo possumus quousque conveniant aut discrepent.

Scholion. Hinc apud Mathematicos certa illis de rebus judicia. Quis enim, exempli causa, dubitabit, an parallelogrammum in eadem basi & intra easdem parallelas cum triangulo positum sit trianguli duplum? Quis, quum sciat trianguli duo latera, angulumque sub his lateribus contentum, ignorare poterit quanta sint, & reliquum latus, & reliqui anguli? At dum contendimus substantias cum substantiis, vires cum viribus, rerum entitatatem cum entitate, peream, si, paucissimis exceptis, judicia certa quisquam dederit. Eam ob rem fit, ut etiamsi Physica generalis ope Mathematicæ multum illustrata sit & aucta, ut leges & regulas genericas geometrice demonstratas dederit; Physica tamen *particularis*, quæ ad res ipsas propius accedit, præter phænomenorum historiam, nihil ferme certi contineat. Non igitur probare possumus Wollastonum, qui nimis audacter constituit, pauca esse, quæ nos his de rebus ignoremus, eaque tandem aliquando detectum iri (*a*).

Prop.

(a) *Vide Ebouche de la Religion naturelle sect.* 3.

Prop. CXIII. Contraria medium non habent: hinc fit ut contrariarum assertionum altera vera, altera falsa sit æternum necesse est.

Scholion. Caute vero examinandum est, sint ne illa, quæ proponuntur, contraria; alioquin nullam rite conclusionem deducere licet. Ex. g. Cartesiani contendunt, substantiam extensam, & cogitantem, ita esse oppositas, ut nulla sit possibilis substantia, quæ ad duo illa genera non referatur: qua in re & de mente sua nimis superbe sentiunt, & nimis vero, ut videtur, abjecte de Sapientia & Potentia Dei. Substantiæ nempe illæ sunt distinctæ: una nequit esse altera: sed possunt esse infinitæ aliæ aliorum generum.

Prop. CXIV. Omnes substantiæ distinguuntur *realiter*.

D. Substantiæ per se constant: itaut una ab altera intrinsecus non pendeat (def. 21.): Quæ sunt talia, separatim intelligi, & existere possunt; adeoque distinguuntur realiter.

Prop. CXV. Substantiarum attributa distinguuntur ex natura ipsa, idest *formaliter*.

D. Nam hæc attributa in *entibus* mundi, *essentiis*, & *suis*, ut ajunt, *formis* distinguuntur, non *conceptibus* tantum: neque enim essentia *soliditatis* eadem est cum essentia *gravitatis*, *extensionis* essentia cum essentia *motus*, eadem essentia *intellectus*, & *libertatis*, &c. Quæ autem essentiis & intrinsecis formis distinguuntur, aut ut *substantiæ* distinguuntur, ut corpus & anima: aut una sunt substantia, ut gravitas & soliditas. Prima *realiter* distingui dicimus (prop. 114.): ut ergo loquendi proprietas servetur, dicamus hæc distingui *formaliter*, non ut sola ratione: nam quæ una ac sola ratione distinguuntur, non essentiis ac intrinsecis suis formis, sed solis conceptibus distinguantur necesse est.

Scholion. Ceterum non attributa tantum substantiarum hac ratione dicemus distingui, sed qualitates quoque modorum, quæ cum unitate modi illius, ad quem pertinent, consistunt quidem, interim a se invicem essentiis differunt. Quomodo *trianguli* sunt hæc attributa, ut *duo latera sint majora tertio: duo anguli duobus rectis minores: omnes æquales duobus rectis, &c.* quæ proprietates suis essentiis differunt, ut propterea talis earum differentia sit, ut sola mente distingui nequeant.

Coroll. Superiores substantiarum & proprietatum distinctio-

ctiones sunt *æternæ* & *immutabiles*: nam sunt ab intellectu primæ atque æternæ mundi causæ; itaque *æternæ* & *immutabiles*.

CAP. X.

De rerum Perfectione, Bonitate, & Veritate.

Prop. CXVI. NUllius substantiæ Entitas plene a nobis cognosci, & absolute dimetiri potest. Nam nulla substantia est, cujus nos ideam habeamus adæquatam.

Coroll. Itaque ne integram quidem ullius rei perfectionem cognoscimus: hæc enim perfectio in rerum entitate & ordine posita est: ignota autem plena entitate rerum, nulla esse plena ordinis cognitio potest.

Schol. Generatim quidem scimus omnia entia facta eorumque ordines & creatoris ideis, & fini respondere: tanta scilicet nobis inest Dei sapientiæ & potentiæ persuasio. At comparationem rei cum idea & fine suo sæpe intelligere non possumus. Præterea generatim scimus, quæcumque existunt suam habere, ut inquiunt, *realitatem*, suamque perfectionem naturalem. Sed nec quanta hæc sit, nec qualis, adæquate & clare unquam cognoverimus. Metiri quidem possumus majorem aut minorem corporum extensionem relativam, & quasdam vires: at absolute hæc metiri non possumus; nec semper major extensio, & motus, ac qualitatis intensio, & vis, perfectio a nobis dicitur atque habetur. Idem de mentibus judicium esto. Hanc ignorantiam majorem efficiunt hominum variæ perfectionum notiones, variaque vocabula, qui rerum naturam ex privata sui utilitate metiuntur. Nam sæpe, quod uni perfectio est, est alteri imperfectio. Hinc lites de rerum perfectionibus, bonitate, & pulchritudine immortales. Dum igitur de ordine ac perfectione hujus universi disputamus, cavere debemus, ne majus animo spatium comprehendamus, quam per brevitatem mentis nostræ licet. Itaque ea ars adhibenda est, ut in minutis quibusdam rebus attentionem nostram contineamus; in quibus si mirum partium ordinem ac perpulchrum cernamus, idipsum de tota rerum universitate analogia existimemus. Nequit enim totum non ordinatum esse ac pulchrum, cujus tam eleganter constructæ sunt vel mi-

minimæ particulæ. Ut si quis oculum intueatur, ejusque partes tam arcto inter se nexu copulatas viderit, tamque esse affabre & factas, & locatas, ut nihil melius ac pulchrius nec esse nec excogitari possit, is & totum corpus eadem esse arte fabrefactum fateatur necesse est.

Prop. CXVII. Ita comparati a natura sumus, ut eas res dicamus infinitas, quibus alias majores percipere non possumus. Enimvero quæstiones ipsas geometricas de magnitudinibus infinite aut magnis, aut parvis eumdem in modum pertractamus. Eam enim lineam dicimus infinite magnam qua longiorem constituere nullam queamus: eam infinite parvam, qua nulla minor exhiberi potest. Quin ne id quidem constanter servamus, qui infinite parvorum alia infinite parva excogitaverimus, ac infinitesimales ad plures ordines retulerimus.

Prop. CXVIII. Minorem entitatem comparatam ad majorem imperfectam dicere solemus. Scilicet nobis infinitum est id, quo majus excogitare non possumus.

Schol. Id autem stulte fit: imperfectio enim non in minori entitate posita est, sed in deficientia ab ordine ac fine. Ac vero perridiculus esset qui pulicem elephanto comparatum idcirco longe imperfectum diceret, quod corpore sit minor. Nonne æque esset perridiculus qui minores Michaelis statuas ea ratione fateretur imperfectas, quod mole longe essent majoribus minores? Cuicumque nihil deest ut sit id, quod esse debet, id perfectum est.

Prop. CXIX. Ex notione ejus imperfectionis, idest minoris entitatis, demonstrari non potest, nos habere notionem perfectionis absolute infinitæ, sed relative tantum (per prop. antecedentem).

Schol. Cartesius, qui hoc adhibuit argumentum in Meditatione tertia, sic ratiocinatus est. Idea *negativi* est ex idea *positivi*; ergo idea imperfectionis, ex perfectionis idea. Quumque omnia, quæ ad hoc universum pertinere arbitror, imperfecta agnoscam; sequitur me habere ideam perfectionis infinitæ. Est autem hæc ratiocinatio manifesto falsa. Primum, quod nihil sit in mundo imperfectum; finitæ enim entitates nequeunt hoc dici imperfectæ, quod sint finitæ. Deinde quamquam minores perfectiones habeamus ut imperfectas majoribus comparatas, tamen eas perfectiones habemus pro infinitis, quarum majores non intelligimus (prop. 117.): ergo quum mentes nostræ

sint breves, tum nos infinitam entitatem intelligere putimus, quum ultra cogitare non possumus. Id vero est minores perfectiones ex majoribus metiri, non vero ex infinita: ergo ex notione imperfectionis, non rite deducimus obversari mentibus nostris notionem perfectionis *absolute* infinitae. Praeterea haec idea entis perfectissimi eo modo, quo dictum est, esse potest opus abstractionis, cui propterea non necessario ens ipsum perfectissimum in natura respondet. S. Thomas contra Gentes lib. 1. cap. 11. *Dato etiam*, inquit, *quod per hoc nomen Deus intelligatur aliquid, quo majus cogitari non potest, non necesse erit, aliquid esse, quo majus cogitari non potest, in rerum natura. Scilicet potest id esse tantum in intellectu.* Patet ergo nec solidam, nec rectam esse demonstrationem exsistentiae Dei, quam Cartesius in hac notione, quam nobis congenitam censuit, inaedificavit, uti perspecte Huetius in Censura Philosophiae Cartesianae, & Buddeus de Atheismo & superstitione (*a*), observarunt. Qua ex re illud etiam agnoscimus, Cartesium, licet per ideas claras & distinctas philosophari se voluisse passim professus sit, ita tamen per ideas non raro confusas philosophatum esse, ut satis ostenderit, neminem tam esse magnum virum, qui saepe non sit parvus. Nam si paullulum rem propius inspexisset & accuratius, qui eum latere potuisset, fieri non posse, ut menti finitae notio obversetur, cujus, ut inquit, *realitas objectiva* sit absolute infinita?

Prop. CXX. Naturales substantiarum contingentium perfectiones, seu proprietates substantiales naturae, in nihilum redigi non possunt: ita enim substantiae ipsae in nihilum suapte natura abire possent, id quod fieri nequit.

Coroll. 1. Modi, qui continuo pereunt, aut enascuntur, non sunt habendi in numero perfectionum realium & naturalium substantiarum. Quumque motiones particulares saepe aut novae sint, aut omnino pereant; efficitur, ut, licet vires motrices haberi debeant pro perfectionibus *naturalibus* substantiarum, motiones tamen ipsae haberi nequeant. Adeoque quamquam verum est vim cogitandi essentialem esse mentibus, non sunt tamen essentiales peculiares ipsae cogitationes.

Coroll. 2. In superiori propositione ac corollario perfectio-

(a) *Cap.* 5. §. 1. *pag.* 174. *Edit. Gall.*

ctionem pro entitate accepimus. Sed quum perfectio posita quoque sit in rerum ordine ac partium totius proportione (def. 75.); nec hæc quidem perire ulla in parte mundi potest. Nam si ea perit, id fieri debet defectu ejus perfectionis, quæ entitas est: quum autem hæc nequeat naturaliter perire, ne illa quidem deficere potest. Quid, inquit aliquis, faciemus monstris, planetarum aberrationibus, aliisque id genus, quæ mundi luxationes videntur? Nempe si hæc omnia ex constitutis causis proficiscuntur, sequitur ex rerum ordine ea esse debere, ut sunt, ac ita contingere, ut contingunt. Itaque non rationi sunt monstra, aut luxationes, sed phantasiæ & ignorantiæ nostræ; quomodo quæ fortuita dicuntur, non naturæ, sed ignorantiæ causarum & ordinis sunt fortuita.

Prop. CXXI. Infinite perfectum est infinite bonum absolutum: nam bonitas absoluta, seu entitas, & perfectio reciprocantur (per definit. 80.)

Prop. CXXII. Ens absolute & infinite bonum est in se beatissimum: quia habet in se totum id, quod ad plenam beatitudinem necessarium est, seu est ens sibi ad beatitudinem sufficientissimum. Nisi enim est, infinite perfectum non est: est autem; sibi ergo est ad beatitudinem sufficientissimum.

Prop. CXXIII. Ens, quod est absolute infinitum, & bonum, est & summum bonum relativum. Nam hoc ens est æternum, in quo est ratio sufficiens perfectionis, ac propterea bonitatis omnium contingentium (per prop. 25.), quod idcirco vult, ut contingentia perfecta sint, & bona. Præterea hoc ens non potest non esse infinite bonum absolute: non esset autem, nisi & relative summum esset bonum; quia esse relative malum illi aut necessitate naturæ contingeret, nec idcirco esset natura bonum, aut voluntate; quumque voluntas sit naturæ appetitus, suapte natura esset malum. Summum ergo bonum absolute & relative summum esse debet bonum.

Scholion. Consentiunt hac in re veteres pariter & recentiores Philosophi. Jamblicus de *mysteriis* Ægyptiorum (*a*) quum eorum retulisset opinionem, qui Deorum beneficos alios, alios malignos faciunt, *sed tota*, addit, *errant via veritatis. Longe enim se habet res, & natura rerum.*

 Quip-

(a) *Sect.* 1. *cap.* 18. *consul.* & *Proclus in Theol. Plat. lib.* 1. *cap.* 15. 17. 19.

Quippe universa divinitas, numina Deorum omnia, & Dii omnes boni quum sint, itidem bonorum auctores sunt: & ad unum bonum tanquam exemplar spectantes, unice & unius in specie nonnisi circa bonum ambulant, versantur, circumaguntur. Atque est hæc non Academiæ tantum, sed omnium veterum Philosophorum vox (*a*). Quocirca Chryſippus apud Plutarchum (*b*) Euripidis illud summopere laudat:

Ει Θεοι τι δρωσιν αισχρον, ουκ εισιν Θεοι

Si Dei aliquid admittunt turpis, Dei non sunt.

Quæ quum sint, de origine malorum diu vexata res est apud Philosophos, uti Plutarchus (*c*), & Baelius (*d*) docebunt.

Prop. CXXIV. Hoc universum est bonum.

D. Hoc universum est opus entis infinite boni absolute (35. & 65.), quod non potest non esse bonum relativum (123.): nisi autem hoc universum esset bonum & perfectum, ens illud, cujus numine factum est & gubernatur, non esset bonum relativum; universum ergo hoc est bonum & perfectum.

Scholion. Ac vero bonitas duobus præcipue constat, rei *entitate*, & *ordinatione*. Singula universi entia hoc ipso quod sunt, bona sunt; Sunt autem a primo ente; bona igitur sunt a primo ente. A primo igitur ente nihil esse potest mali absoluti. Jam universum hoc ratione, consilio, voluntate entis æterni procreatum est (65.) adeoque ob finem. Quum autem ens summe bonum nequeat agere nisi ob bonum finem; bonus est universi totius finis. Sunt autem entia hujus universi omnia ad eum finem ordinata; ergo ordinatione quoque sunt bona. Esse autem *singula* universi entia ad eum finem, qui bonus sit, ordinata, id ex iis quoque rebus discere possumus, quorum rerum partes & fines intueri licet: in his enim mirificam partium omnium structuram, ac singularum fines facile detegimus. Quod in paucis his detegimus, id de ceteris summa cum ratione dicemus: nam quæ res eundem artificem habent, oportet omnes eadem arte esse extructas. Quare stultæ sunt & temerariæ eorum hominum voces, qui ubi non intelligunt, statim blasphemant. Ad rem Plotinus: *Universum hoc* (inquit ex Platonica doctrina) *fecit* (Deus) *perpulchrum, sibi-*

(a) *Legatur Huetius in Alnetanis lib.* 2. *cap.* 2. §. 5.
(b) *De Stoicorum repugn.* (c) *Lib. de Iside & Osid.*
(d) *In dict. Art.* Manichæus, Marcion, Epicurus, & passim, *præcipue in cogitationibus variis* occasione Cometæ &c.

sibique sufficiens, amicum sibi suisque portionibus, tum principalioribus, tum minoribus, ipsi quàm maxime congruentibus. Qui ergo a partibus totum accuset, hujus suæ accusationis causa insulsissimus est habendus. Oportet enim inspicere, sint ne partes ipsi toti consonæ ac conformes. Qui vero ad totum respectet, non ad quasdam minutiores partes respicere oportet: hoc enim non est ejus qui mundum ipsum reprehendat, sed ejus qui quædam illius seorsum capiat. Ut si quis ex toto animali crinem inspiciens, imosque pedum ungues, nequaquam totum hominem, egregiamve ipsius ac prope divinam faciem curet intueri, vel, si Deo placet, omissis ceteris egregiis animantibus, quod tenuissimum sit vilissimumque accipiat; vel tota specie, ut hominum puta, posthabita, Thersitem ignavissimum hominum, turpissimumque in medium adducat. Vide Theodoretum sermone *VI. Therapeuticæ*, qui est *de Providentia*, quo veterum plurimorum Philosophorum eamdem in rem dicta convexit. Aristoteles *metaphysicorum* postremo *cap.VII.* præclarum jacit principium, quo mundi ordo ac pulchritudo demonstrari potest. *Primam substantiam*, inquit ille, *quæ appetitu movet, ac agit, nihil permovere potest, nisi quod est ei appetibile:* nihil autem potest esse primæ ac perfectæ substantiæ appetibile, nisi quod bonum & pulchrum est; ergo nihil agere potest, nisi quod bonum & pulchrum est. Est igitur universum hoc bonum & pulchrum. Atque hæc eadem erat doctrina Platonis, cujus locus in II. de Legibus est hujusmodi: *Bonus est igitur Deus? Profecto bonus est. Itane asserendum est? Quidni? Nihil ergo erit noxium, quod sit bonum? Nihil quantum mihi videtur. Nocebit ne igitur quod non est noxium? Minime. Neque vero esse poterit alicujus mali causa? Qui enim possit?* Ac cetera, quæ sequuntur. Quo in loco Homerum, & Hesiodum vehementer reprehendit, qui scripserint,

Dolia bina sedent stellanti sub Jovis aula,
Fataque discretim, bona sunt hoc, tristia in illo,
Cuique Deus dextra commiscens utraque porgit;
Nunc bona sortitus, gaudet; nunc tristia, mœret.

Tum vetat in civitate sapienter constituta quemquam dicere audere, *Deum, qui bonus est, malorum esse causam,* ne scilicet mores dissolvantur, μητε τινα λεγειν ταυτα εν τη ἑαυτȣ πολει. Vide eundem Theodoretum *de natura hominis* eodem in opere serm. V.

Quod si quis roget, unde ergo hæc, quæ patimur, mala? Tum ab eo exquiram, Philosophus ne ethnicus me roget, an christianus Theologus? Illi respondeo ea, quæ voluntatis sunt mala, peccata, vitia, scelera, ab homine ipso esse, qui non rite nec sapienter iis viribus utatur, quibus sapienter, ac liberaliter a Deo est instructus. Quæ autem sunt naturæ, ut dolores & ægritudines, ea partim esse consectaria vitiorum; partim mala non esse. Nam magni sæpe dolores, ac miseræ ægritudines vitia comitantur, quæ ejusdem cum illis sunt originis. Et quidam sunt dolores, atque ægritudines, quæ quoniam boni causa inducta sunt, stulte mala dixeris. Hujusmodi sunt naturæ appetitus *seu* corporei, seu rationis, indeque erumpentes affectus: necesse est enim, ut rem finitam, nec sibi sufficientissimam ad beatitudinem hujusmodi appetitu impellatur, quod Aristoteles acute vidit loco superius citato. At si Theologus roget, ei nequeunt esse ignota christianæ Religionis arcana, ex quibus illi reddatur totius hujusmodi rei ratio. *Sed* ea de re in secunda tandem Parte disseremus copiosius.

Prop. CXXV. Quod ita est, ut impossibile intrinsecum sit aliter esse, necessario & immutabiliter est id, quod est. Nam nisi necessario & immutabiliter est id, quod est, potest aliter esse, contra hypothesim.

Prop. CXXVI. Omnis propositio, cujus oppositum est intrinsecus impossibile, est necessario & immutabiliter vera. Nam ea propositio ita est id, quod est, ut impossibile intrinsecum sit aliter esse: quæ autem sunt talia, necessario & immutabiliter sunt id, quod sunt (prop. ant.), & quæ necessario & immutabiliter sunt id, quod sunt, necessario & immutabiliter sunt vera: omnis ergo propositio, &c.

Scholion. Hujusmodi sunt hæ propositiones: *Non potest idem simul esse, & non esse: Totum est majus sua parte: Quæ eidem sunt æqualia & inter se sunt æqualia &c.*

Prop. CXXVII. Ideæ Mentis æternæ ita sunt id quod sunt, ut pugnet esse aliud.

D. Ideæ mentis æternæ sunt ideæ entis necessarii & simplicissimi; quod quum nequeat esse aliud, quam est, ejus ideæ ita sunt id, quod sunt, ut pugnet esse aliud.

Coroll. Hæc dicetur æterna & immutabilis veritas idearum æternarum.

Prop. CXXVIII. Relationes convenientiæ aut repugnantiæ æternarum idearum ita sunt id, quod sunt, ut pugnet esse aliud.

D. Ex

D. Eæ relationes ideas consequuntur: quum autem ideæ nequeant esse aliud, quam sunt (ex prop. 127.) ne relationes quidem aliud esse possunt, quam sunt.

Corol. 1. Hæc dicetur veritas æterna & immutabilis propositionum. Hæc sunt æterna Dei judicia.

Corol. 2. Datur ergo veritas æterna & immutabilis.

Prop. CXXIX. Omne ens naturaliter, seu metaphysice verum est. Nam omne ens essentiæ suæ archetypæ æternæ congruit (prop.*66.*), cum autem ea sit veritas naturalis (ex def.79.), omne ens naturaliter verum est, seu est id, quod esse debet. Sceptici, qui veritatis comprehensionem negabant, non hanc negabant veritatem naturalem. Vide Sext. Emp.

Schol. Veritatem hanc Metaphysicam ii tantum negare possunt, qui summi alicujus numinis cura universum factum esse & conservari negant; qualis Democritus, Epicurus, aliique. At quicumque negare non audent hanc providentiam, qua cuncta facta sunt, & gubernantur, ii certe negare non possunt; res has adamussim mundo archetypo intelligibili respondere, nisi Deum ineptum, atque imbecillem statuere velint. Opponunt autem, res omnes factas nedum mutabiles esse, sed continuæ mutationi subjectas. Respondemus in mundo distinguendas esse essentias simplicium substantiarum, quæ prima sunt mundi elementa, & essentias entium compositarum. Illæ persistunt eædem, nec ulla naturæ vi perire possunt, quanquam natura sua non sint immutabiles. Harum vero (talis est naturæ lex, & ordo æternus) aliæ aliis succedunt, qua successione aliæ pereunt, aliæ enascuntur, atque ita ordo & pulchritudo mundi servatur. Scriptæ autem omnes sunt mutationes istæ in mundo archetypo, idest scriptæ essentiæ istæ mutabiles, uti essentiæ substantiarum simplicium, quæ eædem perseverant; adeoque uti istæ, ita illæ mundo illi respondent. Quid, ajunt, si rerum omnium non ipse summus Deus, sed Dii minores causæ sunt fabricatrices, & conservatrices, uti Plato opinatus est (*a*)? Respondeo clarissima argumenta demonstrare, universum hoc cura supremæ & æternæ mentis factum esse, uti ex superioribus patet. Ceterum quod spectat ad Platonem, quum opus minorum Deorum mundum appellat, fatetur primum, Deos minores exemplaria efficiendi mundi a supremo Deo accepisse, eaque

(a) *In Timæo.*

eaque intuitos perfecisse: deinde ejusdem supremæ mentis imperio, legibus, ordine mundum gubernare, quod perinde est, atque si a Deo ipso factus esset, & gubernaretur. Idem de Intelligentiis, quas orbibus animandis & regendis præfectas putavit Aristoteles, dicendum est (*a*), modo is ita intelligit, ut loquitur.

Prop. CXXX. Quum propositiones abstractæ ejus generis, de quo in superiori propositione dictum est, clare a nobis cognoscuntur, non solum naturaliter, sed etiam logice sunt veræ. Earum propositionum ideæ sunt abstractæ (ex hypothesi) ergo ipsæ sui ipsarum sunt objecta. Quum autem sint sibi consentaneæ; sequitur esse objectis suis consentaneas. Est autem id esse logice veras; ergo sunt logice veræ. Porro quum necessario & immutabiliter sint id, quod sunt (ex prop. ant.), etiam logice necessario & immutabiliter sunt veræ.

Schol. Sceptici ergo negare non possunt nec *veritates naturales* & æternas, nec veritates logicas abstractas. Igitur Disciplinæ Mathematicæ puræ, & Ontologicæ sunt veræ Scientiæ.

Prop. CXXXI. Quæ cum natura & constantia ordinum & legum mechanicarum mundi pugnant, ea naturaliter effici non possunt. Nam ea naturaliter fieri dicimus, quæ ex natura rerum hujus mundi, & secundum rerum naturalium mechanicas leges fiunt; ergo quæ contra eam naturam & eas leges fiunt, ea non fiunt naturaliter.

Schol. Quum constanter observemus radios lucis ex aere transeuntes per vitrum, aut aquam, aut aliud fluidum aere densius, inflecti a linea recta, concicimus, *radios lucis esse naturaliter refrangibiles*. Eodem modo concludimus, *corpora aqua graviora ea mergi: homines ex hominibus generari, ex avibus aves*, ac sexcentas alias physicas propositiones. Hæc talia sunt, ut opposita fieri per naturam nequeant: si enim possent, ecquis sibi persuadere posset numquam esse facta? Nemo autem facta unquam esse dixerit.

Prop. CXXXII. Omnis propositio, cujus oppositum pugnat cum natura & legibus mechanicis mundi, tam necessario est id, quod est, quam necessario res mundi, earumque ordo & leges sunt id, quod sunt. Nam ea propositio est secundum naturam, & leges rerum hujus universi; ergo quamdiu res universi erunt id, quod sunt, & quo modo

do

(a) *Vide Vossium in Theol. Gent. lib.* I.

do sunt id, quod sunt, tamdiu, & eodem modo propositio illa erit id, quod est.

Prop. CXXXIII. Quæ propositiones generis superioris a nobis clare cognoscuntur, & continuis experimentis confirmantur, non solum physice, sed logice sunt veræ. Nam quæ propositiones sunt tales, eæ secundum ordinem mundanum sunt (ex prop. ant.); quæ vero secundum ordinem mundanum sunt, physice sunt veræ. Deinde cum clare cognoscantur, & continuis experimentis confirmentur, non possunt a nobis esse confictæ, sed a mundo ipso in nobis impressæ; nam propositiones phantasticæ & chimericæ constantiam habere non possunt; sunt ergo logice quoque veræ.

Prop. CXXXIV. Immutabilitas, & evidentia propositionis, quæ constantissime semper eadem est, a nobis non proficiscitur, sed a causa immutabili, idest ab objecto immutabili. Nam quæ commenta sunt nostra, ea voluntatis nostræ, aut phantasiæ inconstantiæ subjecta sunt: quæcumque igitur ejus inconstantiæ expertia sunt, a nobis non proficiscuntur.

Prop. CXXXV. Eæ propositiones, quarum immutabilitas, & claritas a nobis non proficiscitur, certæ nobis esse debent. Nam eæ non sunt tales, nisi quia immutabilia objecta (ex prop. ant.): quæ vero sunt hujusmodi, sunt immutabiliter vera; & quæ sunt immutabiliter vera, debent esse certa; ergo hæ propositiones certæ nobis esse debent.

Prop. CXXXVI. Ea propositio, cujus oppositum est intrinsecus impossibile, habet *certitudinem mathematicam*. Nam ea propositio necessario & immutabiliter est id, quod est (per prop. 130.)

Prop. CXXXVII. Ea propositio, cujus oppositum est impossibile physicum, seu cum universi ordine pugnans, habet *certitudinem physicam*. Nam ea tam immutabiliter est id, quod est, quam universum (prop. 131.)

Prop. CXXXVIII. Non solent homines plures rem unam eamdemque velut oculati testes testari, nisi quum id vere oculis suis conspexere, præsertim, quum ut testentur nulla vi constat esse subagitatos.

Schol. Propositio est Polybii, Romanos intra 60. annos Imperium terra marique non per Europam modo, sed in Asiam quoque & Africam prolatasse. Id testatum faciunt omnes ejus & sequentium subinde ætatum Græci Latinique

que scriptores. Ejusdem vero rei & ætate nostra supersunt vestigia, nummi, columnæ, inscriptiones sepulcrales, rudera pontium, templorum, urbium: leges, vocabula, ac sexcenta alia. Si quis eam propositionem, quod & miraculi genus quoddam sit, & nimis antiqua res, in dubiam serio vocet, eum ego serio quoque omni esse ratione captum dicam. Si quis animadvertat, is reperiet, non minus, quam hæc sunt, certa esse ea facta, quæ christianæ Religionis sunt fundamentum; ut non minus qui hæc neget, quam ille, mente captus sit oportet.

Prop. CXXXIX. Quum ex iis factis quæ plures oculati testes testata faciunt, effecta realia & publica sequuta sunt, quorum vestigia aut etiamnum supersunt, aut diu publica fuere, tam licet de iis factis dubitare, quam de rerum naturalium exsistentia (ex prop. sup.)

Prop. CXL. Quæ historia narratur a pluribus testibus oculatis eumdem in modum, habet *certitudinem moralem*. Nam ea tam constanter est id, quod est, quoad homines sunt id, quod sunt: homines autem non solent hunc in modum testari, nisi facto ipso percussi (ex prop. 138.).

Prop. CXLI. Infinitas propositiones habemus eorum generum, de quibus superius dictum est. Appello ad Scientias mathematicas, & physicas, ad historiam, & ad totam vitam socialem.

Prop. CXLII. Scepticismus aut ludicrum est, aut insania.

D. Sceptici sunt qui negant quidquam a nobis sciri, & comprehendi posse cum certitudine. Cum autem plura cognoscamus cum certitudine mathematica, physica, morali (ex superioribus propositionibus); sequitur Scepticismum esse aut ludicrum, aut insaniam.

CAP. XI.

De Tempore, & Motu.

Prop. CXLIII. DUratio non est Ens distinctum a re durante, sed notio animi, qua concipimus rem durare.

D. Duratio est continuata entis exsistentia (def. 70.); ergo quemadmodum exsistentia non est ens distinctum ab ipso ente, quod exsistit, sed animi notio, qua concipimus rem exsistere; ita ne continuata quidem exsistentia, seu duratio.

Schol.

Schol. Apposite Lucretius (*a*).

Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo,
Tum quæ res instet, quid porro inde sequatur.

Revera fingamus durationem esse ens distinctum a re durante, primum statuendum esset ens quoddam æternum a Deo distinctum, quod esset duratio entis æterni, seu æternitas. Quod si statuatur æternitas distincta a re æterna, tanquam ens ab ente distinctum, rogo an hoc ens *æternitas* duret in exsistendo, necne? Dici secundum nequit, nisi ludere velimus. Si ergo primum dicatur, ejus duratio est ne ens ab ipsa æternitate distinctum? Si est, ita quæritando abibimus in infinitum. Si non est; ergo potest ens per seipsum durare ita, ut nulla necessaria sit duratio ab ipso ente distincta.

Nec respondeat aliquis, id, quod de æternitate concluditur, non rite concludi de aliis durationis generibus. Repono enim, si semel in ente quolibet compertum fuerit, durationem absolutam non esse ens ab ente ipso durante distinctum, id affirmari posse de omni ente durante. Res ipsa per se clara est.

Secundum vero est, si duratio in entibus facti est a rebus durantibus distincta, jam fieri potest, ut exsistat rerum duratio sine rebus ipsis, aut res ipsæ sine duratione: quo quid absurdius fingi potest? Demus autem exsistere durationem, non res durantes, eamque esse, ut volunt, æternam, seu Dei æternitatem, rogo an ex animo affirment, me durare in exsistendo per ipsam Dei æternitatem? Si ita est, tam sum æternus, quam æternitas. Non, inquiunt, sed tua duratio per æternitatem dignoscitur. Præclare. Consentiunt ergo durationem absolutam esse ipsam rerum continuatam exsistentiam, relativam vero dignosci exsistentia & duratione aliarum rerum. Sed argumenta congero in re non dubia. Miror igitur Wolfium in hoc capite a Leibnitio suo discessisse: dogma enim est Leibnitii, tempus & spatium non esse entia realia a rebus ipsis durantibus & extensis distincta, nisi sola animi notione.

Prop. CXLIV. In sempiternitate nulla est successio physica, est tamen respectu nostræ conceptionis successio quam dicere possumus durationis, & metaphysicam.

D. Suc-

(a) *Lib.* 1. *de Nat. rer. v.* 460.

D. Succeſſio phyſica eſt quædam ſtatuum entis mutatio, quum ſtatus ſtatui ſuccedit (def. 71.); nequit igitur eſſe in ente æterno, quod eſt immutabile (prop. 27.), adeoque totum ſimul; ergo neque in ſempiternitate, quæ eſt duratio entis ſempiterni (def. 72.), quæque ab ente ipſo ſempiterno non eſt diſtincta niſi cogitatione (prop. 143.).

Jam vero ſucceſſio metaphyſica eſt ipſa continuata entis exſiſtentia (def. 71.), quæ eſt inſeparabilis ab idea durationis (def. 143.), quum ſit animi notio, qua rem continuare in exſiſtendo intelligimus; ſequitur ergo, non in ente æterno, ſed in notione æternitatis eſſe ſucceſſionem metaphyſicam, quod tantumdem eſt, poſſe nos concipere, ens æternum numquam ceſſare in exſiſtendo, ſed continuare ab æterno in æternum.

Schol. Succeſſio hæc metaphyſica nihil prohibet quominus æternitas dicatur *tota ſimul*, & *perfecta poſſeſſio vitæ interminabilis*, ut loquitur Boetius (*a*), & *anni Dei dies unus*, & *hic dies non quotidie*, *ſed hodie* (*b*), ut Auguſtinus. Præclare enim & vere hæc dicuntur, nec ſucceſſionem metaphyſicam oppugnant. Nempe ſpectant primum Dei immutabilitatem, ob quam nulla eſſe in Deo ſtatuum ſucceſſio poteſt; quidquid enim ens æternum eſſe poteſt, totum ſimul eſt, & immutabiliter. Deinde ſpectant ejus ſcientiam, quæ quum unica ſit intellectio, nec varietate & ſucceſſione idearum protendatur, infinita poſſibilia, entiumque ſucceſſionem uno intuitu cernit (*c*). Negari tamen nequit, & majorem Scholaſticorum partem, & Platonem (*d*), ac Platonicos ferme omnes (*e*), utramque in Deo durationis ſucceſſionem negaſse videri. Quamquam ſic ego exiſtimo, quum toti eſsent in immutabilitate entis æterni adſtruenda, vellentque idcirco omnem ab eo motum ac mutationem exterminare, ita loquutos, ut quum ne cogitaſsent quidem de ſucceſſione notionis, eam videantur negare. Vide ſequentem adnotationem. Itaque illud objiciunt nobis, qui illos parum conſulte aſsectantur, ſi in æternitate ſucceſſio iſta ſtatuatur, neceſsario ſtatuendum eſse ejus durationis principium aliquod. Quod argumentum invictum eſse cen-

(a) *De Conſolat. Phil. lib.* v. *prop.* 6.
(b) *Lib.* XI. *Conf. cap.* 14.
(c) *Clericus in Ontol. cap.* 5. §. 5. (d) *Plato in Timæo*.
(e) *Conſule Petavium* Dogm. Theol. tom. 1. lib. 3. cap. 4.

censuit Limburchius, ut idcirco monuerit, non esse nimis curiose naturam æternitatis perscrutandam; quandoquidem mentis humanæ captum omnem superat (*a*).

Ego quidem istud ingenue fateor: neque enim alius fortasse erit me minus confidentior, atque in judicando temperantior. At difficultas hæc ut sit propria & peculiaris eorum sententiæ, qui successionem illam admittunt, id vero est, quod ego non satis intelligo: quum in eorum quoque sit opinione, qui successionem illam negant: utrique enim intelligere nequeunt, seu potius imaginari, aliquid esse sine exsistentiæ initio. *Imaginari* consulto dixi; quod hæc difficultas non ex ratione nascitur, sed ex imaginatione. Nam esse aliquid a tota æternitate, ac suapte natura & necessario exsistens, tam est in humanæ rationis scitis perspicuum, quam illud, ex nihilo nihil suapte natura fit. Vide *Cudworthum* sub initium capitis IV. *systematis intellectualis universi*. Itaque fit ut nemo huousque sit repertus nec tam doctus & acutus, nec tam obtusi pectoris, qui id in dubium vocaverit. Sed retroactam æternitatem imaginari, ejus speciem aliquam in animo informare, id mortalitatem excedit. Nec tamen id obstaculo esse potest, quominus id clare intelligamus, esse rem aliquam æternam: eam perpetuo durare, ac continuatione durationis durare. Illud vero ineptum mihi videtur, data successione illa, sequi æternitatis principium esse aliquod: id enimvero qua ratione inde sequatur, non video, nisi item totam hanc rem non ex ratione, sed ex imaginatione definiamus.

Si quis vero quærat, unde ea in Scholasticos manaverit doctrina, in promptu ratio est. Aristoteles lib. IV. Physicorum Tempus motu, aut cogitationis mutatione sentiri scribit: alibi *mensuram motus & quietis* tempus vocat. Ubicumque nec motus est, nec ulla cogitationum successio, ne tempus quidem ullum esse dicit. Hoc sensu, nullum tempus, nullam durationem, nullam successionem in Deo sectatores agnoverunt, ac jure quidem & merito; quum nullus sit in Deo motus, nulla statuum, nulla cogitationum successio. Sed hoc nihil prohibet quin dicamus, Deum perpetuo exsistere, continuare in exsistendo, atque hanc exsistentiæ continuationem, *successionem metaphysicam*

(a) *Theol. Christ. cap.* 5. §. 3. *lib.* 2.

eam vocemus (1). Qui contra disputant, ii inducunt inter humanæ rationis dogmata, quod cum sensu hominum

(1) Quum hanc rem ad examen revocassem, eorum commotus procacitate, qui furentium militum in morem, publicam rem tum maxime perdunt, quum sine arte magis juvare student, intellexi ego, quum veteres illos, tum hos recentes, qui omnem ab æternitate successionem resecant, omnes ferme ita loquutos, ut *successionem tantum statuum*, & *motuum*, idest *physicam* ab æternitate disterminaverint, non hanc alteram, quæ in continuata duratione entis ejusdem & immutabilis posita est. Tota illa testium nubes, quos eam in rem dedit Petavius, nihil ferme aliud loquuntur. Nam Plato *æternum*, idest, *quod semper* est, eodem semper *modo se habere* scribit, scilicet *procul esse ab omni vicissitudine temporis*, quemadmodum interpretatur Proclus lib. 2. in Tim. Est autem Platonicis tempus, ut notum, in motu, ac motus successione positum, idest in *successione physica*. Itaque Plato ipse in eo loco, quem longiorem produxit Petavius, idcirco negat æternitati convenire posse, *fuit*, *erat*, *erit*, quia hæc *ad generationem pertineant*, *quæ in tempore procedit*; quia MOTUS SINT, Κινησεις γαρ εισιν. Quod *autem semper eodem modo se habet immobiliter*, *neque vetustius*, *neque recentius esse unquam oportet*, qua re nihil scribi potuit verius. Sed ea non efficiunt ut censeamus, Platoni negatum, rem æternam perpetuo permanere, exsistere, durare, quæ successio est metaphysica. Nam nisi exsistendo perseverat, eadem tamen, ac immutabilis, ne exsistit quidem amplius. Non igitur hoc ulli in mentem venire potuit, ut dum constitueret rem æternam semper exsistere, negaret exsistendo durare. Itaque merito Suarez reprehendit Capreolum, qui quum *de ratione formali durationis successionem esse posuisset*, negat *ullam in Deo esse durationem* (in 1. dist. 9. art. 2.). *Deus*, inquit Suarez (disp. 50. sect. 3.) *vere ac proprie dicitur ex æternitate realiter durasse*; *ergo per durationem realem exsistentem in ipso Deo*. Sed illuc, unde divertimus, redeamus. Scribit Numenius Pythagoreus, item Petavio laudatus, ens *æternum idem esse*, *ac stabile*, *semper IN EODEM STATU perseverans*. Idem quum dicunt ceteri Platonici, idem semper intelligunt, *nullum* esse in Deo *tempus*: quia tempus in mutatione, idest *successione physica* positum est. Ac eodem modo intelligendi sunt Patres, quum idipsum pronunciant. *Non habet tempus æternitas*, inquit Tertullianus: scilicet tempus est mensura motus prioris, & posterioris: *Deum autem caret ætate*, *quod non licet nasci*. *Deus si est vetus*, *non erit*: *si est novus*, *non fuit*: *novitas initium testificatur*: *vetustas finem comminatur*. *Deus autem tam alienus ab initio & fine est*, *quam a tempore*, *arbitro & metatore initii & finis* (lib. 1. c. Marc. cap 8.) Vera hæc. Sed negabit Tertullianus perseverare Deum in exsistendo? semper esse? durare immutabilem? Non equidem existimaverim. Greg. Nazianz. or. 38. *Deus & erat semper*, *& est*, *& erit*, *vel*, *ut rectius loquar*, *semper est*. Cur ita? *quia erat*, *& erit* NOSTRI TEMPORIS, Και ρευστης φυσεως, & FLUENTIS NATURÆ *segmenta sunt*. Deus vero ο δε ων αει idest ita semper est, ut non sit res fluxa, ac naturæ vicissitudinibus subjecta. Augustino in Psal. 101. *æternitas ipsa Dei substantia est*, *quæ nihil habet mutabile*. Nempe idcirco tota simul. Nimirum *anni Dei simul stant*, *quia stant*; *nec euntes advenientibus excluduntur*; *quia non transeunt*; *isti autem nostri omnes erunt*; *nam omnes non erunt* (idem lib. XI. Conf. cap. 13.). Petrus Damiani (opuscul. 36. cap. 8.) negat in Deo esse cras, vel heri. Quid ita? *quia nihil ei defluit*, *nihil accedit*, cui *nihil est varium*, *nihil a se diversum*. Nec (ut ea

num

num communi pugnat, idque nulla tuendæ religionis necessitate. Sic enim arbitror, minime officii sui eos esse Theologos memores, qui etiam ubi Religio non exigit; dogmata adstruunt, quæ ratio repudiat. Quin potius meminerint, quod magnus sæpe Theologus S. Th. præcipit, suas esse partes efficere sedulo, ne pietatis dogmata vim theorematum rationis evertere videantur.

Prop. CXLV. Motus de loco in locum, atque propterea vis motrix, actio & vis sunt reales, & *positivæ*: nempe iis demtis aliquid realis corpori demitur. Id per se est perspicuum.

Prop. CXLVI. Quis igitur localis non est quid per se *positivum*. Est enim motus privatio; ergo privatio positivi (per ant.); nec propterea positivum. Igitur sunt sophisticæ argutationes eæ, quibus quidam Philosophi quietem rem positivam demonstrare student, & motum priva-

sim tædiosus) tandem aliud intelligit Boetius, cujus æternitatis definitio pervulgata est. Æternitas est tota simul, omneque excludit tempus: *quia nihil est in tempore constitutum, quod totum vitæ suæ spatium pariter possit amplecti ..... quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet, cui nec futuri quidquam absit, nec præteriti fluxerit, id æternum esse jure perhibetur*. Quid quod ne scholæ quidem veteres, si dilucidius mentem suam explicare voluissent, aut in suspicionem nostræ hujus quæstionis adductæ cogitassent, aliud dicere potuissent. Certe illæ non aliam a Deo successionem excludunt, præterquam eam, quam nos physicam dicimus. Nam Deum durare, ejusque durationem esse realem ac in ipso Deo, unum si excipias Capreolum, consentiunt omnes (Vide Suarez loco citato). Durationem autem *dicere de formali positivam permanentiam in existendo* totidem dicunt verbis (Suarez ibid. num. 9.); est vero hæc successio metaphysica. Ac non aliud videtur intellexisse Suarez *eo in loco*, quem describam. *In quo*, (inquit num. 10.) *est notanda differentia inter rem successivam, & permanentem. Nam res successiva dicitur durare, aut perseverare PER ADDITIONEM REALEM, quia semper aliquid novi in ea fit, eique additur: res vero permanens per se loquendo non dicitur durare, QUIA EI ALIQUID ADDITUR* (hæc esset successio physica), *sed quia eadem esse PERSEVERAT*, quæ est successio metaphysica. Quomodo si globus aureus de Cælo motu æquabili decidat, is immutabiliter decidit, sed decidit perpetua successione loci. Hæc ego paullo prolixius diduxi, ut Patrum nomini consulerem, quibus profecto imponitur, quorum ita narratur doctrina, quasi Deum minime in exsistendo durare dixissent. Nam nec id dixere unquam, nec ulli, ut dixi, in mentem venire potuit, ut idem & semper esse Deum, & interim non durare diceret, idest doctrinam seipsam destruentem doceret. Aerem igitur verberat, quod dicitur, Joannes Crellius, qui cap. 18. *de Deo*, studiose, magis etiam quam oportebat, in eam, ut ille vocat, *Subtilitatem* tot coacervavit absurda.

tionem positivi: scilicet philosophantur extra ideas humanas, quod non licet (ex post. 1.).

Prop. CXLVII. Motus localis est qualitas & proprietas positiva moli corporum superaddita. Nam corporeæ moles tam sunt corporeæ quum moventur, quam quum quiescunt, modo extensa sint, & solida; motus ergo localis est proprietas moli corporum addita.

Schol. Quid, inquit aliquis, faciemus viribus illis activis, quas naturales & insitas primis substantiis esse diximus? Motrices illæ sunt, necne? Respondeo esse illas motrices. Sed duas ego cum Leibnitio vires motrices agnosco, vivas nempe, & mortuas; seu *motum*, & *conatum*. Motus localis in viribus vivis est. Hæ naturæ corporeæ insitæ non sunt, sed impressæ. Vires illæ insitæ primis elementis mortuæ sunt, ac in solo conatu consistunt.

Prop. CXLVIII. Primus ergo status materiæ est quies; nam ad ejus essentiam non est necessarium, ut *de loco in locum* moveatur (per prop. ant.).

Prop. CXLIX. Nullum corpus seipsum movere potest. Motus localis, & vis motrix sunt quid positivum (prop. 145.); nullum autem ens sibi quid positivum, quo prius carebat, dare ipsum per se potest (prop. 17. & 20.); igitur nullum corpus seipsum movere potest.

Prop. CL. Omne corpus quiescens resistit causæ moventi corporeæ. Id patet ex vi, quam experimur, dum corpus quodcumque impellere, aut trahere conamur. Hæc vis *inertia* dici solet.

Scholion. Sunt qui scribunt, hoc corporum attributum, quod *inertiam* juniores philosophi vocant, primum a Newtono detectum; quod imperitia veterum, opinor, monumentorum faciunt. Nam ut omittam hoc in loco sensum hominum communem, quem ego plurimis veterum Philosophorum locis firmare possem, si res esset tanti, ut id officii esse nostri existimaremus; certe Renatus Cartesius id aperte docet. Nam *part.* II. *Principiorum philosophiæ art.* 37. regulas motus explicaturus, *harum*, inquit, *prima est, unamquamque rem, quatenus est simplex & indivisa, manere quantum in se est in eodem semper statu, nec unquam mutari, nisi a causis externis. Ita si pars aliqua materiæ sit quadrata, facile nobis persuademus illam perpetuo mansuram esse quadratam, nisi quid aliunde adveniat, quod ejus figuram mutet: si quiescat, non credimus illam unquam*

ince-

incepturam moveri, nisi ab aliqua causa ad id impellatur. Nec ulla major ratio est si moveatur, cur putemus ipsam unquam sua sponte, & a nullo alio impeditam motum illum suum esse intermissuram. Hæc summus Philosophus. Sunt & Peripateticorum, & Galilæi nostri plura similiter dicta.

Prop. CLI. Corpus in motu positum resistit vi motrici corporis moventis. Motus est quid positivum naturæ corporeæ adveniens (prop. 145.), nec primus materiæ status (prop. 148.); ergo a vi aliqua externa ei inditus. Hæc vis est causa corpus movens, cui omne corpus resistit (prop. ant.); ergo omne corpus motum suapte natura resistit vi motrici corporis moventis.

Schol. Inde sunt leges mechanicæ corporum mollium, quæ sive in se invicem incurrant, sive alterum alteri occurrat, post conflictum motus aut omnino exstinguitur, aut imminuitur constantissime. Ex. g. si corpus A incurrat in corpus B quiescens, celeritas post conflictum erit ad celeritatem ante conflictum ut pondus atque massa corporis A ad aggregatum ex A † B. Si sibi mutuo occurrant A & B æqualia & æqualis celeritatis, post conflictum quiescunt: si æqualia inæqualis celeritatis, post conflictum movebuntur secundum directionem prævalentis dimidia celeritatis differentia, &c.

Prop. CLII. Motus accelerari potest in infinitum.

D. Problema est possibile, si demonstratur, qua ratione fieri possit (ex prop. 6.); ergo motus accelerari potest in infinitum, si demonstretur qua ratione id fieri possit. Fieri autem id potest si detur corpus in spatio infinito, eique communicetur motus, qui æquabiliter in infinitum acceleretur, persistentibus semper prioribus motionum gradibus.

Prop. CLIII. Motus quantumvis acceleratus fieri nequit in instante indivisibili, etsi videri possit *instantaneus* ob incredibilem celeritatem.

D. Motus quantumvis acceleratus debet esse actio, qua mobile de loco in locum transfertur (def. 74.); adeoque mobile debet successive exsistere in pluribus locis: actio autem successiva est continuata exsistentia; & hæc duratio (def. 70.); ergo quilibet motus quantumvis acceleratus durat, nec idcirco fit in instante indivisibili.

Schol. Si quis igitur demonstraverit cogitationes nostras in instante temporis indivisibili fieri, is proculdubio confecerit, cogitationes non esse motus; ex quo & illud de-

duxerit, cogitationes nostras pendere a substantia incorporea. Id ego facile factu esse existimo: nam quamquam Christianus Wolfius demonstrare conatus sit, omnes nostras perceptiones & cogitationes in tempore fieri, nullam in instante indivisibili, & revera successionem quandam quum in perceptionibus, tum etiam in cogitationibus & ratiociniis ipsi observamus; tamen distinguendum est inter ipsam perceptionis ac cogitationis essentiam, ejusque durationem. Illa in instante absolvitur: sed potest tamen eadem durare aliquandiu. Patet hinc quid censendum sit de motibus Angelorum instantaneis, quos induxere Philosophi quidam.

CAP. XII.

De primis Corporum substantiis ac mundi origine physica.

Prop. CLIV. Corpora non sunt unio *accidentium* sine substantia. Nam quum *accidentia* intrinsecus a substantia dependeant; existere sine substantia aliqua nequeunt.

Prop. CLV. Corporum substantia non est una.

D. Substantia est primum subjectum, quod in re est, ac propterea ens simplex (prop. 38.): partibus ergo *realiter* distinctis non coalescit, nec adeo divisibilis est: nam si coalescit, non prima est, sed ex primis conflata. Sunt autem corpora omnia divisibilia, adeoque composita: substantia ergo corporum una non est. Consulatur etiam prop. 39.

Schol. Acosta Lockii interpres (*a*) testificatur, fideique suæ quasi prædem dat Newtonum, de origine materiæ sic putasse Lockium. Nempe Deum distinctis æterni spatii partibus vim dedisse resistendi, idest soliditatem, antitypiam; quo factum est, ut nasceretur materia. Ego vix putaverim hoc & Lockium cogitare potuisse, & Newtonum serio de Lockio testari. Principio nihil fingi potest ineptius, quam substantiam æternam, ut ille putabat, spatium nempe, suapte natura immobilem & individuam addita vi resistendi, evadere mobilem & indivisibilem. Deinde si ita sit, ut isti prædicant, non ex nihilo a Deo hæc rerum univer-

(*a*) *Nota* 2. *ad* §. 18. capitis x. de *Intellectu humano.*

versitas procreata est, sed ex æterno aliquo subjecto: quod quum Deus viribus inditis modificaverit, non primæ substantiæ hujus mundi est Auctor, sed formarum tantum. Itaque non video quid hæc opinio ab eorum Philosophorum sententia discrepet, quos constat materiam posuisse æternam, ac Principi & opifici rerum omnium coævam. Nec vero intelligo, quid causæ esse possit, ut quum agnoveris spatium id posse a Deo viribus aliquibus informari, materiam creari non posse decernas. Nam eæ vires voluntate, non emanatione, spatio acquiruntur. Quod quum semel constitueris, ecquid vetat cur non eadem voluntate ex nihilo creatam materiam dicas? Scilicet non illud præ hoc esse ei Enti potest facilius, quod sua voluntate operatur. Sed & redeamus, unde discessimus. Fingi ergo nequit, nisi inscitissime, unam esse eandemque corporum omnium substantiam, seu subjectum primum.

Prop. CLVI. Quoniam corpora non sunt æterna (ex prop. 25. 28. & 35.) sequitur, substantias corpora componentes anteriores esse, saltem natura sua, & origine corporibus ipsis, quæ inde componuntur; ac propterea hujusmodi substantias, si sint extensæ, non posse esse absolute *infinita* numero *prima extensa* aliquota in singulis corporibus: alioquin singula corpora & ipsa infinite extensa essent. Enim vero si datæ lineæ A quantumvis exiguæ addantur, in directum infinitæ lineæ aliquotæ cujuscumque magnitudinis, dum tamen sint lineæ, efficient lineam A infinitam. Si vero superficiei B addantur in directum infinitæ aliæ superficies etiam brevissimæ, dummodo sint superficies, superficies B evadet infinita. Eodem modo si solido C, quamtumlibet exiguo, addantur infinita alia solida aliquota quantumvis exigua, solidum C evadet undequaque immensum, ut si infiniti pollices cubici simul copulentur, ii infinitam producturi sunt extensionem. Nisi hoc sit in ideis humanis clarum, fateor me nondum intelligere quid sit evidentia.

Schol. Primæ ergo corporum substantiæ simplices sunt, & si extensionem aliquam suarum virium habent, *relative* tantum infinitæ numero. Ea fuit olim Pythagoreorum, & quorumdam etiam Democriticorum doctrina; nuper Leibnitii, & Wolfii. Consuli potest Wolfii Cosmologia, & Principia Philosophiæ Leibnitii ab Hanschio collecta. Sed sunt interim, qui nobis opponunt demon-

strationes geometricas, quas Rohaultius (*a*), Keil (*b*), Gravesandius (*c*), magno numero protulerunt. Addunt progressiones infinitorum parvorum, quibus constant, & singula extensa geometrica in infinitum dividi, & infinita infinite parva finitas constituere extensiones. Non hæc me latent: sed puto non idem licere in extensione reali suapte natura composita, & divisibili, quæ & exsistere aliquando cœpit, & sui procul dubio primordia quædam habet, quod in *abstracta* & *simplicissima extensione* usurpatur. Scilicet demonstrationes illæ probant extensionis imaginariæ *mensurabilitatem* in infinitum, atque infinitum geometricum, non autem *divisibilitatem*. Constat ex doctrina linearum incommensurabilium lineas geometricas non posse ex punctis componi; tota ergo magnitudo geometrica in infinitum est divisibilis. At corpora ex primordiis aliquibus constare debent; alioquin nihil esset in illis *substantiale*. Quod si demonstrationes istæ evincerent *divisibilitatem* partium ac substantiarum distinctarum, seu, ut alii loqui amant, *Physicam*, non *Mathematicam* & *Metaphysicam* divisibilitatem seu mensurabilitatem; sequeretur omnem extensionem, etiam vacuam, esse physice divisibilem, quod Philosophi isti nolunt, saltem ii, qui extensionem vacuam esse ipsam Dei immensitatem docent. Physica vero argumenta probant quidem partes cujuslibet corporis esse *relative* tantum infinitas, idest eorum numerum comprehendi a nobis non posse (def. 69. Schol.), non vero absolute (vide Schol. prop. 39.). Quocirca ridiculum est paradoxum, quod ex physica materiæ divisibilitate in infinitum deducit Gravesandius, *data nimirum materiæ particula quantumvis exigua, & dato spatio quovis finito* (poterat etiam spatium hoc statuere infinitum) *utcumque amplo* (idest etiam relative infinito) *possibile esse, ut materia talis arenulæ per totum hoc spatium diffundatur, atque ipsum ita adimpleat, ut nullus sit in eo porus, cujus diameter minimam datam superet lineam*. Quo in loco summi Geometræ videntur obliti ejus positionis, ex quo hoc paradoxum derivant: nimirum partes digiti cubici ex. g. esse minores semper ac minores; ut si iterum cohæreant, nequeant aliam solidam magnitudinem efficere, præ-

(a) *Phys. cap.* 9. §. 4. & 5. (b) *Introd. ad veram Phys. lect.* 3. (c) *In Instit. Phys. Newt. lib.* 1. *cap.* 4.

præterquam digitum cubicum. Quod si Deus, qui Platoni γεωμετρίζειν dicitur, hac Geometria usus est, dum mundum conderet, procul dubio facillime condidit, producto exiguo & sensibus minime obvio materiæ granulo, eoque, quin novas crearet partes, in immensum diducto ita, ut esset & materia & spatium. Miror illud Lockio (vide Sch. prop. antecedentis), quam hoc potius in mentem venisse, dum de origine materiæ disputaret. Scilicet ad hæc portenta evadunt ii, qui ex usu *abstractarum perceptionum* de corporibus philosophantur.

Prop. CLVII. Si corpus quodlibet est physicus in absolutum infinitum divisibile, corpus quodlibet est unio modorum sine prima substantia.

D. Si ita est, in corpore nulla est pars simplex, uti patet: ergo nulla prima substantia (prop. 38.): corpus ergo quodlibet, adeoque totum universum corporeum, est modorum unio sine ulla prima substantia. Quod quum esse nequeat (prop. 144.), corpus quodlibet non est physicus in absolutum divisibile.

Schol. Est hæc demonstratio metaphysica, quum quæ superius data est (prop. 146.), physica sit. Quod si quis objicit, me non justam de natura substantiæ notionem animo obversantem habere, ei repono, me substantiam definivisse ex omnium Philosophorum consensione. Nemo enim unquam vocaverit substantiam id, quod nec primum in ente concipitur, & quod a priore intrinsece pendet, idest quod non per se constat. Sed enim, est hæc substantiæ essentia *nominalis*, quam utrum *reali* adamussim congruat, ignoramus. Haud negaverim; sed in compertis tamen esse existimo, esse debere primum aliquod subjectum earum rerum, quæ sunt. Quod si primum, non igitur ex prioribus compositum. Hucusque recte ratiocinari nobis videmur. Itaque quousque nulla alia substantiæ essentia nominalis, quam reali magis congruere similius vero sit, proferatur, nemo nos reprehendet, si ex hac philosophemur, non ut oracula divina fundentes, sed ut homines. Scilicet tota nostra sapientia essentiis nominalibus constat: quas, quum semel omnibus probatæ sunt, si evellere velis, nihil interim ipse certi proferens, rempublicam evertes litterariam, atque fœdissimam perturbationem induces. Sane nos ex hac veritate, quod corporum exsistant aliquæ substantiæ ac subjecta prima oporteat, deducimus, non posse

ea esse in infinitum absolutum divisibilia, quod corporum alioquin substantiæ in nihilum reciderent, videmurque solidis principiis & recte ratiocinari. E contrario qui huic theoremati adversantur ex mensurabilitate infinita extensionis imaginariæ, quæ ad solas essentias *notionales pertinet*, divisibilitatem corporum in infinitum inferunt, atque omnes corporum substantias auferunt, rogatique de primo universitatis hujus *subjecto*, *principiis*, *substantia*, ne dicant nulla esse, esse ignota affirmant. Utrique vero ex essentiis rerum *nominalibus* ratiocinamur: sed longo discrimine; quod nos ex realis rei exsistentia, substantiæ nempe corporum, quæ sit aliqua necesse est, divisibilitatem illam negamus, certasque ac primas corporum ponimus substantias: ii ex *imaginaria* mensurabilitate linearum & angulorum in infinitum, corporum primas substantias negare debent, si sibi consentanei esse volunt. Longe itaque nostra illorum ratiocinatio præstat, quod Gassendo, Hobbio, Leibnitio, & Wolfio viris bona parte in *Geometricis* rebus attritis, observatum est. Ceterum *demonstrationes* mathematicæ hoc talo, ut dixi, nituntur, quod punctum sit, cujus nulla extensio, lineæ sine latitudine, superficies sine ulla profunditate. Jam quum nec puncta, nec lineas, nec superficies hujusmodi, quæ in solis sunt animi conceptibus, in corporibus statuere possimus; demonstrationes illæ imaginariæ tantum extensioni, non etiam corporeæ aptari possunt (*a*).

Prop. CLVIII. Omnes primæ corporum substantiæ vi aliqua activa præditæ sunt, quæ intima iis est, & a Deo indita, quaque est earum proprietas naturalis.

D. Primæ corporum substantiæ se penetrare nequeunt, alias nullam extensionem parerent; ergo semper earum una extra aliam exsistat necesse est: hoc autem qui fieri potest, si nulla vi præditæ sint, qua sibi mutuo resistant? Jam vero quum substantiæ *naturaliter* sint impenetrabiles, oportet *ut naturaliter* sint activæ. Præterea nisi primæ corporum monades inter se jungantur ac cohæreant, corpora effici nequeunt: necesse porro est ut vi aliqua activa iis intima cohæreant. Ad hæc, omnis, quæ in mundo est, *activitas* a substantiis ipsis primigeniis manare atque efflorescere debet.

Ne-

(a) *Adsis Hobbium de Principiis & ratiocinatione Geometrarum*.

Neque a vero abludit, quod Leibnitius observavit, nihil esse hunc, quem cernimus, mundum adspectabilem, nisi phænomenorum congeriem ex activis incorporeisque substantiis emanantium. Id quod quo diutius expenditur, eo ad similitudinem veri magis accedere videtur. Id saltem verum est, nihil nos de mundo scire, nisi quod activum est, idest quod quoquo modo in nos agit. Viderunt hoc Democritici, & Cartesiani, qui earum rerum quæ sunt, nihil nos aliud percipere docuerunt, nisi sensationes, & sensationum vires (*a*). Potest vis isthæc activa primigeniarum substantiarum vocari *forma* substantiarum istarum: nam formam esse & *entelechiam*, & *naturam* docuit Aristoteles, atque Peripatetici; qui eadem opera adstruere studuerunt, hujusmodi formis rerum omnium essentias constare: formas rebus *esse* tribuere: nihil esse actu posse sine forma.

Prop. CLIX. Vis quædam activa, quæ corporum *forma substantialis* vocari potest, est una ex proprietatibus essentialibus corporum omnium, quod idem est, corporibus essentialis est vis quædam activa.

D. Essentia corporum posita est in unione simplicium substantiarum, uti ex superioribus patet; ergo quemadmodum substantiis *essentialis* est vis quædam, quæ spectari potest ut earum forma (prop. 158.) & natura (def. 32.), ita & corporibus. Idipsum demonstrat experientia. Unde enim est quod Mercurius, aqua, ignis quantumvis divisa, agitata, mixta, semper suam immutabilem retinent naturam? Nam si corpora sola partium structura differrent, proculdubio posset quodlibet in quodlibet commutari: ex quolibet nasci quodlibet: id quod totum naturæ ordinem perturbaret. Quare constituendum est, primas corporum substantias omnes esse activas, & ob diversam activitatem sub diversis generibus contineri; easque diversas activitates, seu attractiones vocaveris, seu quidvis aliud, esse corporum formas substantiales.

Scholion. Est hæc Thomæ Aquinatis doctrina, quam ille adversus Arabes diserte propugnat lib. III. c. Gentes cap. 69. Vehementer etiam pro hac vi substantiarum pugnavit Leibnitius in Actis Eruditorum Lipsiæ. *Agere*, inquit, *est character substantiarum* (*b*). *Hanc agendi virtutem*

(a) *Vide Cudworthum. in syst. intellect. cap.* 1.
(b) *In Actis Lipsiensibus An.* 1695. *pag.* 145.

tem omni substantiæ inesse ajo, semperque aliquam ex ea actionem nasci: adeoque nec ipsam substantiam corpoream ab agendo cessare unquam. Quod illi non satis percepisse videntur, qui essentiam ejus in sola extensione, vel etiam impenetrabilitate collocaverunt, & corpus omnimode quiescens concipere sibi visi sunt (a): *Quod id quod non agit, quod vi activa caret .... substantia esse nullo modo possit* (b). (Nempe ut ajunt scholæ facere aliquid actu consequitur ad hoc quod est esse actu). *Atque hinc judicari potest, debere in corporea substantia reperiri entelechiam primam, tamquam πρωτον δεκτικον activitatis; vim scilicet motricem primitivam, quæ præter extensionem & molem superaddita, semper quidem agit, sed tamen varie ex corporum concursibus per conatus impetusve modificatur. Atque hoc ipsum substantiale principium est, quod in viventibus anima, in aliis forma substantialis appellatur* (c): An est hæc *vis animalis* Speusippi? (d) An *virtus genitrix* Cudworthi? An *spiritus plasticus* Newtoni? non proculdubio. Nam vires Leibnitianæ sunt singulis substantiis propriæ, non omnibus una communis. Ob eamdem rationem, neque est Stoicorum Spiritus, de quo Manilius apud Lipsium (e).

.... Vivere mundum,
Et rationis agi motu: quum spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem,
Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.

Bina hæc theoremata atram eidem homini bilem excitavere, quem alias memoravimus. Ea cum pietate, si superis placet, pugnare, quasi delphica oracula fundens, decernit, sibique in plebecula perbelle plaudi vult, ac blandicellis verbis, quasi par impar lusurus, pueros docere omnes veteris scholæ Theologos cum impiis vapulare oportere. Age vero sis, videamus quid est, quod ille non concoquit. Duo sunt in hoc loco, quæ adstruimus. I. *Omnia corpora esse propria & insita virtute activa*. II. *Hanc virtutem & activitatem esse illis naturalem, essentialem*. Te nunc columen Theologiæ rogo, quod eorum est quod cum Chri-

(a) *Ibid. An.* 1694. *pag.* 112. *lib.* 1.
(b) *Ibid. An.* 1698. *pag.* 439. (c) *Ibid. pag.* 434.
(d) *Apud Cicer. lib.* 1. *de Nat. Deor.*
(e) *In Physiol. Stoic. dissert.* 8.

Christianis dogmatis pugnat? Primum non equidem opinor, nisi S. Thomam Aquinatem, ac totam veterem Theologorum scholam cum impiis militare in animum induxisti. Nam, ut ceteros missos faciam, quando non oportet testes coaggerare, Thomas Aquinas *lib. III. contra Gentes* diserte ac saepe pro hac corporum activitate disputat. Nam *cap. 69. omnia corpora esse activa propria virtute* adversus Arabes magno argumentorum apparatu tuetur. *Cap. vero* 70. adstruit per hanc activitatem decorem ordinis in universo apparere. Praeterea saepe quoque ac velut compertum habet in omnibus universi rebus esse Dei similitudinem: eam autem in duobus esse positam, *& ut sint, & ut agant*, quaelibet pro sui natura ac conditione. Quid igitur tu huic Theologo facies? Sed illud etiam quaeso mihi dicas, quodnam est in rerum natura corpus plane otiosum? nisi tu ignores nullum esse corpus, quod non aut centripetum sit, aut centrifugum: nullum quod non sit solidum: praeterea nulla esse quae non sint aut ignea, aut luminosa, aut elastica, aut vegetantia. Quae omnia vires sunt activae; quas si ignoras, ne tu primipilus es Philosophorum. An tu in animum induxisti nuntium mittere sensibus omnibus?

Sed id fortassis hypochondria inflavit, quod eas vires *essentiales*, & primis substantiis & corporibus ex iis conflatis scripserim. At noveris tu quid sit cuique rei naturale & essentiale? Nempe id quod ei rei primum Deus indidit. Ea res & per se patet, & sexcentis ejusdem S. Thomae locis confirmari posset, si tu is esses, cui me harum rerum rationem reddere oportet. Quod si id te turbat, quid tu Peripateticae scholae occentes, quae formas *substantiales essentiales* esse corporibus dicunt? Nempe inter Dei hostes relegatum ire jubebis. At illi viderint, qua tecum ratione agere sit opus. Ego quum philosophum agam a te philosopho hoc exquiro, vis ignis urens est ne ei essentialis? Est lumini lux? Est aeri elasticitas? Est seminibus ac ovis vis vegetatrix? Quod si negas, non vides quae sit hominum frontis tuae querela? Postremo id te rogaverim, quum Deus hoc universum ex tot rerum generibus conficere decreverit, is proculdubio velle debuit, ut earum naturales essent differentiae. Quae autem proprietates res discernunt, eaedem illorum essentias constituunt. In his proprietatibus tu, velut ex tripode definies, locum nullum habere posse virtutes effectrices? Si igitur ita est, ut praedicas, jam nihil

hil suapte natura & essentia activum esse debet in mundo. Eo quum rem adduxerimus, quo in loco mentes habeas a te quæro. Nam si non pugnat cum Dei in res naturales imperio ea activitas, quam ille essentialem esse voluit mentium humanarum, quid causæ erit, cur dicemus pugnare ignis, aut luminis, aut aeris activitates?

Sed ais, quasi nobis invidiam creaturus, esse nos Leibnitianos, seu, quod omnem leporem vincit, Democriticos: nam tu tandem effecisti, ut nihil intersit inter Leibnitianum, ut vocas, fatum, & Democriticum. Ego vero quid tam acri judicio reponam? Corpora, corporumque prima subjecta esse activa, sententia est Cælo & Chao antiquior. Eam Leibnitius complexus est. An idcirco Leibnitianus est quicumque inditas esse corporibus vires activas tuetur? Id si est, qui ea dogmata profitentur, quæ sensus hominum communis adprobat, ii sunt proculdubio omnium gentium, omniumque locorum, ut est hoc, *totum esse sua parte majus*, *pugnare ut idem simul sit & non*. Tu igitur ne Chaldæus sis, & Sinensis, & Græcus, & Scytha, in ea inveharis oportet. Equidem non ignoro quæ sit eorum tessera, qui Leibnitianæ philosophiæ dant nomina. Scilicet ii omnibus substantiis non hanc tantum motricem vim & activitatem tribuunt, sed *vim*, ut vocant, *repræsentandi*: tum inter mentes & corpora æterno decreto *præstabilitam harmoniam* esse opinantur. Horum tu dogmatum neutrum ex meis opusculis conradere potes. Nam quod addis, Leibnitianum Fatum idem esse atque Democriticum, in eo te supra mortalium conditionem historiæ philosophicæ peritum ostendis. Quum ergo tam sis singularis, ut ea cernas, quæ nemo hucusque hominum ne in suspicionem quidem adduxit, ego quid tanto paradoxo regeram? Interea hoc te monitum velim, Leibnitium illud Fati genus adstruere, quod S. Thomas tuetur. Boetius *in IV. de consolatione prosa 6.* Fatum definiverat, *Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus*. Hoc Fatum *recte poni* docet Thomas Aquinas 1. *p. q.* 116. *art.* 1. Idipsum profiteri Leibnitium si quis est qui ignoret in me demonstrandum recipio. Est porro hoc Fati genus quod omnes uno ore Christiani tanquam præcipuum Christianæ Religionis fulcimentum docent. Si hoc Democriticum est, jam omnes Democritici sumus. Jam cui ignotum est Democriticos cum iis facere, qui omnem divi-

divinitatem e mundo sublatam esse cupimus? Itaque si, ut si tu vera prædicas, impii Christiani sumus omnes. An tu sanus es?

Prop. CLX. Omnes vires activæ universi, & principia activa sunt habenda incorporea, idest nec animata, nec materia, nec extensa.

D. Vires illæ & principia sunt propria substantiarum simplicium, nec conveniunt corporibus, nisi quia prima subjecta corporum sunt simplices substantiæ (prop. 155.): sunt porro saltem primitivæ elementales substantiæ simplicibus (prop. 158.); haberi ergo pro corporeis nequeunt: scilicet ipsæ substantiæ simplices viribus illis, quas prædixi, sunt principia activa, & si ita loqui licet, animæ totius universi. Cave autem, ne hæc cum spiritibus misceas: vocabulum enim animæ sic ego heic accipio, ut idcirco animas dicunt vegetativas. Præterea vires istæ omnem corporum massam pervadunt, & activæ sunt; inertiæ ergo, soliditatis, & extensionis corporeæ sunt expertes. Sic etiam Scholæ Peripateticæ Philosophi *formas substantiales* esse incorporeas dixerunt.

Scholion. De viribus universi una cum aliis Philosophorum error. Chaldæi putarunt mundum non tantum lumine supramundano totum penetrari, sed anima quoque *fontana*, & universali agitari (a). Animam mundi universalem passim Plato in epistolis, & in Timæo, ubi mundum animatum esse *μεγα ζωον* magnum animal docet, eique succedentes Platonici magno agmine adstipulantur. Deum ipsum esse toti mundo, & partibus ejus infusum, eumque vivere & spirare omnia, dixit Pythagoras, dixere Stoici, qui cantaverunt,

.... Deum ire per omnes
Terrasque, tractusque Maris, Cœlumque profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas (b),

qua etiam in opinione plurimi sunt Persæ, Mahumedani, & Sinenses hodierni. Tolandus, & Anonymus Collinus Mosem, & Salomonem impudentissime in eandem referunt classem, illum quidem quod scripserit spiritum Divinum aquis, aut, *τω* Chao, incubasse: hunc quia animas in-

manes

(a) *Vide Stanlejum in Hist. Philosophiæ p. 13. & cap. 2. & 7.*

(b) *Virgilius Georg. lib. 4. vers. 221.*

manas post mortem redire ad Deum, eodem modo quo corpora in terram, docuerit. Sed vix merentur qui a sanis Philosophis refutentur. Enimvero supra demonstratum est, nihil ex Dei natura extra se proprie emanare & effluere posse; nam quod sic emanat, ejusdem naturæ & substantiæ cum eo est, unde emanat: nihil vero earum rerum, quæ in mundo sunt, ejusdem cum primo ac necessario Ente esse potest, ut sæpe ostendimus. Divini vero Scriptores quum omnia a Deo omnipotente voluntate creata sæpe & perspicue dicunt, qui potuere id sentire, quod iis per summam injuriam tribuunt? Sed ea de re alibi commodius. Nunc ad eos redeo qui præter Deum aliam nescio quam mundi animam ex Platonicorum scitis adstruere conati sunt. Illud certum est, spiritum hunc universalem, & Mundi animam placuisse Kabbalistis, de quibus conferri potest Joannes Franciscus Buddeus in Introductione ad historiam Philosophiæ Hebræorum (*a*). Vehementer autem animam mūndi, seu principium Archeon & *Hylarchicon* defenderunt Helmontius, & Chymici alii, tum Henricus Morus, Cudworthus, & quidam alii Angli: qua de re consuli potest dissertatio *de anima mundi* Adami Rechembergii Theologi Lipsiensis. Hanc mundanam animam in ætherem spiritosum magnæ & elasticitatis, & attractricis virtutis convertisse videtur Newtonus. Phantasticæ, ac poeticæ potius, quam philosophicæ hujus doctrinæ origo Naturæ obscuritati debetur. Nam quum esse aliquid in natura perciens & activum dubitare nequeamus; neque vero quid istud sic nobis perspicuum sit; factum est ut ad mundanam hanc animam confugerimus, quæ fortassis Philosophorum, ut pleraque alia, phantasma est. Nemo enim Philosophorum est, qui quum a ratione destituitur non ad fundum communem phantasiæ confugiat. Videri possunt, quæ docte adnotavit Mosshemius ad Cudworthi dissertationem *de anima genitrice*.

Prop. CLXI. Primigeniæ universi corporei substantiæ non sunt sempiternæ.

D. Quæ sunt sempiterna sunt entia necessaria existentiæ (def. 11.) ac proinde essentiæ (prop. 26.); itaque sunt totum id, quod esse possunt, idest intensive extensive infinita (prop. 27.): certe suapte natura unum semper in

(a) *Pag.* 318. *&* *alibi*.

in modum exsistunt. Nunc primæ rerum substantiæ modificantur perpetuo, ac varie, suntque contingentium elementa, nec infinite perfectæ, nec unum in modum ac necessitate sua determinatæ; non ergo necessitate naturæ existunt, idest æternæ non sunt.

Corol. Quum hæ substantiæ primam Universi materiam efficiant: conficitur universi materiam non esse æternam.

Scholion. Materiam universi primam Philosophos veteres omnes posuisse æternam, eos etiam, qui mundi originem agnovere aliquam, quippe universo Deum præesse censuerunt, sæpe alias est a nobis adnotatum. Sed & in eodem errore hodie esse, qui subtilius de mundo apud Indos, Sinenses, Japonenses philosophantur, testatissimum faciunt qui earum nationum res nostris literis descripserunt (*a*). Itaque eorum omnium communis est hic error, qui non sunt Christiana philosophia imbuti. Quod si qui eorum originem materiæ dare aliquam voluerunt, in absurdiorem etiam doctrinam prolapsi sunt, quippe qui eam a Deo emanare sibi persuasere.

Hinc fortassis plerique nostrorum Theologorum moti pronunciarunt, esse totam hanc rem extra mentis humanæ ambitum, nec de rerum origine quidquam liquido, nisi revelatione sciri posse (*b*). Videri potest quemadmodum his de rebus disserit Franciscus Piccolomineus in opere docto *de Creatione*. Sed prævaluit eorum sententia, qui humana ratione naturæ ideis informata id intelligi posse docuerunt, in quibus viri in primis acuti, ac in rebus, de quibus agimus, attriti, S. Th., Alex. Alensis, Joannes Scotus, Thomas Argentina, Henricus Gandavensis, aliique scholæ plures. Itaque F. Suarez (*c*) duo hæc sibi demonstranda suscepit, non possibilem modo esse *creationem* ex nihilo, sed præterea eam *de facto esse*. Joannes Lockius materiæ creationem hoc argumento agnoscendam demonstrat: (*d*) *Quo tu, inquit, argumento conficis, te non esse æternum? Me, inquis, ante viginti aut triginta annos nondum extitisse non dubito. Quid, inquam, hoc TU? neque*

(a) *Vide Mosshemii dissert. an philosophi creationem ex nihilo docuerint in syst. Intell. tom. 2. pag.* 957.

(b) *Gregorius in* 2. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 3.

(c) *Metaph. disp.* 20. *sect.* 1.

(d) *De intell. hum. lib.* 4. *cap.* 10. §. 18.

que enim id ad corpus refers, quippe qui materiam habes æternam. Quamquam tu non hoc ipsum es, quod forma corporis demonstrat: mens enim cujusque est quisque. Mens autem tua æterna ne etiam est? ego quemquam sic insanire putem, ut id serio contendat? Quod si hominis mens æterna non est, e nihilo profecto est creata. Ita *fit, ut creationem spirituum tergiversari nequeas. Quid vero? minor ne virius ad spiritus e nihilo creandos, quam ad materiem exigitur? Nemo sanus id putaverit. Quando ergo constat mentes esse e nihilo creatas, quid causæ esse dicemus, cur materiam, rem ignobiliorem, minusque necessariam, velimus æternam? Sed ignoratur quo tandem modo creari materia potuerit. Esto. At id numquam efficiet, ut credamus æternam, nisi nos etiam æternos fateri velimus, quod ignoremus, qua ratione simus geniti.*

Atque huc redit tota Lockii argumentatio, quæ vereor ne pluribus popularis magis, quam philosophica videatur. Ratiocinationem autem illam, qua & nos usi sumus, Eminentissimus Poliniacus paucis, ac, ut solet, eleganter protulit. (*a*)

Materies porro, seu massam intelligis omnem,
Seu varias ejus partes, consistere numquam
Absque modis potuit: non hunc aliumve requirens
Per se naturamque suam (quia quos semel olim
Per se naturamque suam tenuisset ab ævo
Numquam hos ex ulla posset deponere causa)
Ast aliquem semper, nempe hunc aliumve, perinde est.
Ergo quos habuit primus, servatque tenaces,
Vel quos deponit semper, semperque resumit;
Hos quum non habeat per sese, habuisse necesse est
Ex alio. Et quoniam revera tempore nullo
Stare potest informis & omni cassa figura
Materies, sequitur per se consistere nullam
Materiem, atque ab eo totum hoc sumsisse quod habet,
A quo etiam hoc sumsit talis vel talis ut esset.
Propterea quidquid per se est variabile, non est
Æternum: & pendere aliquo ex moderante necesse est:
Talis materies nequit ergo æterna vocari:
At si materies non est æterna, creari
Debuit e nihilo; per sese non fuit unquam,

Est

(*a*) *In Anti-Lucretio lib.* 3. *v.* 1049.

Est tamen; e nihilo semel ergo existere cœpit.

Quod vero spectat ad modum creationis est profecto in humana ratione, quo possimus ad caput saltem rei attingere. Nam esse hoc universum a Deo factum ii quoque coguntur fateri, qui æternam materiam constituunt: sunt enim in eo sapientiæ & artis præclara ac patentia vestigia. Quum autem constet nec emanatione ab illo fieri potuisse, nec ullis instrumentis & machinis: quid superest ut dicamus, nisi ut voluntate fecerit? Quod si hoc semel in animum induximus, quid vetat & illud intelligere, voluntate itidem materiam fuisse procreatam? neque enim est hoc illo difficilius. Non me fugit, esse inter Græcos, Arabes, ac Latinos Aristotelis interpretes, qui scribunt Philosophum Stagiritam omnem Deo voluntatem, quæ externa respiciat, omnemque efficientiam pernegasse: mundum ab illo non ulla actione, sed necessaria & æterna attractione esse factum: Deum non efficientem esse causam, sed finalem; agere ut in nos agunt quæ appetimus, quæ amamus ὡς ἐπιθυμητον, ὡς το ορεκτον, ὡς νοητον, ὡς ερωμενον, ut *id quod appetitur, quod nobis ostenditur, quod intelligitur, quod amatur*, ut is sæpe in Metaphysicorum atque Physicorum libris loquitur. Ita in primis Alexander Aphrodiseus, & Cæsar Cremoninus, qui ex instituto eam rem agit (*a*). Possem huic rei id primum reponere, frequentiores esse Aristotelis locos, & clariores, ubi Deum causam rerum effectricem agnoscit, quam eos, in quibus existimat agere tantum ut causam finalem, quod copiose demonstratum est a Simplicio, Ammonio, Averroistis, S. Thoma, ceterisque scholæ Philosophis. Sed nolo his de rebus disputare; quandoquidem ut ita sint, ut Alexander existimat, non me magis movent, quam reliqua Aristotelis dogmata de Deo & Fato, deque mundi æternitate, quæ sine controversia cognita sunt. Neque enim eo sumus seculo, in quo unius Græci auctoritate tantæ res præfiniebantur. Non male autem ad hanc rem quod pertinet conjicit Moshemius, (*b*) Aristotelem, quum nesciret quid responderet quærenti, qua ratione Deus in mundo agat, eo exemplo, quod primum occurrit, usum, ipsum ignorantem quid sibi vellet. Quæ ei ars non uno in loco placuit. Itaque existimet, ut Cremoni-

(a) *De Cælo sect. IV. cap. 1. & 2.*

(b) *Ad Cudworth. de nat. gent. §. XXIV. ad n. 9.*

moniaus contendit, Princeps Peripateticorum, quid ille momenti adversus ea, quæ superius demonstravimus, afferre potest: Rationem a Philosopho quæro, non auctoritatem.

Jam non materiam modo profanum philosophorum genus, sed totum quoque mundum esse æternum contendit. Sunt autem æternitatis mundi Patroni in duplici classe positi. Nam quidam ne pendere quidem ab ulla causâ mundum putant, ac ita semper ex tota æternitate se habuisse, quemadmodum hodie est. Fuere in ea sententia veteres Græci plures, quos passim memorat Laertius, ex Latinis in primis Plinius, & Manilius. Iis in Europa deinceps accessere, quos Pantheistas vocamus. Alii ab æterno quidem mundum fuisse opinati sunt, sed habere illum effectricem causam. Hæc causa necessitate naturæ suæ mundum produxit, adeoque ab æterno. Aristotelici isti vocari possunt. Nugas enim meras agunt ii, qui ab eo errore vindicare Aristotelem conantur, quum id subtilissimi Aristotelis interpretes agnoscant, Alexander, & *Averroes*; fateanturque juniores Peripatetici, in primis Scotus (*a*). Quum junior Peripatetismus longe per Arabiam primum, mox etiam per Europam pervagatus fuisset, eos, qui acutiores videri volebant Philosophi, idest audaciores, ut ii solent esse, is error corripuit, præcipue in Italia. Nam Zabarella, Cæsalpinus, Cremoninus, Pomponatius, Brunus Nolanus & Vaninus ejus impietatis accusantur: jure, an injuria, non disputo. At postquam vulgatus esset Spinozismus, novos idem error nactus patronos, dici vix potest, quod fœde infecerit, inficiatque etiamnum. Ego id hoc loco non ago, ut vanam hanc opinionem *refellam*, qui superius ex instituto ea de re disputaverim. *Id* tantum adnotabo, ac veluti in transitu, nihil magis omnia rationis decreta, quam sectari Philosophi profitentur, evertere quam utrumque illud, aut suapte natura semper mundum extitisse, *nunquam genitum*, *numquam interiturum*, quemadmodum loquitur Plinius, aut ab æterno atque naturæ necessitate a Deo progenitum. Ac primum quidem, ubi nulla essent alia argumenta, manifeste cum ordine mundano pugnat. Est in perspicuis systemata mundana tem-

(a) *Vide & Piccolomineum de Creatione*, *Fabri in Phil. Scoti theoremate* 56. *Suarez Metaph. disp.* xx. *Pererium de com. princip. lib.* xv. Berigardum in Circ. *Pis. p.* 2. *circ.* 9.

temperatione virium centripetarum, ac centrifugarum stare, ac ita stare, ut nequeant illæ consumi, aut quocumque modo turbari, quin statim pereant. Jam sic vires illæ temperatæ sunt, ut sine perpetuo conflictu esse nequeant: nam quæ vires motrices non plene in eandem directionem conspirant, eæ perpetuo sibi adversentur, ac secum confligant est necesse. Nec vero ullus in natura corporea virium conflictus esse aut intelligi potest, sine earum attritu quodam, quo paullatim illæ conficiantur, ac consumantur. Ita fit ut continenter vires istiusmodi mundanæ perire debeant. Si mundus suapte natura ac ab æterno extitisset, jamdiu se illæ mutuo conflictu perdidissent. Quumque negatum sit materiæ vires sibi suas reparare, in chaos hæc systemata essent conversa. Nunc autem ea constanter, atque eadem semper harmonia perseverant; intelligimus ergo, non suapte natura esse ac stare, sed vi supremi Numinis (*a*). Ajunt motum cælorum esse naturalem, atque idcirco æternum. Scio hoc placuisse Aristoteli, ac Aristotelicis. Sed nec me latet quanta id cum ignorantia Mechanicæ Mundi dicatur. Nam primus corporis impetus rectilineus est, nec nisi opposita vi a recta descifcit. Itaque Galilæus, Cartesius (*b*), & Newtonus (*c*) id veluti axioma constituerunt.

Jam alterum non minori absurditate defendi potest, id quod sæpe dictum est: est enim Deum necessario extra se agere, quod non modo totam Dei, idest Entis infinite perfecti, naturam radicitus evellit, sed ipsi rerum mundanarum naturæ & constitutioni adversatur. Ac vero ponamus Deum esse potentiam necessariam; consequetur, eum agere semper secundum totas suas vires: est enim hoc potentiarum necessariarum proprium, ut nequeant parte virium agere. Ita Elateres secundum totas suas vires agunt: item corpora decidentia decidunt ut queunt: ignis, aqua, potentiæ attractrices, se totis semper agunt. Enim vero quum necessario agant, quid causæ subesse dicere possumus, cur parte tantum virium agant, nisi ob obstaculi alicujus resistentiam? quod Enti infinito nullum objici potest. Ita fiet ut singuli potentiæ divinæ effectus sint ut to-

(a) *Vide Newtonum in Schol. general. Princip. Derham Theologie Astronomique, Niewentit lib. 3.*

(b) *Part. II. Princip. art. 39.* (c) Lib. 1. Princip. ax. 1.

ta potentia: nihil enim exploratius esse potest, quam & potentias necessarias esse ut effectus totos, & totos effectus, ut potentias necessarias. Jam est Dei potentia infinita ac ita infinita, ut non sit partibilis, quum proprietas sit entis simplicissimi, in quo quidquid est, una ac impartibilis res est; singula ergo ejus effecta sunt ut potentiæ, idest infinita, quia singulis tota applicatur, si necessaria sit. Quod quum aperte sit falsum, consequitur, divinam potentiam non se tota operari in hoc universo, ac proinde necessariam non esse. Accedit, quod ex infinita potentia necessaria *tota semper in actu* nihil possit effici, nisi unum & infinitum: applicata enim operi tota & necessario unum efficit infinitum ac singulare. At hoc manifesto falsum intelligitur ex tanta entium aut similium, aut dissimilium copia ac varietate, quibus rerum Universitas constat (*a*).

Hæc intelligimus aperte, & si nihilominus æternitatem mundi tueri velimus, ante omnia constituendum *est, velle* prudentes & videntes cum ratione pugnare, id quod ego insanire esse aio. Nec interea negaverim, plura esse circa originem mundi, quæ minus nos intelligamus, illud in primis, quid sit, quod Deus idem semper, non a tota potius æternitate, quam heri aut nudius tertius mundum creaverit, qua præsertim ex re Procli, atque Averrois argumenta omnia, quibus illi mundi æternitatem tuentur, profecta videntur (*b*). Sed quandoquidem libere Deus universum hoc posuit; adeoque summa cum ratione & consilio, ut minus, quod dixi, tantæ rei rationes comprehendamus, nihil est causæ, cur id fieri non potuisse audacissime clamemus. Siquidem omnium primum is, qui de Deo ac rerum natura disputare adgreditur, velut in antecessum constituere debet, ac sæpe id repetere, non omnia ex mentis nostræ modulo æstimanda, esseque infinita avia ac incomprehensibilia, quæ pernegare idcirco, quod non intelligas, summæ fuerit stoliditatis.

Sed movet quosdam veterum quarundam nationum immane quantum celebrata antiquitas, Chaldæorum, Ægyptio-

(a) *Binis hisce argumentis utitur post veteres accurate Syckes connexion de la Religion naturelle &c. cap. 3.*

(b) *Produxit, ac refellit argumenta illa omnia, ad centum ferme, Pererius lib.* XV. de comm. Princip.

ptiorum, Sinensium. Atque hinc ego potissimum horum ingeniorum levitatem ac futilitatem agnosco; quippe qui quum tot habeant originis Telluris nostræ argumenta; seu ex interna ipsius Telluris constitutione ac structura (*a*), seu ex iis, quæ animantia, in primis homines spectant, qualia præcipue sunt humana inventa ac artes (*b*); ii phantasia magis rapi, quum ratione duci amant, serioque perridiculas ac vanas fabellas arripiunt, quarum similes puderet viros graves in genealogiis suis adsciscí ad generis vetustatem demonstrandam. Sed nolo ego ad provinciam aggredi, quam viri eruditissimi diu confecere. Nam Marshamus (*c*) & Witsius (*d*) Ægyptias & Chaldaicas fabulosas illas antiquitates; Duhalt (*e*) Sinenses puerilium mendaciorum ac fictionum plenas ita demonstrarunt, ut garrire pueriliter cum aniculis sit necesse eos, qui capi illis possint. Non puduit Voltairium ut opem fabellis afferret Chaldaicis, declinationem etiam Eclipticæ comminisci, aut pervulgatum olim mendacium in scenam iterum ornatum producere (*f*). Nullam enim esse hujusmodi perennem Eclipticæ declinationem, nisi Astronomiæ imperitus, ignorabit nemo (*g*). Itaque non id ille debuit Romanensium fabularum in morem tantopere exornare, ut idiotis imponeret.

Illud potius velim, ut ii, qui tanta confidentia de rebus hujusmodi disputant, generis humani in hoc telluris orbe propagationem & accuratius contemplentur, & diligentias sequantur: sic enim existimo, nihil esse, quod telluris adolescentiam, ut ita dicam, clarius ostendit, quam oculis ferme videre quacumque te convertere volueris, patentia novitatis argumenta. Ut nostram continentem omittam, id extra dubium est, Americam id recenter habitari, ac a veteris orbis incolis primum excultam. Id infinita illa vestigiorum veterum Asiæ atque Europæ gentium copiam demonstrat; quum in Deorum cultu, tum in linguis, moribus, legibus, institutis. Quam rem copiose egere

(a) *Vide Burnet Theoria Telluris Sacra: Woodward Geographia Telluris*.

(b) *Jaquelotius de l'existence de Dieu tom.* 1.

(c) *In Canone &c.* (d) *In Ægyptiacis*. (e) *Description de la Chine &c. preface*. (f) *In Philosophia Newtoniana*.

(g) *Vide Wolfium in Element. Astronomiæ*.

Grotius (*a*), Hornius (*b*), & omnium diligentissime Lafitau (*c*). Sed utamur eandem in rem, quando locus non invitat, cosmologico argumento.

Prop. CLXII. Vires corporum motrices nequeunt durare in perpetuo conflictu, nisi perpetuo recreentur. Nam vires corporum motrices in reciproco conflictu sese reciproce perimunt; nisi ergo perpetuo recreentur necesse est ut absumantur. Patet id in omnibus nostris machinis.

Prop. CLXIII. Vires cælestium globorum, nisi perpetuo recreentur, necessarium est ut paulatim consumantur, ac tandem esse desinant.

D. Corpora cælestia moventur in gyrum; ergo motu composito. Motus autem compositus generatur ex conflictu virium; vires ergo eorum corporum sunt in perpetuo conflictu: ergo (prop.ant.) nisi perpetuo recreentur, paulatim languescere debent, ac tandem cessare.

Scholion. Inde factum est ut Cartesius, quo *mundi*, quod commentus erat systema, constanter pergeret, operæ pretium esse duxerit statuere, eodem Dei decreto, quo data virium quantitas materiæ fuerat impressa, eandem conservari perennem. Nec regerere quidquam juvat, corpora cælestia moveri in spatio nullius ferme exsistentiæ. Nam principio ne Newtonus quidem in alio spatio moveri dixerit, quam eo, quod simile sit vacuo Boyleano (*d*). Quamquam ne hoc quidem obtinere potest ubique propter athmosphæras Planetarum & Cometarum crassiores, quam ignis & æther, quæ sunt in vacuo Boyleano. Deinde non ego hanc resistentiam specto, sed eam, quæ ex conflictu virium nascitur *gravitatis* & *perfectionis*. Qui enim fieri potest ut confligantur perpetuo sine ulla jactura? Accedit quod non constat, utrum gravitas insita sit, an extrinsecus proficiscatur. Newtonus ait globos cælestes perseverare perpetuo in orbibus suis *per leges gravitatis* (*e*). Si hæc gravitas insita esset æternæ materiæ, ut profanum genus suspicatur, qui fieri posset, ut non in unum centrum omnia corpora cælestia gravitarent? Qui ut Cometæ tantum aberrarent a Planetarum regula? Itaque omni modo ad causam extinsecam confugiendum est, qua id primum fieri

(a) *De origine Gent. Americ.* (b) *De origine Gent. Americ.*
(c) *Lafitau Moeurs de Sauvages Ameriquains toto ac doctissimo opere*. (d) *Schol. gen. Princ.* (e) Ibidem.

fieri cœpit. Quæ esse corporea nequit (prop. sequente). Atque hinc idem summus Geometra agnoscit corpora cælestia *regularem orbium situm acquirere per leges gravitatis minime potuisse*. Quid, inquit aliquis, si hujusmodi vires semel impressæ eædem constanter perseverent? Nempe, ajo, id fieri non potest, nisi in antecessum constituamus, Dei voluntatem, qua primum inditæ sunt, constanter esse eamdem. Hoc autem quid est aliud, quam constanter a Deo conservari?

Prop. CLXIV. Hujusmodi vires nec ipsæ sese recreare possunt, nec ab ulla vi externi corporis.

D. I. Nullum corpus seipsum movere potest (prop. 149.); ergo ne dare quidem sibi ullum motum atque actionis gradum. Jam si vires illæ, quas perpetuo conflictu consumi necesse est, sese recrearent, potis essent sibi eum motum dare, quem non habent. Non igitur ipsæ se reficiunt.

II. pars. Si ab ullo corpore externo recreantur, ei resistent (prop. 151.), ergo erunt cum illo corpore in conflictu. Omni autem corporum conflictu necesse est, ut eorum vires debilitentur; corporis ergo illius, cujus vi motus globorum cælestium recreatur, vis paullatim deficere debet. Ita fit, ut & effectus quoque ejus in dies evadat imbecillior. Id vero esse falsum longa sæculorum ætas satis superque demonstravit.

Scholion. Opponi posset exemplum corporum elasticorum, quorum lex est, ut in conflictu nihil suæ actionis omittant, sed retrocedant ita, ut summa celeritatum post conflictum æqualis sit summæ celeritatum ante conflictum. Respondeo I. Id locum habere in corporibus perfecte elasticis: ejus vero generis nulla huc usque in rerum natura deteximus. II. Notius est, quam ut demonstratione egeat, corpora cælestia non esse ejus generis, de quo agimus.

Coroll. Hæ propositiones demonstrant causam conservatricem universi esse debere extra omnia corpora.

Scholion. Veteres natura *φύσει*, hos motus & fieri, & ne cessent, refici existimabant. Sed quid hæc esset *natura* nec in eo fuere concordes, & plerique etiam quum dicerent ignoraverunt. Pythagoras ac Stoici Deum ac naturam ejusdem rei esse vocabula videntur existimasse. Seneca de *benef. lib.* IV. *cap.* 8. *Naturam voces fatum, fortunam: omnia ejusdem Dei nomina sunt varie utentis sua potesta-*

te. Plato animam mundo dedit, qua informaretur, eaque fierent, quæ in eo continenter fiunt. Aristoteles animam Platonis sæpe deridet: sed non negat tamen naturam esse caussam effectricem, eamque totum permeare universum. Cudwortus in ea dissertatione, quæ est *de natura genitrice tom.* I. *sistematis intellectualis universi* hanc Platonicorum naturam & animam in scenam revocare studuit. Quum hæc *natura* arte, & consilio operetur, ut demonstratum est, necesse est, ut aut Deus sit, aut eæ virtutes, quæ a Deo mundo sunt injectæ, quasque ipse ita perpetuo servat, ut indidit, quod Cartesius censuit. Omni *modo*, corporea esse nequit causa, qua immediate hujusmodi *vires* recreantur. Ad incorpoream quum venerimus perinde est, seu dicas id a Deo immediate fieri, seu mediate, nempe eas causas perpetuo vegetas conservando, a quibus vires illæ reficiuntur. Peripatetici Mentes quasdam & Intelligentias cælestibus orbibus præfecerunt. Id *Aristotelis* magis auctoritate, quam ulla ratione dixere: *nec ego ulla* habeo argumenta, quibus rem tantam affirmare audeam. Sed qui animantia terrestria non ignorant esse animata, ii non dubitabunt potuisse id a Deo fieri, quod Philosophi illi factum non dubitant. Ecquis enim audeat dicere difficilius Deo fuisse Mentes cælis indere, quæ eas moles agitarent, quam eos viribus centralibus instruere? Quæ ego non dico quasi id mihi persuaserim; sed ut intelligamus eam opinionem minus esse absurdam, quam adolescentuli nostri Philosophi existimant.

Prop. CLXV. Corpora moveri possunt infinitis modis, sive ordinatis, sive perturbatis. Nam quum non ipsa sese moveant (prop. 149.), sed a causa externa, ipsa per se indifferentia sunt ad omnem motus directionem, omnemque intensitatem & velocitatem motus.

Prop. CLXVI. Primitivæ leges motuum corporum cælestium non ex natura corporea originem habent, sed ex finibus. I. Leges primitivæ sunt, quæ ita motus directionem, intensitatem, velocitatem figunt, ut ita perpetuo eant; quum autem corpora sint suapte natura indifferentia ad omnem directionem, intensitatem, velocitatem motus (prop. ant.) eæ regulæ a natura corporea proficisci nequeunt, sed totæ sunt a causa movente. II. Hi motus sunt compositi (patet ex gyro); ergo consumuntur. Recreantur ergo a causa externa. Neque vero alia ratio causam

mo-

moventem impellere potest ad eas leges constituendas, quam alias, nisi finis, & ordo.

Scholion. Hoc ipsum probari posset a posteriori, demonstraturque ab iis, qui fines rerum corporearum perscrutati sunt. Vide Derham, & Niewentitium.

Prop. CLXVII. Leges corporum physicæ demonstrant hanc rerum universitatem esse arte & consilio factam. Nam eæ demonstrant corpora esse ob fines suos sic potius, quam alio modo, mota, ac disposita (prop. ant.); quodcumque autem ob finem aliquem fit, quem constanter assequitur, arte & consilio fit.

Prop. CLXVIII. Vis centripeta corpusculorum, qua magna universi corpora coalescunt, non potest esse attractio centrorum magnorum orbium. Nam hæc centra nihil sunt aliud, nisi puncta indivisibilia, in quæ singula eorum corporum elementa undequaque gravitant: hæc autem indivisibilia puncta, quæ non re sunt, sed imaginatione, habere ne etiam quidquam activitatis possunt? Prima ex. g. elementa Telluris in Telluris centrum gravitant. Quid est autem hoc Telluris centrum, ut vi sua ea elementa ab extima aeris regione ad se trahat? Qui id affirmant, ii vim nihilo tribuunt, ac potius quæ cupiunt, quam quæ intelligunt, pronunciant. Sol, inquiunt, magnitudine sui corporis tanta vi esse potest præditus, ut sexdecim Planetas circum se rapiat. Demus id tantisper. Sed quoniam Sol corpus est compactum; nec id esse potest, nisi singula elementa quibus constat, ad Solis centrum gravitent (prop. 129.) nec vero ea centra quidquam sunt, nisi indivisibilia puncta; centrum ne etiam Solis vi tanta præditum erit, ut primum singula tanti corporis elementa ad se trahat: deinde ut eamdem vim ad Saturnum usque porrigat?

Prop. CLXIX. In hypothesi spatii immensi & æterni centra Planetarum & Stellarum non possunt esse anteriora directione elementorum eo tendentium. Nam quocumque modo hujusmodi elementa considerentur seu æterna, seu creata, quum in infinito spatio puncta sint infinita, quæ singula esse possunt centra magnæ alicujus eorum elementorum partis; necessarium est, ut primum concipiamus elementa vi quadam activa prædita, eaque in centrum aliquod directa, quam hoc centrum. Quare centra hujusmodi sunt seu tempore, seu origine directione elementorum posteriora.

Scho-

Scholion. Qua ex re iterum fit, ut ea vis non attrahens sit, sed propellens, seu interius propellat, seu exterius.

Prop. CLXX. Hæc vis nequit esse corpus aliquod fluidum cetera ad commune centrum apprimens.

Nam fluidum illud & ipsum centripetum esset: per se ipsum vero, an ab alio fluido actum? posterius qui dicit nullum hujusmodi fluidis multiplicandis finem faciet. Quod si primum verum est, quid causæ est, cur non cetera quoque elementa ipsa per se esse centripeta dicamus?

Prop. CLXXI. Non omnis materia mundana est actu centripeta. Nam lumen & ignis e Sole & Fixis quaquaversum velut e centro sphæræ in ambitum effunduntur: ergo actu centrifuga sunt. Tum subtilissimum æther elementaris, & ignis, quæ & in vacuo Boyleano sunt, nulla nec gravitate, nec levitate prædita sunt: id quod demonstrari potest ex eo, quod in eo vacuo corpora cujuscumque generis & figuræ æque velociter descendant; quod esse nequiret, si tenuia illa fluida gravitatem ullam haberent; quum constet ex canonibus mechanicis, corpora, quæ in fluido gravitante descendunt, descendere magis aut minus velociter in ratione gravitatis specificæ & figuræ.

Prop. CLXXII. Quod elementa materiæ non unum omnia, sed diversa centra, atque hæc potius, quam alia habeant, id vi causæ incorporeæ & consilio operantis fit. Nam hæc elementa non a centris attracta (prop. 168.) nec mechanice impulsa (prop. 170.), sed ipsa per se centripeta sunt. Quum autem infinita sint in immenso mundano spatio puncta, in quæ centripeta esse potuerint, aut in unum omnia, aut in alia diversa, quam in hæc, quæ habent; ut diversa haberent, atque hæc potius, quam alia, id esse debuit a causa, quæ sit extra omnia corpora. Porro quum ea centra ita disposita sint, ut artem & rationem manifesto præseferant; ea causa non solum extra omnia corpora est, sed arte ac consilio agit, idest incorporea est & intelligens.

Corol. Mundus factus est, atque arte & consilio Mentis intelligentissimæ, viresque centripetæ, ut centrifugæ, sunt vires ab eadem causa elementis omnibus insitæ, quæque agunt intrinsecus corpora, quibus indita sunt, pellendo, non extrinsece attrahendo. Constat ex propp. super.

CAP.

CAP. XIII.

De Fato ac Providentia.

Prop. CLXXIII. VIS, potentia, facultas aut substantia sunt, aut sunt attributa substantiæ, seu subjecti alicujus primi. Quocirca, data potentia, vi, facultate, exsistat ejus primum subjectum, ac *ουσια* necessum est.

Scholion. Axioma est clarissimum. Nam aut ipsa per se sunt, aut alteri subjecto insunt. Si primum, substantiæ sunt, quum ipsæ sint sui *υποκειμενον*, subjectum: si posterius, attributa sunt substantiæ alicujus. Quod autem ut notetur moneo, est, ne misceantur subjectum *potentiæ activæ*, seu facultatis, & subjectum actionis: possunt enim esse diversa. Exempli causa quum manu corpus aliquod *trudo*, corpus illud subjectum quidem est actionis, non autem vis motricis.

Prop. CLXXIV. Actio est aut attributum potentiæ, aut effectus; itaque ut potentia esse nequit sine substantia, cujus est potentia, ac proinde intrinsecus ab illa pendet; ita actio sine potentia, atque adeo sine substantia concipi non potest.

Prop. CLXXV. In iis entibus quibus hæc rerum universitas conflata est, neque actio, neque potentia proprie substantia dici posse videntur; quippe sunt substantiæ, seu subjecti alicujus aut attributa, aut effectus. At data actione, necesse est ut detur potentia, & subjectum hujus potentiæ: quandoquidem actio & potentia a substantia intrinsecus pendent, nec sine illa ullo modo esse possunt.

Prop. CLXXVI. Actionum duo distincta genera cognoscimus, motum localem, aut conatum ad motum, & cogitationem. Ea autem de re ad sensum Philosophorum communem appello.

Schol. Nihil hoc in loco moror Hobbium contendentem cogitationes, saltem nostras, esse actiones, & reactiones in sensibus, corde, cerebro excitatas, ac propterea omnes actiones ad unicum motum pertinere exsistimantem. Tam enim absurda & falsa est sententia isthæc, quam verum, nullam esse in natura corporea *actionem* sine æquali *reactione* (*a*), nul-

(*a*), nullumque in his omnibus actionibus & reactionibus cogitationis vestigium apparere. Cudworthus eam opinionem manifeste alioquin falsam, ac cum hominum conscientia pugnantem selectis argumentis confutavit. Ac quamquam dedecet Philosophi gravitatem ineptias omnes, & patentes absurdosque errores serio oppugnare: tamen ad hunc quoque laborem suscipiendum lascivientia ingenia nos cogunt, quibus in rebus Horatiani illius meminisse satius esset,

. . . . *Ridiculum acri*
Fortius ac melius magnas plerumque secat res.

Sane ipse Hobbius, dum suo illo systemate explicare conatus est & longam cogitationum atque ratiocinationum seriem, & multiplicem variamque memoriam, & reminiscendi libertatem, Gordiano se implicuit nodo, atque adeo perridicula & sese oppugnantia scripsit. Sed ea de re alibi.

At quod Cudworthus ipse in *dissertatione de natura genitrice* remis velisque, ut dicitur, oppositam huic sententiam promovere studuerit, esse nempe actiones tertii cujusdam generis, quæ nec cogitationes sint, nec motiones, id nec erat necessarium, nec Philosophis persuasit. Id fieri posse non ego tam ero audax ut negem: sed ut iis argumentis mihi satisfaciam, quæ ille magna diligentia conglomerat, equidem impetrare a me non possum. Ad opera naturæ appellat, plantarum scilicet structuram, & vegetationem; ad artificia brutorum; ad vim denique, & energiam, quam tota ubique crepat *dædala natura rerum*, ut Lucretius vocat. Generationem quoque corporis humani advocat, atque Harveum, magnum illum naturæ scrutatorem, in partes suas trahit. Nihil interea horum me movet. Nam omnes effectus *naturæ plasticæ*, ut vocat, motiones sunt, harmonicæ tamen, & quas constat constantes sequi leges. Animantium corpora, ut & plantarum semina, quæ omnia sunt organica, cui causæ proximæ debentur id inter Physicos est adhuc ignotum. Itaque velle ab anima mundi conrivare, ut possis tertii illius generis actiones constituere, est hypothesim hypothesi velle fulcire. Itaque, ne longius divagemur, ut sit id possibile, nihil dum certi ex naturæ phænomenis conficere licet.

Prop. CLXXVII. Exsistere debet substantia & principium

(a) *Demonstratum id a Newtono, Wolfio, Muschembroeckio, Gravesandio, aliisque. Itaque Newtonus id præstabilivit suis principiis* Lemmate 3. *lib.* 1.

pium aliquod activum ut cogitationum, ita motionum, quæ sunt in mundo.

D. Exsistunt motiones & cogitationes tanquam duo actionum genera (prop. 176.): quum autem actiones nec sint proprie substantiæ, & sine principio activo esse nequeant (prop. 173. & 174.): sequitur exsistere & harum actionum potentiam, seu vim activam, & hujus potentiæ substantiam, *suppositum*, subjectum activum.

Schol. Non est opus, ut iis respondeamus, qui progressum actionum in infinitum possent opponere: nam & stulti sunt, qui tam absurdam opinionem tuentur: & superius (prop. 25.) clarissime demonstravimus, seriem contingentium infinitam manifesto repugnare. Ajunt, æternitatem nullum habere initium, adeoque concipi posse instar lineæ infinitæ a parte ante. In ea linea concipiatur series entium, quorum quod antecedit urgeat quod sequatur, habebitur progressio in infinitum sine prima motus causa. Quin adduci quoque ad calculum posse spatium, unde ad nos ea actio pervenit, si per libera spatia pervenerit, eadem ratione, qua Newtonus (lib. II. Princ. Math. sect. 1. corollario prop. primæ) docet supputari posse spatium tempore infinito a parte post descriptum. Respondeo æternitatem esse infinitam, ac infinitam æternitatem nos præcessisse: sed æque esse manifestum æternitatem esse durationem entis æterni atque suapte natura exsistentis. Itaque in ea entium serie, quæ supponitur, est unum, æternum licet, unde totius motus est initium. Quod si nulla res est a tota æternitate per se & a se exsistens, ne æternitas quidem concipi potest ulla; quia non potest concipi duratio sine re, quæ durat. In Newtoni exemplo supponitur motus initium, ac *insita*, ut ille ait, *vi*: supponitur *totus motus*: inde per regulas calculi differentialis elicitur spatium, quod corpus illud infinito tempore describere potest. Itaque hoc exemplum nullam habet cum ea re, de qua agimus, rationem.

Prop. CLXXVIII. Si æterna substantia activa cogitans sit etiam principium immediatum *motionum* contingentium, motiones istæ ad ejus substantiæ essentiam non pertinebunt, idest ea illarum *suppositum* non erit.

D. Nempe ut contingentia, quæ sunt mutabilia (prop. 32.), ad essentiam entis æterni immutabilis (prop. 35.), pertinere nequeunt; ita nec contingentium motiones, & actiones.

Prop. CLXXIX. Vires motrices contingentium sunt a substantia æterna.

D. Contingentia sunt a substantia æterna (prop. 25.) eorum ergo & vires motrices ab eadem sint necesse est.

Schol. Quoniam igitur universum hoc constat entibus, quæ sunt contingentia (prop. 33.), sequitur ejus motiones, motionumque vires, quas habet, *idest naturam*, a substantia aliqua æterna & intelligente originem habere. Quocirca constat tria esse prima universi principia, Mentem, Materiam, & Vires activas, quorum primum æternum est, extrinsecum, & activum; duo postrema intrinseca & talia, ut materia iners sit & passivum, vires vero *activum*. Atque hac in re Gentiles ferme omnes Philosophos, si Democriticos excipias, consentire, prolixe demonstrare possemus, nisi id supervacaneum esset.

Prop. CLXXX. Vires substantiarum contingentium a substantia æterna conservantur, eaque *conservatio est perpetua creatio*. Nam ratio conservationis *eadem est atque* ratio exsistentiæ; ita fit ut quæ entia non habent in seipsis rationem suæ exsistentiæ, ne rationem quidem suæ conservationis ipsa in se habere possint. Quum autem vires substantiarum contingentium sint a primo ente (prop. sup.) ab eodem conservantur, atque eadem actione, qua primum inditæ sunt.

Prop. CLXXXI. Actiones substantiarum contingentium a duplici activo principio immediate pendent, ab insitis nempe viribus, & a vi primæ causæ.

D. Hujusmodi actiones immediate proficiscuntur a viribus earum substantiarum, quas actio primæ causæ continuata creatione conservat (prop. 148. & 163.) est autem continuata hæc creatio perennis actio, quæ virtute creatarum substantiarum individua comitatur (ex prop. ant.); ergo ab utraque substantiarum contingentium actiones fieri necesse est.

Schol. Ita fit, reponet aliquis, ut nulla sit in substantiis contingentibus libertas. Respondeo, actionem primæ causæ conservare, non corrumpere virtutem inditam causæ secundæ, quod ita ordo universi requirat. Itaque cui causæ secundæ vis electrix tributa est, conservatione primæ electrix servatur. Quare actio primæ causæ tam est in natura ac respectu naturæ multiplex, quam actiones hujusmodi rerum, quibus mundus constat, ut scilicet motio

sit

fit in corporibus, cogitatio aut electio in mentibus: ac in corporibus alibi vis centralis, alibi elasticitas, alibi vis ignis, alibi luminis, alibi vegetatrix, &c. Scilicet actio conservationis nequit esse naturæ diversæ ab ea actione, qua illa conservatur (a).

Prop. CLXXXII. Ordinatio actionum substantiarum contingentium est a causa prima. D. Ordinatio & harmonia universi perficitur secundum reales substantiarum contingentium relationes: est autem universi ordo a causa prima, primum quidem idealiter (prop. 51.) deinde extra ideas in rerum natura (prop. 172.); ab eadem igitur est ordinatio actionum. Enim vero nisi ita sit, ne hic mundus quidem ab illa præpotente causa factus est: nam hic mundus non entitate tantum creatarum rerum constat, sed ordine maxime.

Prop. CLXXXIII. Hæc ordinatio finem aliquem spectat, eumque præcellentissimum & optimum.

D. 1. Hæc ordinatio a causa æterna est (prop. sup.) nec emanatione, sed voluntate (prop. 63.); ergo ob rationem aliquam; quandoquidem ne concipi quidem potest voluntas sine ratione cur velit. Ratio autem voluntatem permovens est finis (def. 63.); finem igitur aliquem spectat hæc ordinatio (b).

D. 2. pars. Hic finis est ratio entis infinite perfecti (prop. 182.) sibique ad beatitudinem sufficientissimi (prop. 122.) & optimi non modo absolute, sed relative quoque (prop. 123.), ergo dignus esse debet tanto ente ac tanto bono: nec vero esset, nisi præcellentissimus esset & optimus.

Schol. Quum in hoc universo sint substantiæ, quæ possunt ab eo ordine deflectere, ac sæpe deflectant; videtur confici non omnia eum finem, de quo in hac propositione dictum est, recta spectare, nec idcirco ad eum esse ordinata. Respondeo in his flexionibus ab illo fine duo esse in primis distinguenda *vim ipsam deflectentem*, & ipsam *deflexionem*. Vis illa numquam a fine deflectit, etiam quum deflexio extra illum finem evagatur. Nam ejus vis finis est *bonorum summum*: id autem bonum etiam tum spectat, quum ab illo deflectit. Nullæ igitur universi vires non

(a) *Vide S. Th. in lib... Contra Gentes.*
(b) *Vide Newtonum in Scholio generali Princ. Math.*

non eum perpetuo finem sequuntur, ad quem sunt ordinatæ. Sed singulares earum virium actiones extra illud filum, quod ad summum bonum ducit, prosiliunt sæpe. Interim ne eæ evagentur sine ordine, necesse est & earum esse finem aliquem, non quem antecedente & absoluta voluntate prima rerum causa constituerit, sed qui ex earum aberratione necessario nascitur, quemque eæ postremo attingunt, non repugnante prima causa. Quare autem non repugnet, eam summi hujusmodi rerum magistri rationem afferunt, quod id ordo totius universi, ac æternæ veritatis & legis requirat. Nihil enim Deum nec præter eam legem, nec adversus efficere unquam posse ajunt (*a*): quia nequit non esse ea sapientia & immutabilitate præditus, qua est. Est hoc per se manifestum; ut si cui non plene satisfaciat, eum necesse est aut ab omni esse humana ratione extorrem, aut ea esse ratione præditum, quæ secum belligeret. Hujusmodi vero hominibus si quis harum rerum rationem reddere studet, is vult cum ratione insanire. Sed & illud constituamus necesse est, cum iis veritatibus, quæ aut Deum, aut universi naturam, & ordinem spectant, sæpe conjungi theoremata, quorum rationes longe eum humani intellectus ambitum prætergrediuntur, in quo versamur. Quod qui inique ferunt, ii suæ conditioni subirascuntur.

Prop. CLXXXIV. Substantia æterna nulla *necessitate naturæ* determinari potuit ad creationem, conservationem, ac ordinationem hujus universi.

D. Si enim *necessitate naturæ* mundus a substantia illa pendet, id certe est aut quia a substantia illa per essentialem emanationem fluit, aut quia ad ejus essentiam spectat, seu est ejus attributum essentiale; aut quia sine ea actione plene perfecta & beata esse non potuit. Primum esse nequit; (prop. 33.). Alterum vero nec esse potest: quandoquidem contingentia ad essentiam substantiæ æternæ pertinere nequeunt (prop. 35. & 122.); nec postremum, quando constat ipsam per se optimam esse & beatissimam (propos. 122.)

Scholion. Erat hæc ut præcipua Aristotelis doctrina Scholasticis non ignota (*b*), ita pars una propositionis

XVI.

(a) *S. Th. C. Gen.* (b) *S. Th., Scotus, Suarez, Fabri, Cremoninus, Berigardus, Pererius agnoscunt ex Aristotelis Systemate, Deum necessitate naturæ extra se agere.*

XVI. partis primæ Ethicæ Spinozæ, eaque systematis Spinozistici præcipuum fundamentum, ut alias est a nobis adnotatum. Interim sunt qui nobis ita fortassis opponent. Substantia æterna intelligens est immutabilis (prop. 27.); ejus igitur intellectio unica est, & tota simul; quinimo quum sit ens simplicissimum (prop. 31.), tota actio intelligentiæ substantia est, & substantia intellectio. Est præterea infinita (prop. 29.); ergo omnia possibilia complectitur ita, ut possibilium essentiæ huic intelligentiæ debeantur (prop. 50.), possibilium autem exsistentia debeatur voluntati (*61.*): quum autem voluntas sit æque æterna, est non minus substantiæ huic necessaria, quam intelligentia, ita nempe ut quemadmodum nequit possibilia non intelligere, ita nequeat non velle: ergo ut ea necessitate naturæ intelligit, ita necessitate naturæ vult. Porro hæc voluntas est omnipotens; necesse igitur est, ut statim fiat quod vult: necessitate ergo naturæ Dei fiunt omnia. Atque huc redit argumentatio, quam ex Aristotelis principiis Peripatetici illi veteres Græci, & Arabes, ac Itali quoque, in primis Cæsar Cremoninus, & Pomponatius, adornare student. Eodem modo atque ratione disputat sæpe Spinoza.

Cui argumento ut respondeant quidam Philosophi varie se torquent, caputque, ut dicitur, scalpunt, & ungues arrodunt. Pars huc convertitur, non omnem Dei voluntatem esse efficacem: itaque, addunt, voluntas Dei, quæ spectat exsistentiam possibilium, non fuit ab æterno efficax. Quum igitur efficax evasit, possibilia extiterunt. Sed si quærat Cremoninus, an voluntas Dei æterna minime efficax sit determinata voluntas, quid Philosophi isti reponent? Nempe si sit, erit efficax; & quidem ab æterno efficax. Si non, ne voluntas quidem primi Entis dici potest; quum in eo ut nihil æternum, nihil non perfectissimum esse possit, ita nihil suspensum atque indeterminatum. Paullo igitur clarius hæc responsio est ex Theologorum doctrinis, præsertim S. Thomæ, explicanda. Quemadmodum primum objectum scientiæ Dei est ipsa Dei substantia, quæ *eminenter* continet infinitorum possibilium perfectiones; ita eadem substantia primum est & æternum amoris & voluntatis Dei objectum. Hujusmodi amor & voluntas non minus ex necessitate naturæ Dei fluit, quam scientia divina: hæc æterna est, absoluta, minime suspen-

sa, aut indifferens. Non autem eodem modo se habet eadem voluntas, quatenus respicit essentias & exsistentiam possibilium. Nam quum Deus sit in se perfectissimus, & beatissimus, nulla possibilium actione ita tangi potest, ut inde inflectatur necessario; quippe ex quorum exsistentia nihil ei nec perfectionis nec voluptatis ac felicitatis accedere potest, ac proinde nulla naturæ suæ necessitate, sed summa libertate ad possibilium exsistentiam volendum determinatur. Voluntas est appetitus; omnis autem appetitus proportionalis est quantitati ac intensitati ejus boni, quod appetitur. Quare quum possibilia omnia *quatenus sunt* possibilia nullam habeant rationem boni respectivi, *si cum* infinita atque absolutissima Dei natura comparentur, nequeunt ita ejus voluntatem movere, ut quasi vi aliqua pertrahant. Ergo voluntas hæc etsi æterna, atque idcirco immutabilis, liberrima tamen est, spectatque exsistentiam possibilium eo tempore, eoque ordine futurorum, quo tempore, & quo ordine futura libera voluit. *Potest hoc & a posterioribus*, ut inquiunt, confirmari: nisi enim ita se res haberet, sequeretur non tantum omnia necessitate naturæ a Deo fieri; sed etiam simul omnia, quæcumque potest & vult, fieri; quod nolunt nec Aristotelici, nec Spinozistæ, qui entium successionem non inficiantur (*a*). Nunc ergo quum sit series & successio entium, qua serie ac successione totum constat universum; apparet, voluntatem Dei, qua respicit rerum exsistentiam, & liberrimam esse, & tempora quædam ac ordinem spectare.

Non sum nescius esse quosdam, qui secundam hanc voluntatem non esse æternam opinantur: neque *enim*, inquiunt, quæcumque Deus cognoscit, hac voluntate ab æterno vult, alioquin Fatum Stoicum sequeretur, cui sane ipse esset Deus subjectus. Neque vero ulla eam ob rem Deo imperfectio adhæret, si his credendum. Quippe nihil substantiæ Dei accedit, ob novas has voluntates, seu determinationes naturæ divinæ, quibus rerum exsistentiam vult, dum ratio ipsa & sapientia stet immutabilis. Nempe voluntas hæc non est, ut putant, essentialis naturæ Dei (*b*). Quam nos doctrinam non possumus non vehementer aversari:

(a) *Vide Suarez Met. disp.* XXX. *Sect.* 16.

(b) *Crellius de Deo cap.* 21. *&* 22. *&* 23. *Philippus Limburgius in Theologia Christiana lib.* 1. *cap.* 2. §. 22.

fari: nam non unam eamque simplicissimam ac æternam Deo voluntatem tribuere, sed plures, alias aliis succedentes, ejus est, qui voluntatum divinarum motiva, item alia aliis succedere, nec proinde omnia esse æterna & simul, opinetur. Id quod quantopere naturæ divinæ adversetur, inde intelligitur, quod tota ratio, qua divina voluntas determinatur, una est Dei intelligentia & bonitas, quæ æterna sunt, ac eadem semper. Scio eosdem Socinianæ atque Arminianæ Familiæ Philosophos quorundam futurorum scientiam Deo ademisse, unde hoc alterum profectum est, & Dei voluntates non omnes esse æternas (*a*). Sed hoc absurdum item cum Dei natura pugnat; quod quum ex iis constat, quæ sunt dicta, tum ex iis, quæ in secunda horum elementorum parte demonstrabuntur.

Id nunc velut in transitu dicam, ea doctrina *casum* in naturam induci. Nam si sunt in universo entia, aut eorum modificationes, & combinationes, quæ supremus ille mundi opifex non æterna sua intelligentia fuerit ab æternitate ipsa complexus, ne præordinavit quidem illa; ita fit, ut nullæ eorum certæ series; itaque fortuito velut huc illuc rapiuntur. Atque hoc præterquam quod iis adversatur, quæ de universi systemate scimus, minus quoque consentit cum suprema Dei perfectione. Sic enim constituendum est, non posse illum esse & primum ac perfectissimum, atque omnis naturæ, quæ est, aut esse potest, supremam causam, si quidquam est, quod ab illo constitutum non sit & ordinatum, ac si quidquam extra illud ordinis filum prosiliat extorre, quod ille ab æternitate primum mente concepit, deinde explicuit, ac moderatur.

Prop. CLXXXV. Nullum est Fatum Spinozisticum.

D. Fatum Spinozisticum est infinita rerum series necessario ex Dei natura manans (def. 57.): res vero extra Deum nec ab essentia Dei emanant (prop. 63.), nec necessario, sed summa libertate fiunt (prop. 184.): ergo nulla est hujusmodi series infinita & necessaria, idest nullum est Fatum Spinozisticum.

Schol. Est hæc demonstratio synthetice conformata. At potest idem analytice ex ipsa hominis natura demonstrari. Etenim Spinoza ex emanatione illa & serie necessaria libertatem omnem & Deo, & hominibus detraxit: nos vero

(a) *Crellius de Deo cap.* XX.

ro ex nostri ipsorum libertate & Deo libertatem vindicare possumus, & Fatum illud validissime evertere. Nos nempe libertate cogitationum & operationum præditos esse, claro intimoque sensu sentimus: mentem præterea nostram prout lubitum fuerit, corpus movere, motumque repente cohibere, corporisque motibus omnibus varie uti posse. At negat Spinoza in potestate nostra esse corpore uti. Quasi vero Spinozæ potius, quam intimæ, & claræ conscientiæ credere debeamus. Enimvero non hoc quæro, quid Spinoza neget, affirmetque, sed quibus rationibus: nam Philosophus a Philosopho rationem quærere decet, non *ejus* auctoritate flecti velut ipsum rationis expertem. *Præjudicium* est, inquit, cujus idcirco detegere falsitatem nequimus, quod in eo ab infantia educati simus. Quasi quod ab infantia ita educati simus, ut oculis nostris cernamus, id adulti in dubium revocare debemus, ne plebs videamur. Sed qua tandem ratione præjudicii hujus falsitatem agnovit Spinoza? Nempe, inquit, voluntates *nostræ sunt determinationes mentis*, quæ necessario sequantur intellectum. Nihil, inquit, ullo modo determinare se potest (*a*) eorum, quæ sunt facta. Voluntas ergo ab intellectu, intellectus ab alia causa; & ita porro usque ad Deum, determinatur. Si hoc demonstrasset Spinoza, actum esset de libertate. At quum propositiones illæ suæ ruinosis fundamentis inhæreant, haberi pro demonstratis non possunt. Enimvero voluntates rationem aliquam sequuntur: animi conceptiones motiva sunt, quibus volumus, aut nolumus: sed non qua rationes nos permovent, sed qua boni vel mali notiones. Ergo ita permovent, ut velimus in *ratione* intensitatis hujus boni vel mali, quod notio exhibet. Quum infinita hujusmodi notionum nostrarum objecta exigua sæpe sint bona vel mala, quibus fieri nequeat summa ejus felicitatis, quam tota natura appetimus; eorum objectorum voluntates in nostra sunt potestate. An negatis, inquit, ordinem rerum? Non hercle. Ergo, inquit, serie quadam aguntur omnia, nihil se agit. Respondemus ordinem rerum & seriem ex rerum ipsarum essentiis fluere, essentiisque ipsis adaptari. Quamobrem res ratione & libertate destitutas rapit: ducitur vero ab iis, quæ ratione & libertate sunt præditæ, quæ ordinum peculiarium sunt principia & capita

(*a*) *Prop.* 26. 27. 28. *pag.* 2. *Eth.*

pita (a). Dicunt nempe ſingulæ mentes ſingulos ordines cogitationum, quibus partim ordo univerſalis aptatur, partim iſtæ ordini univerſali. Quæ res, quoniam prolixiorem orationem deſiderat, alias commodius explicabitur.

Naſcitur hoc in loco gravis illa in primis ac verſatiſſima in Schola lis, poſſint ne in univerſo ullæ eſſe cauſæ liberæ, ſi prima & æterna neceſſitate agat naturæ ſuæ? Ex Ariſtotelis philoſophia originem hæc habuit inter Peripateticos quæſtio. Nam Deum ex naturæ ſuæ neceſſitate agere id præcipuum eſt in Ariſtotelis doctrina, quod nobiliſſimi Ariſtotelis interpretes agnovere: ut ſi quando non ſibi conſentanee Ariſtoteles loqui videatur, quod probat plurimis Suarez (a), id in Encyclicis facit, ac cum vulgo loquitur (b). Negat Scotus, ejuſque cohors fere tota, quidquam eſſe poſſe in mundo liberi; ubi Deus ex neceſſitate agat, ac cenſet Ariſtotelem ſyſtemati ſuo contraria docuiſſe, dum homines liberos, Deum neceſſarium fecerit: *Cauſæ*, inquit, *ſecundæ non agunt*, *niſi a prima motæ*, *neceſſe ergo eſt illas neceſſario agere*, *ubi ex neceſſitate naturæ ſuæ prima agat moveatque* (c). In Scoti caſtra transfugas quoſdam Thomiſtas tranſiſſe adnotavit Suarez (d). Perſuaſum fuit idipſum & Petro Pomponatio, viro ut id ætatis barbaro, ſed ingenio acuto & perſpicaci, diſciplinæ tamen impatienti: in primo enim libro eorum, quos de Fato ſcripſit, accurate prorſus demonſtrat, nugas agere Alexandrum Aphrodiſeum, qui Ariſtotelem ab immiti illo & inevitabili rerum humanarum fato vindicare ſtudet. Nobiliores contra Thomiſtarum arbitrantur, nihil omnino prohibere, creaturas libere agere, etiam ubi Deus ex neceſſitate agat. Nam quamquam actiones omnes & a *prima cauſa* & a *ſecundis* una pendent; ubi tamen ſecun-

(a) *Met. diſp.* XXX. *ſect.* 16.

(b) *Vide Berigardum in circ. Piſ. part.* 2. *circ.* XX.

(c) *In* 1. *ſent. diſt.* 1. *q.* 1. (d) *Metaph. diſp.* XIX. *ſect.* III.

(1) *Præclare S. Thomas p. p. q.* 103. *Art.* 5. *ad* 2. ſecundum unam artem Dei gubernantis res diverſimode gubernantur, ſecundum earum diverſitatem. Quædam enim ſecundum ſuam naturam ſunt per ſe agentia, tanquam habentia dominium ſui actus: & iſta gubernantur *a Deo, non ſolum per hoc*, quod moventur ab ipſo Deo, in eis interius operante, ſed etiam per hoc, quod ab eo inducuntur ad bonum & retrahuntur a malo per præcepta & prohibitiones, præmia & pœnas: hoc autem modo non gubernantur a Deo creaturæ irrationales, quæ tantum aguntur, & non agunt.

cundæ ex earum naturæ constitutione sint liberæ, *prima necessitas* huic libertati, ut putant, nihil officit, quod nequeat non ei esse consentanea. Enim vero, pergunt, quum tota causarum secundarum libertas in duobus sit posita, I. ne earum *vis activa sit ad unum determinata objectum*, II. *nec ab objectis externis necessario trahatur*; utrumque censent consistere posse, etiam ubi prima ac universalis causa agat necessario. Finita est enim mentium humanarum vis, plurium objectorum conscia, nulli determinata necessario, a nullo necessario attracta; nisi generice ab eo bono, quod summum est. Itaque suapte natura libera est, ut necesse non sit ejus libertatem e primæ causæ libertate pendere. Hunc fere in modum philosophantur Thomas Cajetanus (*a*), F. Ferrariensis (*b*), ac Capreolus (*c*) scholæ hujus primipili, in eamque sententiam, ut fieri solet, S. quoque Thomam pertrahunt. An enim scholarum auctores renitantur, ubi sectatores pertinaciter contendunt? est ire necessum.

Me, quod attinet, pedarium plerumque judicem, in Scoti sententiam discedo. Moveor plurimum illius argumentis; moveor & Suarezii, qui, ut Scoti argumenta non probet, neque plurimi faciat, interim negat, esse nos posse liberos, aut saltem ullum libertatis habere posse usum, ubi Deus agat necessario (*d*). Effectrix creaturarum vis non potest non unum in modum esse determinata, ubi causa prima, quæ in omnibus immediate agit (id quod nec Philosophorum, nec Theologorum ullus negavit) necessario agat. Itaque primum illud, quod ad libertatem constituendam superius posuimus, quodque ipsi Scoti adversarii non inficiantur, necesse est ut in creatis causis desit, si necessario in omnibus operetur Deus. Sed rapit me sæpe longius, quam oportet, Schola. Itaque respectemus. Necesse est Deum libertate agere, quando constat & in factis a se rebus libertatem inesse: scilicet non agere quantum potest, ac totis suis viribus, quod agentium est necessariorum, sed quantum vult: velle vero quantum rerum a se constitutarum natura ac ordo exigit.

Prop. CLXXXVI. Quædam sunt animi actiones, quum in-

(a) *In p. p. q. 14. art. 3.*
(b) *I. contra Gentes cap. 67.* (c) *In 1. sent. dist. 38.*
(d) *Metaph. disp. XIX. sect. 3. num. 12.*

internæ *cogitationis* & *reminiscentiæ*, tum externæ motiones nempe corporis variæ, oculorum, linguæ, manuum, pedum, quæ ita in nostra sunt potestate, ut cur fiant, aut non fiant, causa *immediata* est nostra *electio* & *arbitrium liberum*, etsi causa, cur nostra libertas eas velle aut nolle possit, sint perceptiones, *boni* potissimum & *mali*, ratio, consilium.

Schol. Appello ad *sensum* non plebejorum modo, ne tantas res judicio imperitorum judicari quis opponat, sed Philosophorum maxime *communem*, quem qui erroris reprehendere non veretur, is vecors sit oportet (1). At enim, Actiones istæ a voluntate pendent. Pendent profecto. Sed, inquiunt, voluntates sunt determinationes mentis ab appetitibus promanantes. Non negamus: sunt enim modificationes appetitus rationalis. Itaque, inquiunt, ut perceptiones in nostra potestate non sunt, quandoquidem intellectus est *potentia necessaria*, ita nec appetitus, nec voluntates. Respondemus, primum quidem verum esse, vim ipsam percipiendi, & quasdam perceptiones, quæ in nobis excitantur, factis aut excitatis in nobis impressionibus aliquot, non esse in potestate nostra; at esse juris nostri de his potius, quam de illis semel perceptis cogitare, aut harum potius, quam aliarum reminisci: præterea infinita libere comminisci. Deinde quamquam voluntates sunt appetitus determinationes, non idcirco sequitur esse necessarias: quia & ipsi appetitus, & ejus appetitus modificationes, si solam felicitatis ἁπλῶς appetitionem excipias, quæ suapte natura necessaria est, libero arbitrio subsunt, ut ex conscientia scimus. Quod quum isti assumunt, etiam super bonis quæ finita vi in nos agunt, quodque voluntatem natura

(1) Libertatem humanam ex intimis naturæ nostræ experimentis paucis quidem, sed perspicue demonstravit Ashley Syches in *examen des fondemens & de la connexion de la Religion naturelle & de la revelée chap.* 3. Nam esse in natura nostra vim quamdam activam, quæ ex intimis animi persuasionibus modificetur, ac determinetur, id omnibus esse exploratum debet. Porro *ea activa vis*, *vis electiva*, non est natura ipsa ad unum determinata; quandoquidem experimur perpetuo homines omnes educatione, exercitio ac studio, usu vitæ, conversatione variis imbui habitibus, veteres plerumque delere, excipere novos, ac hujusmodi vitæ varietatem & inconstantiam ad mortem usque retinere constantissime; id quod inesse in iis nequit, quæ a natura ipsa unum in modum ac necessario sunt inflexa. Ergo suapte natura indifferens est hæc vis: ea a ratione regitur, ac sese inde modificat. Hoc autem est quod libertatem in homine dicimus.

ſua infiniti avidam ineluctabiliter nequeant commovere, *petunt*, ut inquiunt Scholæ, *principium*: id enim eſt, de quo contendimus. Jam vero voluntates non eſſe neceſſarias perceptionum determinationes, inde manifeſto patet, quod plura quidem percipimus, quæ nullo modo volumus, etſi ſentiamus in nobis libertatem volendi. Quinimmo plura non percipimus modo, ſed etiam amamus & deſideramus, nec tamen volumus, veluti æger mentis & rationis compos aquam gelidam deſiderabit, nec tamen volet, ſi vetat medicus, etiamſi in manu habeat. Quo certo interno experimento probat Lockius, *deſiderium* non idem eſſe cum *voluntate*, quemadmodum vulgo putant (*a*). Saltem, inquiunt, ex perceptionibus boni vel mali appetitus neceſſario naſcuntur. Reſpondemus, quum nobis ingenitum ſit boni deſiderium, mali horror, eaque ſit lex quædam naturalis, qua ad beatitudinem agitamur; ſequitur, ad cujuſcumque boni præſentiam in nobis amorem, deſiderium, *voluptatem* excitari, ad præſentiam vero mali horrorem, *odium*, *dolorem*. At quoniam voluntates non ſunt ipſum boni deſiderium, aut mali horror, ſed modificationes hujus appetitus, eæ ſuper iis bonis, quæ vi finita in nos agunt, in poteſtate mentis eſſe poſſunt, etiamſi primi deſiderii motus non ſit. Atque hæc adeo ex intima noſtri conſcientia ſunt manifeſta, ut qui iis adverſantur omnem veritatis characterem evertant neceſſe eſt. Nam ſine ea quidem, quæ in ſe homines vivide, clare, & diſtincte ſentiunt, etiam poſt accuratas meditationes, vera ſunt, ſed vulgaria ſunt præjudicia, ut cum Stoicis objicit Spinoza (*b*), jam venimus ad ſummum,

. . . . . *Non eſt quod multa loquamur.*
Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.
Hor.

Ego quod ad me attinet, miror, majores noſtros in re non dubia argumenta adhibuiſſe non neceſſaria (1), & argu-

(a) *Lib.2.de intell.hom.cap.22.* (b) *In Append.ad par.1.Eth.*

(1) Inter Italiæ Philoſophos ex inſtituto ac copioſe totam hanc rem pertractavit Petrus Pomponatius in libris quatuor *de Fato*, *libero arbitrio & prædeſtinatione*. Sed reſecat omnia nimis quam par eſt ad vivum. Ac libro quidem primo *cum Ariſtoteleo Fato* rem habet: altero vero Stoicorum in primis Fatum iſtud perpendit vexatque: duobus poſtremis iiſdem de rebus *ſecundum traditionem Evangelicam* diſputat. Interim ita omnia miſcet, proculcat, format iterum, ac quaſi in ſcenam revocat, ut id conſilii ſuſcepiſſe videri poſſit, non

gumentis minime necessariis libertatem humanam in dubium revocasse. Quatuor enim hæc, 1. vim nobis inesse activam, 2. eamque esse ac plura objecta indifferentem, adeoque suapte natura minime ad *unum determinatam*, 3. ab objectis externis finitæ entitatis & bonitatis, inter quæ versamur, quibuscumque relationes habemus, non posse absoluta necessitate rapi, 4. ab intellectu determinari, non vim ab illo ac activitatem accipiendo, sed directionem; ea quisque intimitus persentiscit. In his vero tota hominis libertas posita est.

Prop. CLXXXVII. Nullum est Fatum Stoicum.

D. Fatum Stoicum est series & ordo causarum, quarum altera ab altera determinatur, cujus seriei Deus est caput, qui *Fata semel scripsit*, *semper sequitur*, ac *necessario* scripsit, *necessario* sequitur (def. 56.): Si autem Fatum hoc exsistit, nihil est in nostra potestate, nihil in potestate

ut Fatum everteret, sed ut constabiliret, homo acutus, eloquentiæ barbaræ, ambiguæ fidei. Quamquam quid ego Pomponatium commemoro? Nullus locus est in humanis disciplinis, de quo pluries, ac copiosius, non docti tantum, sed indocti scripserunt. Tribus olim libris Augustinus vir omnium veterum perspicacissimus, ac in obstrusissimis quæstionibus versandis instructissimus, subtiliter de libero arbitrio disputavit, duobus de ordine, ut constaret, & nihil esse in natura fortuitum, ac extra ordinem, ne vitia quidem & peccata, & in hoc rerum omnium ordine ita innexas esse voluntates nostras, ut tamen liberæ sint & sui juris. Alexander Aphrodiseus magno & acumine & doctrina eamdem, ut dicitur, Spartam adornandam suscepit in libro illo vulgatissimo *de Fato*; ita tamen, ut dum a Fato Aristotelem vindicare vult, nec cum Aristotele, nec secum consentiat, id, quod jure ei objicit Pomponatius. Cui non dictus Hilas? Theologorum mox Peripateticorum nemo unus non ejus provinciæ sibi triumphum ambivit. Nova hinc excitata philosophia, in Gallia, & Anglia veteres recantatæ sunt cicatrices. Fuere qui Fatum aperte tuerentur, Hobbesiani, Spinozistæ, Tolandistæ, quibus viri doctissimi plures, ac mascule restiterunt.

Nec inter Philosophos modo, sed & inter Theologos par lucta. Stoicis accedere videbantur veteres Pharisæi; Epicureis Saducæi. Eæ contentiones renovatæ identidem. Pelagiani nonnihil habebant Epicureismi: Stoicismi Prædestinatiani, quicumque tandem illi fuerint; neque enim id ago. Jam Calviniani puri putique Stoici: Epicureis affines Sociniani, eorumque nepotes Arminiani. Fatistas adortus est nuper vir nobis amicus Thomas Moniglia, idque magna & Elegantia & doctrina. Sed illud tot disputationibus factum est, ut si quis tam sit firmo pectore, ut in hæc dumeta ingredi valeat, ac pervadere omnia, clamare possit, fecistis probe: incertior sum, quam ante hac. Itaque mittamus tandem quæstiones. Quum constet & nihil esse posse in mundo fortuitum, & nos imperium in actiones nostras plerasque habere, fateamur potius cetera mentis nostræ captum superare: nec improbum sine exitu laborem suscipiamus, eaque libidine differendi nobis intexamus retia, quæ deinde retexere nequeamus.

state primæ causæ, uti supra demonstratum est: sunt vero quædam in nostra potestate (prop. sup.): omnia in potestate primæ causæ (prop. sup.). Fatum ergo Stoicorum nullum est.

Scholion. Potuit hoc Fatum, quippe quod multa habet cum Spinozistico communia, per propositionem sup. everti. Nam quum ut Dei natura, ita Dei voluntas nulla nec exteriori (prop. 25.), nec interiori necessitate (prop. 184) rapiatur ad Mundi procreationem ac conservationem; nec a Dei natura exsistit series illa necessaria, quod est Spinozæ Fatum; nec a Dei voluntate, quod est Fatum *Stoicum*; sed necessitate tantum, quæ *convenientiæ*, & *moralis*, aut *ex suppositione* dicitur, rerum ordo & est, & quo destinatur pergit. Quo fit, ut & Deo sua constet semper & integra libertas, & creaturis rationalibus relinquatur. Sed quoniam plerisque placet hæc duo Fata distinguere, quæ certe nonnulla habent diversa, operæ pretium fuit, post illam quæ est *a priori*, ut inquiunt, *hanc*, *quæ est a posterioribus*, demonstrationem addere.

Jam Fatum hoc ex Stoicorum doctrina sic exprimit Seneca (*a*), *Ita hæc servant cursum suum irrevocabilem, ex destinato fluunt. Et quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens præcipitat: Sic ordine rerum Fati æterna series rotat, cujus hæc prima lex, STARE DECRETO*. Quæ quamquam hypotheticam necessitatem dicere velint; tamen ex ceteris Stoicorum decretis, quæ eodem spectant, necessitatem absolutam continent. Et Seneca Trag. in Oedipo (*b*).

Fatis agimur: cedite Fatis.
Non solicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto,
Servatque sua decreta colus
Lachesis . . . .
Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.

Atque hæc quoque ut absolutam in rebus necessitatem significant, ita nihil de absoluta necessitate Primi rerum opificis, sed de hypothetica tantum, & *decentiæ* monent.

Sed

(a) *Qq. Nat. lib.* 2. *cap.* 53. (b) Act. 5. v. 980.

Sed mirum est, potuisse Stoicos cum hac Fati immutabilitate πρόνοιαν illam jungere, docereque mundum non ex æterno factum, quemadmodum patet ex lib. 2. Ciceronis de Nat. Deorum, ubi Balbus ille Stoicus egregie de Deorum providentia disputat. Quæ me sæpe adducunt, ut suspicer, Stoicos id Fati genus in Deo prædicare, quæ necessitas *justitiæ* & *convenientiæ* a Theologis nostris dicitur. Sed non audeo tamen in ea quæstione, quæ inter viros doctissimos, & veteris Philosophiæ callentissimos diu ac sæpe disputata est, quidquam decernere. Interim sunt qui ita nobis sese opponunt Christiani Theologi & Fatum docent, & providentiam. Quonam, inquam, modo? Nempe, inquiunt, statuunt mundum hunc esse mundi *intelligibilis* & æterni quasi effigiem, eumdemque ordinem atque cursum tenere, quo *intelligibilis* ille continetur. Ex quo fit, pergunt, ut non magis sit in hoc aliquid mutabilis, quam in illo. Argumentum est haud dubie, quod veterum plurimis crucem fixit, in primis Tullio (*a*), qui ne Fatum admitteret, futurorum liberorum negavit ullam habere Deum anticipatam cognitionem. Inde quoque factum est, ut Sociniani Theologi, quamquam tribuerunt Deo præscientiam earum rerum, quæ suis *decretis*, idest sua voluntate, futura statuit, negaverint tamen ei earum rerum præscientiam, quæ a libera hominis voluntate pendent, velut rerum minime natura scibilium, & cum Cicerone senserint. Nam, inquiunt, quum mentes humanæ sint actionum suarum & voluntatum libera principia, sese determinant; quum vero incertum sit, quam in partem se determinent, Deo id notum esse nequit. Jam vero si quis asserat mentes non se ipsas determinare, sed determinari a Deo, tum profecto, addunt, de libertate nostra actum est. Nec enim Spinoza & Stoici aliud contendunt, nisi hoc ipsum, nullam esse rem & causam factam, quæ ab alia non determinetur. Itaque res eo adducitur, ut aut libertas, aut Dei his de rebus præscientia sit neganda. Nos qua ratione hunc nodum solverimus, vide Scholion prop... & ... Nempe I. Fatum vocant Theologi nostri inhærentem rebus dispositionem, quæ æterna Dei & immutabili providentia constituta est, ac ita pergit, ut semel constituta est. II. Nihil esse in rerum natura quod non actio-

(a) *Lib. 2. de Divinat.*

actione divinæ providentiæ vigeat agatque: sed hanc actionem pro diversa rerum creatarum natura esse diversam, nec earum rerum naturas pervertere, sed continere, conservare, moderari. III. Quidquam eorum, quæ ad mundum pertinent ignorare summum illum rerum Artificem pugnare cum ejus natura, quæ nullis limitibus circumscribitur ac cum natura hujus rerum universitatis, quæ tota quanta quanta est ab illo est. Hoc in loco unum addo; quod nefarii homines sæpe nos repetere cogunt, non idcirco rei alicujus exsistentiam pernegandam esse, quod ejus naturam, aut cum alia relationem, non satis clare intelligimus, nisi ab eo, qui mentem suam *veri & falsi* mensuram ponat. Quoniam ergo constat, & nos libertate uti, & Deum esse omnium futurorum præscium, etiamsi hæc duo nectere & conciliare inter se nequeam, non recte tamen alterutrum negabo, nisi sanioribus deridiculus esse velim.

Prop. CLXXXVIII. Quæ res nos circum*dant nequeunt* animos nostros permovere, nisi injectis boni aut mali speciebus.

D. Quæ animum nostrum permovent, appetitu, aut aversione movent: itaque quæ nullum in nobis nec appetitum, nec aversionem ingenerant, ea nullo modo animos nostros tangunt. Jam nec appetitus ingenerari in nobis potest, nec aversio ulla, nisi boni aut mali alicujus, quæ nos spectet, apprensione; nam ut ignoti, ita noti, sed nihil ad nos pertinentibus, nulla esse potest cupido; quæ igitur nos circumdant animos nostros non commovent, nisi boni aut mali specie.

Scholion. Possis inde hujus propositionis veritatem pernoscere, quod nec bona nec mala ulla quantumvis magna, nisi cognita, nos commoveant unquam. Si quis serpem habeat in manica, nisi sentiat, tam expavescit, quam qui nihil: nec quis ullo lætitiæ sensu tangitur ob eum thesaurum, quem habet quidem domi, sed occultum. Nihil ergo eorum quæ nos circumdant commovet, nisi injecta animo boni aut mali specie. Ergo nihil agitat, nisi & cognitum, & ad nos collatum, boni aut mali rationem aliquam habere deprehendatur.

Coroll. I. Res igitur, quibus circumdamur, nos eatenus permovent, quatenus bonæ, vel malæ apprehenduntur: *seu inde* natæ commotiones sunt in ratione boni vel mali

appre-

apprehensi. Hinc est, ut quæ velut magna bona aut mala concipiuntur, vehementissime nos sollicitent; minus, quæ minorem bonitatem vel malitiam præseferunt: nihil quæ nullam.

Coroll. II. Corpora nequeunt in animos humanos immediate agere vi corporea, sed morali tantum. Nihil enim agit in animum, nisi injectis illi boni vel mali speciebus; non igitur vi corporea, sed morali.

Prop. CLXXXIX. Fatum Astronomicum stultum est ac fatuum.

D. Astra animos humanos aut *vi corporea* rapiunt, aut *vi morali*. Corporea nequeunt (coroll. 2. prop. sup.) morali autem permovent in ratione boni vel mali apprehensi (coroll. 1. ibid.). Quum autem hominum nemo nisi stultus ac fatuus illa velut summum bonum aut malum sibi repræsentare possit, ea nequeunt infinita vi rapere. Nullam igitur vim animis nostris inferre possunt, nisi stulti & fatui sumus. Est autem Fatum Astronomicum hæc ab illis astris illata nobis vis; Fatum igitur Astronomicum fatuum est ac stultum.

Scholion. Vetustissima Gentium ferme omnium fuit hæc persuasio, hominum ingenia astrorum influxu fingi ac stellarum vi res sublunares inexorabili fato regi. Quin sunt hodieque in eadem opinione non barbaræ solum nationes, sed ipsæ in primis quæ aliquo vitæ cultu ac literis florent, Turcæ, Persæ, Indi, Sinenses. Sed ne nos quidem a stupida hac persuasione omnino descivimus: sunt quinimmo inter nos multi, qui inde etiamnum bonam sibi aut adversam fortunam augurantur; ac inde sibi stulte aut blandiuntur, aut timent. Eam alent de circo Astrologi: nempe quo sibi & crumenæ suæ consulant. *Chardinus* in itinerario Persico, ac *Bernerius* in Indico testantur nihil in illis gentibus nec magni, nec parvi momenti agendo suscipi, nisi Astrologo consulto; qui si renuerit, nemo efficiet ut se nimirum vel latum unguem commoveant: fitque sæpe, ut eam ob ingenii stupiditatem non privatæ modo, sed publicæ quoque utilitates deserantur. Qua re quid esse potest amentius? Animadvertamus autem & in eodem cœno provolutam tribus ab hinc sæculis Europam ferme totam. Quod hac ætate nostra sublimius inde emerserimus, Philosophiæ & literis proculdubio debemus. Ne cometæ quidem eum in nobis panicum timorem excitant, quo illi

per-

... quid sibi hæc nova & rara sidera vel- ... Scilicet postquam personæ illæ tragicæ ... *sphæræ solidæ, astrorum intelligentiæ, si-* ... *domicilia*, quæ veteres cælestium rerum pi- ... produxerant, ac philosophico pallio ... exuere, ac cæli natura, astrorum leges nobis ... cometæ vero non meteora, sed planetæ, ejus- ... ac Luna, Venus, ceterique, evaserunt, vel ... specula exclamavimus, *O quanta species cer-* ... *habet!* Inde enim primum natum Fatum hoc ... perspecte observat Mosshemius ad Cudworthum ... 1. §. 2. adn. 2. *Certum est*, inquit, *antiquissimis* ... *fuisse populis, dæmones sive Deos inesse in si-* ... *ribus, qui cursus eorum moderentur ac dirigant. Pytha-* ... *ætate hæc sententia ex solis fortasse orientis re-gionibus ad Italos pervenerat. In his enim, quod Jamblicus memoriæ prodidit, quidam erant, qui Pythagoram ex illis esse censebant dæmonibus, qui lunam incolunt* (In vita Pythagoræ cap. VI.). *Iidem vetustissimi populi Deos res humanas curare nil dubitabant. Junge hæc duo*, Dii rebus humanis provident: &, astra sedes sunt Deorum, *nec quæres, arbitror, amplius, unde ad insanam hanc opinionem antiquissimæ gentes delapsæ sint, astrorum lege ac virtute, quæ fiunt, universa fieri.* Sed ut hæc in vulgi animis ita se habuerint, non equidem dubitaverim. Longe tamen aliter existimabant Philosophi: ii enim non hos dæmones pertimescebant, quum plures riderent potius; sed contendebant tamen nihil heic inter nos agi, quod non fatali cæli circumrotatione efficeretur. Præclare hoc *Fatum philosophicum Astronomicum* depinxit S. Gregorius Nyssenus, in eo dialogo, quod est de Fato (*a*).

Habet igitur hæc de *Fato Astronomico*, seu *Mathematico*, duplicem considerationem: nam quæri potest, *influant, necne, astra in res humanas, & quatenus*: tum, *signa ne saltem sint eorum eventuum, quæ aut privatis hominibus, aut integris sæpe gentibus accidunt.* Fuere qui dicerent, ea influere, ac ita, ut nullam in nobis electionem ac libertatem relinquant. Credo ego id perditissimos homines aut excogitasse primum, aut acuisse, quo, ut inquit ille, author scelerum honestior esset. Est enim hominum genus natu-

(a) *Tom. II.* περὶ εἱμαρμένης.

natura ipsa in hoc proclive, ut quo ne se reum faciat, in alios errorum, vitiorum, omniumque malorum facinorum jactet culpam. Sed quando constat, nulla corporum vi animum necessario & immediate permoveri, videant quam recte sibi consulunt qui scelerum suorum in stellas & genituras culpam conferunt. Sed est hæc res adeo & per se manifesta, & plurimis hominum sapientum libris confutata, ut sit operam perditurus, qui copiosius velit refellere.

At hoc non item est ita, ut prius illud, manifestum, & non vacat magnorum virorum approbatione, astra nempe, si non immediate, ut inquiunt, saltem mediate, in animos humanos agant. Quo modo quidem & causam Astrologorum agunt, & plures veteres historias calculo suo probant, quas facilius ac sapientius inter fabellas retulissent. Ajunt igitur astra ita demum nos sæpe agere, quod vi corporea agant in hominum corpora, ac in iis sidereas progignunt propensiones, a quibus animi nostri non raro rapiantur. Nam concupiscibili & irascibili appetitu ii tantum recte utuntur, qui sapientes sunt; qui quam pauci sint in hominibus Diogenis factum demonstrat, qui olim in celebri urbe Minervæ domicilio, hominem interdiu accensa face quæritabat. Ita fit, ut quum Astrologi in naturis ac virtutibus siderum periti hujusmodi propensiones atque appetitus pernoscant, ii, saltem generatim, futuram hominis fortunam prædicere possint (*a*).

Hæc opinio habet in Aristotelica Astronomia præsidium: habet in Metaphysica. Nam & sublunares motus ab astris pendere sæpe Aristoteles ac veteres Aristotelei prædicant: & a superioribus intelligentiis in inferiores species demitti Peripateticæ Metaphysicæ constans decretum est. Simplicius comment. in Epictetum (*b*) videtur hæc inter se componere voluisse, & animorum humanorum libertatem, & judiciariæ Astrologiæ certitudinem. Negat is quidem sidera imperium habere ullum in animos humanos: sed scribit humana corpora animabus, a quibus informari debent, apta atque convenientia progigni. Nam quum non omnes animæ ejusdem sint indolis, ne corpora quidem omnia ejusdem esse decet naturæ, sed singula suis animabus aptari oportet. Fuerat hæc Platonis doctrina. Sunt porro corpora

(a) *Vide S. Th. 1. p. q. 119.*
(b) *Simplic. comm. in Epict. cap. 1.*

pora animarum instrumenta; ergo ex iis conjecturam facere possumus de animarum ingenio, in quarum sunt potestate. Jam corpora omnia cælestium rerum virtuti subjecta sunt; iis igitur humana corpora obediant necesse est. Ita fit, ut in eamdem indolem conspirare debeant cælum, corpora nostra, animi. Ergo quicumque fuerit cælestium virium peritus, is & corporum humanorum naturam, atque hinc informantium animorum indolem cognoscere potest. Agnoscit quidem astra in hominum animos nihil posse? sed quando eorum ingenium cum natura corporum conspirare debet, atque hæc cum astrorum natura; fit, ut ex astris conjici animorum indoles possit.

Jam vero ab Intelligentiis superioribus in inferiores mentes species seu ideas defluere obscurum quidem Aristotelis decretum est: sed constantissimum in Arabum, atque Peripateticorum juniorum schola. Id sæpe memorat S. Thomas. Intelligentiæ vero astris ab Aristotele præpositæ iis aptatæ esse debent. Itaque si mentes humanæ inde species suas hauriunt, eadem & cogitandi, & appetendi, & agendi naturam contrahant necesse est. Quæ si vera sunt, cui mirum esse potest, si ii, qui astrorum naturam pernoscunt, & in animis humanis cognoscendis periti sint? Hæc illi.

Altera quæstio est, sint ne corpora cælestia futurorum eventuum signa? Signa autem dico natura ipsa constituta, nec eorum effectuum, qui ex iis naturaliter proficiscuntur, sed qui cum ex aliis causis nascantur sæpe, fortuiti vulgo dici haberique solent. Nam perridiculum esset disputare sit ne Sol caloris aut luminis signum: aut eclypsis Lunæ sit ne signum eam per umbram Telluris pervadere. Itaque eorum effectuum dico, qui fortuiti eventus dici solent, veluti pestis, belli, siccitatis, caritatis annonæ, terræmotus, &c. Et hoc magna consensione veteres constituere, non vulgus modo naturalium rerum imperitum; sed imprimis nobilissimi Historici, ac Politici. Græcos & Latinos non memorabo, quorum his portentis plenæ sunt paginæ; sed ipsi sæpe christiani Historici id sibi persuasere, in primis, quod mirari possumus, Nicolaus Macchiavellus, Henricus Morus in Enchiridio equis virisque agit ne de ea re dubitemus. Egit eamdem causam haud diu Elias Benedictus *observationibus in Tolandi Adeisidemona*. Baelius e contrario in eo opere quod super cometis scripsit omnem hanc rem velut anilem & superstitiosam deridet fabellam.

Sed dicamus primum de illa quæstione, *influant ne astra in hominum animos, ac quatenus?* Ut perspicui esse possimus, systema Planetarium a Stellis fixis in primis secernamus oportet. Constat Planetarium, quod vocamus, sistema, Sole, Planetis, Cometis. Recentes Astronomi non dubitant ii quidem Solem totius esse systematis centrum, circa quod lege gravitatis Planetæ ac Cometæ revolvuntur. Illud utcumque æstimatur, doctrina gravitationis certa est. Ejus gravitatis leges ad severum calculum adduxit Newtonus, atque ita, ut hanc rem extra omnem dubitationem posuisse videatur. Est autem hæc gravitas reciproca, ac non moles tantum horum corporum pervadit omnes, sed totum quoque illud spatium, in quo illa circumaguntur. Agit autem illa in corpora: cogitationes ergo & appetitus non attingit. Quin ne in corpora quidem omnia agere videtur, sed in crassiora tantum: nam luminis & ætheris gravitatem non solum nullæ hucusque rationes demonstraverunt, sed non parvæ sunt suspiciones, quæ oppositum nobis ostendere videntur. Qua de re alibi dictum est. Præterea gravitas causa est generica, ut ea ipsa per se nullum animo præcisum objectum figat, quod ille amet, aut timeat, appetat, aut aversetur. Hæc igitur corporum reciproca actio, ac passio, quæ sola in his corporibus obtinet, in rem nostram traduci nequit nisi imperitissime. Nam etiam si animos nostros inde premi dicamus, quod tamen dici nequit nisi stultissime, non inde alius appetitus nasci potest, nisi quem veteres *naturalem* dicebant, atque insitum corporibus gravibus, ut scilicet ad centrum aliquod adigantur. Hic vero quid habet cum appetitu & aversione morali adfinis? Nam quod ajunt genitura ipsa mores in nobis astrorum fingi, Saturni graves ac tetros, Jovis elegantes & generosos, Martis feros atque truculentos, lascivos Veneris, lenonios Mercurii, Apollinis tandem, seu solis, musicos, poeticos, divinos; quam hæc sunt lepida! Neque enim esse puto nisi pueros, qui ad globos illos terraqueos, aut igneos hæc serio referant. Omnem vero lepiditatem superat, quod insani impostores prædicant, quum ingenium nostrorum animantium, Arietis, Tauri, Leonis, Capri, atque id genus aliorum, cælestibus constellationibus attribuunt. Cui cælum, Planetæ, Stellæ fixæ vel mediocriter notæ fuerint, quam isthæc perridicula ac putida videri debent? Ego vero nescio, cur marmoreis si-

gnis, quibus aut homines, aut animantia ars humana exprimit, non similiter mores nostros, aut brutorum animantium tribuamus.

Illud vero non negaverim, hominum temperamenta plurimum locis, ac climatibus debere, ut alia tardiora sint, alia magis ignea. Id telluris historia demonstrat. Quumque vis temperamenti non leviter effingat phantasias, atque hinc sæpe se nostra ratio abripi sinat; inde profecto esse, ut tantopere inter se hominum ingenia dissideant. Quamquam non inde tantum fit: nam in ingeniis formandis non parum confert & educatio, quod non in hominibus modo, sed in ipsis bestiis quotidie cernimus. At id quoque genericum est, nec ad peculiaria objecta flectitur, nisi rationis ac voluntatis moderamine. Scilicet hujusmodi propensiones rationis imperio regi, nemo est tam stipes, ac sibi ignotus, qui non quotidie experiatur. Sed illud animadvertatur necesse est, in hujusmodi propensionum vi perpendenda atque æstimanda non tam cæli, & astrorum habendam esse rationem, quam corporis naturæ atque structuræ: ut etiamsi hanc a climate efformari dicamus, non tamen climati ejus gravedo, aut levitas tribuenda est, sed iis caussis, ex quibus proxime nascitur. Postremo ut natura, clima, cælum tribuant animæ propensiones: tamen non hæ genericæ inclinationes mores constituunt, sed earum flexiones, ac modificationes, quæ ab educatione sunt & vitæ commercio. Ex iis vero exsistunt quidem peculiares actus, sed magna ex parte rationis ac voluntatis regimine; ut idcirco nequeat eorum ex sola corporea natura reddi ratio.

In posteriori enodanda quæstione brevior ero. Nam effectus, quos astris judiciarii, ut vocantur, Astrologi tribuunt, aut corporum sunt phænomena, veluti pestes, terræmotus, eluviones, siccitates, &c. aut animorum. Primos, seu caussis Tellure comprehensis tribuas, seu astris (nolo litem ex lite sine ulla necessitate serere), perinde est: suas enim habent aliquas, atque ordine mundi fixas, quando nihil de nihilo fit. Hos effectus ut aliquando Physicus pervideat, adductis ad calculum caussis, id nihil vetat, vacatque apud sapientes omni & impostura, & admiratione. Id vero solemne mendacium est, hæc ex astrorum situ tum presentiri, quum ad astra non pertinent. Neque vero si quis audacter prædicat, fore ut olim Vesevi nostri vi tota *Campania* contremiscat, si ita esse ei infelici licuit, ut id

acci-

accidat, quod prædixit, eum idcirco ex situ Saturni, aut Martis, aut Capricorni conjectasse dicam, cum ei vicinior Saturnus atque Mars fuerit, Vesevus ipse ignes noctu dieque eructans. At si futuro novilunio pronunciet Oceani aquas æstuare altius, quam in hac Lunæ quadratura, eum ex motu Lunæ divinasse non negabo: nec tamen ex Lunæ motibus. Non ego quoque negabo ita naturæ causas esse a Deo fixas, ut ordo hic rerum physicus morali serviat, seu scelera nostra ita ei ulcisci placeat, seu virtutes remunerari. Sed item nego hæc aut ex astris, aut ex reliquis causis ulla magica disciplina a nobis præsciri posse, quæ sola ejus patefactione innotescunt, qui eum in modum hæc & disposuit, & moderatur; longeque eum versipellem, ac fraudis columen habeo, qui ulla aut humana arte, aut scientia ea se habere comprehensa profitetur.

Jam effectus morales, bella, seditiones, paces, fœdera, civitatum ferro & igne vastationes, ac si quæ sunt alia, in moribus atque affectibus nostris causas habent; quos qui probe noverit is quidem non ulla astrologica divinatione, sed subtili ac prudenti ratione sæpe conjicere potest; ex astris haurire qui dicit falsarius habeatur. Nam quum astra nec ingenerent eos mores, nec regant, sed sola hominum natura, ratio, & disciplina, ut demonstratum est; næ is solemniter insanit, qui earum rerum præsensionem ex astris habere se fatetur. Perridiculos ergo & fatuos eos habeamus oportet, qui hujusmodi fabellis popellum deludificant: nisi potius in latronibus habere velimus, atque tam trucibus dignos, quam cetera turba, quæ vitam humanam infestat.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

DISSERTATIO.

Scepticismus confutatus.

SCepticismum refellere in hac disputatione instituimus, eorum nempe mortalium professionem, ac scholam, qui quum aut naturæ ignavia, aut negligentia exercitationis animi nullum sibi esse in litteraria Republica honoris locum relictum videant, veluti perduelles omnem ordinem subvertere putant. Accedit eorum turba, qui quo *suis vitiis* ac sceleribus latibulum aliquod parere possent, in *eam* audaciam induxere animum, ut Deo ac Religioni bellum auderent decernere. Quumque aperte bellare pertimescerent, id per cuniculos tentavere; ac Scepticismi pomœria longe lateque provehere moliti sunt. Ac constat quidem, Scepticismum esse aut ludicrum, aut *insaniam*. Sed quo plene proculcetur, Scepticorum argumenta *sunt* convellenda. Nam apud veteres Sextus Empiricus in libris tribus *hypotyposeων Pyrrhonicarum* Acatalepticorum caussam multo egit apparatu: nec minori nuper Baelius, ut in multis non litterarum modo ardorem restinxisse videantur, sed virtutem quoque ipsam & pietatem. Particulatim Sextum Empiricum aliosque veteres refellit Petrus de Villemandy in opere docto, *Scepticismus debellatus*, Baelium vero prolixe Crusatius. Nos paucis erimus contenti: res enim amamus, non verba: dedecet enim Philosophum multiloquium.

1. Ut autem quæ Sceptici nobis objiciunt, intelligere possimus, pauca de Scepticismi origine præfabimur. Scepticismus suos habet gradus: sunt enim qui aliqua tantum in dubium revocant, alii qui plura, alii qui omnia. Hinc fit, ut Scepticismus vel moderatus sit, vel effrænis. Moderatum Scepticismum Philosophi ferme omnes professi sunt, atque etiamnum profitentur. Hinc principium philosophandi esse DUBITATIONEM, prudentiores omnes docuerunt. Laudat ea in re Huetius (*a*) Pherecidem Syrum, Anacarsim Scytham, Pythagoram Samium, Empedoclem Agrigentinum, Parmenidem, Zenonem Eleatem, Heraclitum, Anaxagoram, Democritum, Socratem, Platonem, Ari-

(a) *La foiblesse de l'* entendement humain lib. 1. *chap.* 14.

Aristotelem, Ciceronem, Varronem, aliosque; quibus nunc accessere Cartesiani omnes, Joannes Lockius, aliique. Horum autem nemo unquam dubitavit, plurima a nobis certo cognosci, licet omnes docuerint plurimis nos erroribus subagitari, plurima ignorare, pleraque etiam scire nullo modo posse. Quæ philosophandi ratio prudens est & modestissima: sunt enim stati mentis humanæ termini, quos qui temerario prætergreditur, in avia eat necesse est. Nam quum tres sint cognitionis acquirendæ viæ, *sensus*, *intellectus*, *Fides*: constat, plurima esse quæ non contingunt sensus, alia quæ extra ambitum intellectus vagantur, ac sola supremæ mentis beneficio hominibus patefieri possunt: quorum pars infinita nondum nobis patefacta est.

2. Unus veterum rem hanc ad excessum provexit Pyrrho Eleus Aristoteli σύγχρονος: quandoquidem lectis, ut ajunt, Democriti libris, variisque auditis Philosophis, in primis Anaxarcho, quum seu mentis stupiditate, seu studiorum lascivia nihil certi sibi reperire visus esset, etiam *nihil comprehendi posse* statuit. Ejus Sectatores variis sunt vocabulis nominati (*a*), Epectici ἀπὸ τοῦ ἐπέχειν, *cohibere*; quia judicium omnibus de rebus suspendebant: Zeretici ζητεῖν *quærere*, quia perpetuo veritatis inquisitioni animum intendebant: Aporetici, quasi *dubitantes*: *Acataleptici*, quod nihil comprehendi posse docerent: tantum Pyrrhonici a Pyrrhone, de quo præter Laertium consuli potest Bælius (*b*) & Albertus Fabricius (*c*). Animadvertit autem Laertius sect. 8., non eas a Pyrrhone veritates negatas, quæ *intelligentia constarent*, (ὅτι γὰρ νοεῖται, δῆλον,) *quippe quæ per se sunt perspicuæ*, sed *quæ sensibus perciperentur*, in quo dogma Platonicum ultra limites provexit: Plato enim quæ a sensibus deferuntur, etsi non *scientia*, tamen *opinione* percipi docuerat. Jam Pyrrhonicis quidam accensent Huetium ob libellum, quem Gallice inscripsit *la Floiblesse de l'entendement humain*, de *Imbecillitate mentis humanæ*, in quo docere videtur nihil sola ratione naturali certo comprehendi posse, sed confugiendum esse ad Revelationem: & Hieronymum Hirnaim ob editum librum *De typo generis humani*, *sive scientiarum humanarum inani ac ventoso rumore*, *difficultate*, *labilitate*,

(a) *Vide Gellium lib.* XI. *cap.* 5. (b) Dict. Art. Pyrrho.
(c) *Biblioth. Græc. lib.* 3. *cap.* 33. §. 5.

[illegible] *[illegible]patientia*, *præsumtione*, *incommodis*, que [illegible] fundamento subvertit. Ad eamdem cla[illegible] [illegible] referunt Lockium (*a*), tum ob alias rationes, [illegible] ob eas, quod valde suspicatus sit, defe[illegible] [illegible] mus aut plures sensus, quorum fiat defectu, [illegible] adæquate percipiamus, quodque sæpe Philosophos [illegible] ut in singulis quæstionibus ejus decreti memi[illegible] [illegible]nos esse rationi humanæ limites, extra quos, qui [illegible] temerario, nihil nisi tenebras offendit. Sed qui [illegible] non satis attente nec Huetium, nec Lockium le[illegible]r. Nam Huetio id propositum fuit, non ut *super*[illegible]ientem rationem extingueret, sed fidei ancillari doceret; Lockio vero ne constitutos sibi a natura terminos licentiosa prosiliret. Inter moderatos igitur Scepticos, quos inter omnes viri doctiores censentur, habendus est uterque. Alioquin in eumdem quoque censum conferre possimus, non omnes modo veteres Ecclesiæ Christianæ *Doctores*, sed Apostolos etiam & Prophetas, qui *de brevitate humanæ mentis* sæpe nos monent, quique non raro in Philosophorum confidentiam invehuntur. Quare non statim Philosophum in Pyrrhonis castra amandabimus, quod aut plura esse ignota & incomprehensibilia fatetur, aut nondum sibi patere scribat quæ aliquibus aliis nota videntur & ad liquidum perducta.

3. Videamus nunc quibus argumentis Acataleptici isti & Epectici caussam suam tueantur. Negant ullum esse veritatis *characterem*, *criterium*, notam (*b*); quo fit, inquiunt, ut a falsitate discerni veritas nequeat. Enim vero, inquiunt, si veritatis ullum est criterium, aut in *Auctoritate* est aut in *Sensu*, aut in *Conscientia*, aut in *Ratiocinio*. In Auctoritate non est. Est enim auctoritas vel *divina*, vel *humana*. Humana autem auctoritas aut spectatur in iis, quæ omnes homines percipere possunt, qualia sunt, quæ *conscientia*, *sensibus*, *ratiocinio* semper præsto sunt; aut in iis, quæ non omnes *sensibus suis*, aut conscientia, aut ratiocinio assequi possunt. In iis, quæ ad prius genus pertinent, non video, cur locum auctoritas potius, quam ratio habere debeat. Ridiculus enim esset, qui probare conaretur, se dolorem aut voluptatem sentire, Solem lucere, & similia, quia alii id affirmant: si enim

(a) *Doria noster in Met. propugn.* (b) S. Empiricus lib. 1.

enim is decipitur, cur alii ſibi ſimiles decipi non poſſint? Præterquamquod cur credam Pythagoræ aſſerenti *quadratum hypothenuſæ æquale eſſe ſummæ eorum, quæ conſtruuntur in duobus reliquis trianguli rectanguli lateribus*, ſi ipſe rationes aut non videam, aut non intelligam? Non certe credam; quia is erat Pythagoras, niſi deridiculus eſſe velim. Credas, inquiunt, quia demonſtravit. Unde ſciam id demonſtratum? Quia, inquiunt, id omnes docent Philoſophi. Quis, inquam, mihi certum faciet Philoſophos iſtos non eſſe deceptos, nec me decipere voluiſſe? Utrumque enim potuerunt; nam homines ſunt, & erroribus obnoxii, & affectibus. Sed *omnes neminem fallunt*. Quaſi vero non omnes fuerint Philoſophi, qui materiam æternam eſſe docuerint; aut non omnes, qui quondam terram ſtare, nunc vero moveri, tradiderit. Sed ipſos rogo Philoſophos, an confidenter affirment, ſe & mente breviſſimos eſſe; & nihilominus hæc certo cognoſcere (1)? Negabunt, ſi ingenui eſſe velint: Nam qui mente brevis eſt, in omnibus decipi poteſt: & qui in omnibus poteſt decipi, de omnibus dubitet oportet.

4. In iis vero quæ ad ſecundum ſpectant genus, auctoritas vel ab uno, vel a paucis, vel a multis, vel ab omnibus accipietur. Unus auctor, qui factum aliquod narrat, quantumvis doctus, & probus, certitudinem non facit (2); potuit enim decipi a ſenſibus, a phantaſia, conje-

 ctura,

(1) *Tota hæc argumentatio id peccat peccatum, quod Scholarum Dialectici appellant a* ſecundum quid ad ſimpliciter: *ita enim instructa eſt, ut ponat, qui non omnia comprehendit, eum pauca quidem ſcire poſſe;* quaſi nihil percipi & comprehendi poſſit, niſi a mente infinita. Negent eadem ratione, quidquam a nobis moveri poſſe, quia vi finita prædîti. Meræ ſunt nugæ.

(2) Quum ea de re agitur, quæ ut a multis, ita ab uno clare & diſtincte poteſt ſenſibus comprehendi, cujuſmodi ſunt aut naturæ phænomena, aut hominum facta; nec quidquam ſit, cur de ejus fide dubitemus; unius etiam hominis auctoritas eam faciet certitudinem, qua qui non eſt contentus, non is quidem dubitat, ſed dubitare potius amat. Nam qui ego credam eum dubitare, qui nullas habet dubitandi rationes? Neque vero idem ſunt *dubitare*, ac *dubitare velle*: illud rationis eſt, nec ſine motivis eſſe poteſt: hoc libidinis, ac emotæ magis, quam ſeriæ mentis. Ad rem. Unius iſtius hominis auctoritas ubi nullæ ſint rationes dubitandi, æqualis, aut pene æqualis auctoritati noſtri ipſorum eſt, ſi ei facto interfuiſſemus: itaque de illo eum in modum dubitare non minus inſanum eſt, quam ipſos nobis fidem omnem derogare, etiam ubi nullas derogandi rationes habemus.

ctura, a populo; ab aliis etiam prudentibus, etiamsi decipere noluisse credatur. Hinc vix reperias accuratissimum historicum, qui aliquid non sit mentitus, aut saltem qui non alicubi deceptus sit. Idem de paucis dictum esto, etiamsi perspicaces, & integri fuisse narrentur. Nam quidam sunt affectus, maxime philautia, seu amor proprius, partium studium, superstitio, qui virtutis specie vel integerrimos decipiunt. Quod si fabula aliqua paucis persuaderi potest, potest & pluribus (1). Nam ex.g. oracula Gentilium fuisse Sacerdotum imposturas, est a Vandalio, & Fontanellio (2) demonstratum. At, si paucissimos e Gentilismo excipias, impostura hæc omnibus ferme nationibus persuasa erat, ut ostendit Cicero sub initium libri primi de Divinatione. Muhammedanismum fœdam esse fabulam & imposturam, quis ignorat? At nunc ita res comparata est, ut si Christianismus Muhammedanismo conferatur, minima ille præ hoc erit pars (3). Jam ad *consensum omnium* quod spectat, ad quem tanquam ad veritatis aram confugiunt Dogmatici, primum an est res ulla, in qua consensum istum licet reperire? Omni enim in re quot capita, tot sententiæ. Deinde vel consensum istum spectabimus in *factis*, vel in rebus *theoreticis*. In primo rerum genere, quum facto alicui multi quidem, non omnes homines interesse potuerint; si factum illud manavit ad alios, non horum, sed priorum tantum habenda ratio, nam hi, qui non interfuerunt, auctoritatem nullam faciunt. Res ergo redit; aut ad paucos, aut paullo plures, qui certe omnes decipi potuerunt (4). Hinc ex.g. si Lycurgus, Solon, Numa persuadere potuerunt superstitionem Spartanis, Atheniensibus, Romanis sui temporis, viris nempe simplicioribus; vix dubitandum, quin impostura potuerit ad omnes posteros manare, & tanquam certa haberi (5). Atque hac ratione fabula

(1) Non idem est testi oculato fidem præstare, ac aurito. Potuit huic imponi, non illi. Auritorum fides oculatorum testium auctoritati nititur. De hac differimus. Oculatis viris rei, de qua agitur, gnaris, spectatæ virtutis, derogare fidem, id insanum dicimus: derogare autem non in acroamaticis dogmatibus, sed in factis. Ratiocinentur ergo Sceptici constantius, ac meminerint turpe esse a quæstionis statu dilabi.

(2) Antonius Vandalius in dissert. de Oraculis Gentilium, Fontanelle de l' histoire des Oracles.

(3) Bælius in dict. Crit. art. Machomet. Vide ut id refellamus App. lib 2.

(4) Vide super eo sophismata adnotata superius.

(5) Non hic agitur, potuerint ne Solon & Lycurgus Atheniensibus, & Spar-

bula potest universo orbi persuaderi, qualis belli Trojani fabella secundum Dionem Chrysostomum, Hornium, Vicum, aliosque (1). Quod ad ea, quæ secundi sunt generis, Cottæ illud reponam, *placet*, inquit, *tantas res judicio multitudinis judicare?* Sane *argumentum pessimi est populi consensus*, quod Seneca pronunciat gravissime. Nam si judicio multitudinis stabitur, Gentilium superstitio vera erit, quippe & pluribus, & per longius tempus probata. Etenim, ut observatum Bælio (2), si Telluris gentes in 30. partes dividantur, quinque reperientur Christianismum profiteri, sex Muhammedanismum, 19. Gentilismum. Præterea Astronomi, qui putant terram moveri, causa exciderent, si populus judex sederet. Præterquamquod, quæ sententia theoretica est, quæ omnium hominum consensu probetur? Ne de exsistentia quidem Dei id obtinet, ut prolixe ostendit Bælius (3). Quo factum est, ut Parkerus hoc argumento uti noluerit, tanquam valde incerto (4). Nullum est igitur veritatis in auctoritate humana præsidium.

& Spartanis *falsa dogmata* persuadere; illud disceptatur, potuerint ne persuadere velut præsentia facta, quæ nunquam effecissent? Id ego fieri posse, etiam inter stupidos, nego: nam & oculos habent stupidi ac manus, & quisque mortalium ita a natura comparatus est, ut oculis magis suis in rebus præsentibus, quam alienis verbis velint credere. Pythagoras ut persuaderet auditoribus suis, se redivivum ex altera vita rediisse, necesse fuit, ut diu in subterranea crypta lateret, evaderetque inde mortuis concolor. Sed ne hoc quidem efficere potuit, ne impostura detegeretur. Quum nulla Muhammedes miracula egisset, ne ulla quidem suis persuadere potuit, ut astute intellexerit, sibi negandum esse, miraculis armatum venisse ad novam superstitionem prolatandam. Quod si hoc effici potuisset, quod isti ajunt, mortalium fuisse neminem ego scio, qui commodius potuerit, quam hic, de quo diximus, Muhammedes: quippe cui eam in rem, & ætas, & commilitonum paratissimum obsequium, & barbari ac inculti suorum mores, & contractæ jamdiu fallendi artes, & promti ad fabulas vulgandas administri, obsecundassent. Sed intelligebat profecto & curiositate adactum iri plures, qua falsas artes possent rescire, & difficile futurum, ut ii ipsi, quibus fideret, diu tantum arcanum reticere possent. Nec auctoritatem suam his periculis labefactatum iri astutus homo volebat.

(1) Vide Append. lib. 2.

(2) Loco citato. Vide ut hunc calculum perpenderimus in Append. lib. 2.

(3) Quam hoc confidenter pronuncietur, quamque fit falsum, in parte 3. demonstrabitur accuratissime.

(4) Sed istud argumentum, quod elevare profanum genus studet, dictu difficile est, quot viri doctissimi invictum existimaverint. Utuntur eo ex veteribus Plato sæpe, Aristoteles, Tullius, Seneca, Plutarchus: utuntur veteres

sidium. Quod eo etiam argumento confirmatur, quod hæc auctoritas provenit a *scientia* & *probitate*, quarum prior certos nos faciat, res auctori compertas, posterior, auctorem data opera nos decipere noluisse. Quum autem, inquiunt, ut paulo post ostendemus, scientia hominum principiis innitatur fallacibus, sensibus nempe, phantasia, memoria, ratiocinio; ea profecto certa non est. Deinde quum φιλαυτια, amor Patriæ, Sectæ, Religionis, Metus, Odium, Spes, aliique affectus mentem depravent, nihil quoque a probitate sperandum (1).

5. Ac-

veteres Christianæ Religionis Apologistæ, viri in primis perspicaces, ac eruditi. Ejus vim pluribus adseruit Cudworthus cap. IV. Syst. intell.: adseruit Elias Benedictus Parochus Delphensis in præfatione libri docti adversus Tolandum. Ea de re nos in secunda parte ex instituto differemus, unaque opera ostendemus, & nullam hucusque gentem adeo efferatam repertam esse, quæ non aliquam animo supremi cujusdam Numinis notionem haberet informatam, nec tantam consensionem nisi ex communi totius humani generis causa provenire potuisse; quæ in re hujusmodi aut sensus naturæ est, aut ipsius Dei vox.

(1) Auctoritatem omnem a scientia & probitate Auctoris vim suam accipere, id est in perspicuis. Sed sunt quædam, quæ omnes homines, etiam barbari & idiotæ scire certo possint, si oculati eorum sint testes. Hujusmodi sunt Naturæ & hominum facta, quæ ita sensus nostros commovent, ut necesse sit omnibus esse mutilatos, qui percipere nequeant. In his igitur rebus testes oculatos repudiare nequimus, ea tantum exceptione, quod scire nequiverint. Narrat quis, se Solis deliquium observasse, ac ita narrat, ut satis demonstret, se inde magnopere fuisse commotum, testem oculatum defectu scientiæ repudiabimus? est id non de vero disceptare, sed furere. Aurora borealis anni 1737. phænomenon apud Italos rarum, totius ad se Italiæ oculos convertit. Ne tot quidem testes certos ejus rei posteros efficient? videant Sceptici ne dum nimis rationales esse satagunt, ab omni desciscant ratione. Me quoque pænitet res scurriles serio pertractare. Jam sunt quædam aut naturæ aut hominum facta, *quæ etiam ubi quis in animum induxerit occultare, aut* pernegare, id ne a se quidem obtinere potest, tantum abest, ut alios queat in sententiam suam pertrahere. Ut ecce, est quisquam, nisi qui velit ludere, qui auroram illam borealem occultare, aut negare possit? Nam ego non ignoro, plures esse impudentes, ac perditæ famæ homines qui aut conceptas fabulas obtrudere credulis velint, aut vera facta in dubium adducere; sed nego, repertos hucusque esse homines, qui id efficere gestierint cum tanta impudentia, ut res aut manifesto falsas aliis probare, aut manifesto veras in dubium revocare voluerint. Nam in his renititur natura. Itaque mendaces nisi colore aliquo ac similitudine veri mentiuntur fere nunquam. Quis historicus mentitus esset ab Agrippina occisum Neronem? Cajum Cæsarem in bello adversus Gallos interfectum? Enimvero quum Muhammedes vulgasset, Lunæ partem decidisse sibi in manicam, eamque Lunæ restituisse, pulcherrimi astri deformitatem miseratus, ita retulit, ut nullum ejus rei testem adduceret; verebatur enim apertum mendacium. Simile huic est, quod Franciscus Mezræus in historia Gallorum narrat, se scriptum reperiisse, Monachum, quum sub auroram contempla-

5. Accedamus ad auctoritatem divinam. Ea constare debet Dei verbis. Sed loquutus ne hominibus Deus sit, id primum est, inquiunt, quod valde dubium est. Nam quum sint variæ per orbem nationes, Hebræi, Christiani, Gentiles, Muhammedani, qui contraria dogmata docent, omnes tamen Revelationem Dei præseferunt; quod argumento est nullam esse revelationem. Quis enim sibi persuadeat Deum contraria revelasse? Sed sunt, inquiunt, imposturæ, quæ Gentiles, & Muhammedani proferunt. Nempe Judicibus Hebræis, aut Christianis. At Judicibus Gentilibus (1) Impostores sunt Hebræi & Christiani. Si standum plurimorum auctoritate, caussa cecidimus (2).

6. Accedit, pergunt, eodem, nulla esse argumenta solida, quibus potuerit ratio aliqua esse certa de Revelatione. Proferuntur miracula. Sed nondum constitit inter doctos quodnam sit verum miraculum, uti concertationibus Lokii, Clerici, Leibnitii, Clarkii, Wolfii patere scribunt. Spinoza, *miraculi* vocabulum esse relativum animadvertit, eoque vult significari *opus, cujus nos non tam facile caussam & rationem pervidemus* (3). Sane, inquiunt, licet

plaretur cælum, Lunam vidisse magna velocitate in Terram haud inde procul descendisse, statimque ad suas sedes remeasse: sed historicus unum illum Monachum testem habebat, qui ut non mentiri voluerit, fieri potuit, ut excitatus paullo ante a somno, oscitans, ac oculos, ut fieri solet, perfricans, Lunam moveri viderit, ac vir non malus sibi persuaserit. Ejusdem generis est, quod scribit Strabo, Lusitanos eos, qui imam oram maris atlantici incolebant, Solem videre solitos vespere oceano mergi, audireque exustarum undarum Solem excipientium fremitum, qui viatores etiam Græciæ quosdam fefellerunt. Decepta enim oculis gens simplex potuit primum illud sibi persuadere, cui deinceps, ut fit, aquarum ebullientium rumor additus. Constat ergo esse quædam, in quibus testium oculatorum nec scientiam desiderare possumus, nec fidem. Quæ autem sunt talia si quis rejiciat sine ulla alia ratione, nisi quod ita allubet, cum eo omnis disputatio interclusa esse debet, veluti cum animante ratione destituto.

(1) Vide Tacitum lib. 5. hist. Celsum apud Origenem, Porphyrium apud Eusebium, Julianum apud Cyrillum &c.

(2) Vide Appendicem lib. 2. quo in loco hæc sophismata plene refelluntur. Hic satis erit adnotasse, insignem huic argumento subesse fallaciam: non enim his in rebus numerus testantium fidem facit aliquid ex Deo manasse; sed ea facta, quæ testes & quidem oculati plurimi conspexere, quæque non nisi a Deo esse potuere, qualia fuere miracula. Facta hujusmodi centum oculati testes testificentur, an mille, modo omni sint exceptione majores, perinde est. Hujusmodi autem facta, atque eumdem in modum probata nulla gens proferre potest, quod copiose ostendit Aug. in libris de Civitate Dei.

(3) In Tractatu Theologico Pol. cap. 16. Sed & hæc inepta sunt & falsa. Nam constat inter eos, qui non prorsus carent sensu communi, miracula

licet nos sciamus mortuos ad vitam revocare, fluvios sistere, aut Solem, vires nostras superare; at ignoramus an superet vires omnium agentium naturalium. Si formica cogitaret, fortassis videns ingentem aliquam machinam moveri, nec per quos moveatur observans, crederet nullius facti entis vi motum illum fieri. Jam vero quid, quod omnes nationes miracula sua jactant? Præcipue vero de Apollonio mirabilia narrat Philostratus ita, ut Græculus quidam illum Christo assimilaverit. Aut omnia igitur vera sunt miracula, aut omnia falsa (1). Tandem quis certos nos facit hæc facta esse miracula (2)? Tempore enim nostro nulla cernimus. Vetustis autem temporibus homines erant & simpliciores, & facile creduli (3); iis igitur facile imponi potuit.

7. Proferuntur etiam Prophetiæ. Sed primum has etiam omnes proferunt Religiones: suos enim habuit vates Gentilismus, habuit Muhammedanismus. Quod verò ad Hebræos pertinet, & Faustus Manichæus olim, nunc vero Sociniani, crediderunt, Prophetias, quæ in Hebræorum libris reperiuntur, esse allegorias, quod placuit Episcopio, & Arminio, forte etiam & Grotio. Qui Hebræorum Prophetæ esse dicuntur, erant Oratores Sacri (4), qui quod

racula esse talia facta, quæ per naturæ leges mechanicas fieri nequeunt. Equidem non negabo non omnes nos naturæ leges pernoscere: sed si quis est, qui nullam a nobis sciri audeat dicere, eum totius rei Physicæ ignorantissimum prædicabo. Leges gravitatis corporum cœlestium, leges opticas, leges hydrostaticas, leges zooticas, gravitatis & elasticitatis aeris, leges collisionis corporum aut mollium, aut elasticorum, ac infinitas alias nemo est tam barbarus, qui ignorare possit & demonstratas esse, & ad exactos calculos a Physicis adductas. Iis natura constanter paret: itaque ea quæ iis adversantur constantissime velut *physice impossibilia* habemus. Quare si horum quidquam accidat, item extra omne dubium est, id naturæ vi non fieri; quia quod vi naturæ fit, id secundum *illas leges fit*. Hujusmodi autem sunt *ea miracula*, quæ olim Hebræis, deinde Christianis ubertissimam fidem fecerunt, iis Deum loqui. Sed ea de re alibi.

(1) Ineptissimum hoc sophisma *a dicto secundum quid ad dictum simpliciter*. Neque enim idcirco quod quisquam mentitur, conficias omnes esse mendaces. Alioquin conficiam ego omnes esse insanos, quod Sceptici insaniant. Ad hæc, minime mihi persuaserim esse potuisse fabulas, nisi veritates præcessissent; nec falsa miracula vulgari potuisse, nisi ad verorum similitudinem. Ita enim natura comparatum est, ut semper fictiones præcedat veritas. Vide Aug. in libris contra Acad.

(2) Vide supra adnotata pag. 234. lit. a.

(3) Non ita tamen, ut rerum publice gestarum testes esse non potuerit. Vide notata sup.

(4) Bælius in dict. Art. Aristoteles.

quod ipsi desiderabant aut metuebant, tanquam revelatum a Deo prædicabant. Fieri autem potuit, ut partim conjectura rerum præsentium, partim casu, verum prædixerint. Sed fortasse si omnia, quæ prædixerunt, descripta essent, videremus (nam ea similitudine profanum hominum genus utitur) non minus horum, quam Apollinis, aut Dianæ, oracula plurima non vera fuisse. Deinde, pergunt homines nefarii, quum sciamus plurima esse futura, quæ perspicacissimi homines prævident, ignoremusque quanta sit capacitas atque mentis acies Dæmonum, quos esse credimus, non possumus certo affirmare Prophetias istas Dei opus esse. Tertio, potuerunt Prophetiæ istæ longo post facta ipsa tempore scribi, cujusmodi pleræque sunt in Gentilium libris. Revera libros Divinos Hebræorum non esse genuinos putant Hobbius in Leviatan, Spinoza in tractatu Theologico-politico, Simonius in Historia Crit. Vet. Test. Quarto Philosophi quidam opinati sunt, mentes humanas tetra bili agitatas futura quædam prædicere posse. Revera quot prophetiæ per Germaniam, Galliam, Angliam tempore Lutheri prodierunt ex hoc tetro corporis temperamento (1)?

8. Sed demus, inquiunt, revelationem factam esse, quibus eam argumentis nunc cognosci posse affirmabimus, *traditione* ne, an *Scriptura*? Prima admodum est fallax. Nam temporis decursu vel veris historiis fabulæ ita adnectuntur, ut nullo modo discerni & distingui possint. Hinc videmus mundi origines tam misere fœdatas atque interpolatas, & varie quidem apud varias nationes (2). Eam ob rem magna Christianorum pars, ut Lutherani, & Calviniani, traditiones istas omnino respuunt, & magnis, ut opinantur, argumentis oppugnant (3). Scriptura vero vix est,

inquiunt

(1) Sunt argumenta Spinozæ in Tract. Theol. pol. pag. 18. 19. quibus quæ contineantur sophismata paullo post edocebimus.

(2) Legantur Diodori lib. v. priores, & Cosmogonia Hist. Univ. Angl.

(3) Quamquam hæc omnia argumenta, quum in responsionibus, quæ mox sequentur, tum in secundo Appendicis libro articulatim refellimus, puto tamen fore pretium operæ, id saltem hoc in loco occupare, quod adversus Traditiones commemorant. Nam ego sic semper censui, eos, qui a nobis discessere, Lutheranos, & Calvinianos, ex quorum lacunis sunt hæc contra Traditiones depromta, quum in ceteris omnibus dogmatis, in quibus seditionem fecere, tum præsertim in hoc, de quo agitur, nec

ratione

licet nos sciamus mor
re, aut Solem, vir
superet vires om
cogitaret, fort
moveri, nec p
lius facti enti
quod omnes
ro de Apo
culus quid
tur vera
quis ce
pore
ribu
iis

ut aliquid certi statui possit. Scripturas Hebræas, quæ Sacræ

... colore per... posse. At... atione paullo ... ior, longitudo ... Rem autem to... origine sua, ut ... ione quivis intelli... Christianis Traditio... derogari, quin tota ... sacra modo, sed profana ... getur. Ac principio, ... per plures annos Christia... trinam prædicasse tantum, ... m scripsisse, id & consen... veteris historiæ constat, nec iis ... , quibuscum rem nunc habe... In primis autem adnotat illud Eusebius in prioribus historiæ libris. Deinde constat, veteres Christianos de divinorum librorum genuinitate & doctrina ex Apostolica prædicatione, idest traditione, judicasse. Quo enim alio argumento rescivissent Matthæi, Joannis, Paulli &c. vulgatos semel libros & eorum esse, quorum præseferebant nomina, & veram Christi doctrinam continere? Quod qui negat, dicat is, quo alio criterio uti veteres Christiani potuerint, quo tot fabulis & impietate saburratos Gnosticorum libros a libris Apostolicis discernerent? Nam vetus illa Ecclesia Apostolica sibi conscia erat Apostolorum doctrinæ, quam ex eorum ore sæpe acceperat, ut non facile fuerit adulterinos ei libros, ac spuriam doctrinam obtrudere. Tandem constat, ne id quidem refragantibus Protestantium doctioribus, non omnia Apostolos, quæ prædicaverunt, scripsisse, sed contentos fuisse summa tantum capita doctrinæ Christianæ, ac quæstiones quasdam peculiares, quas cum Judæis, Ethnicis, Gnosticis habebant, literis mandare. Agnovit id Arminianus homo Joannes Clericus. Is enim, in *historia Eccl.* duorum priorum sæculorum, *an. 57. §. 4.* scribit, *Apostolos viva voce Ecclesias docuisse, additis historia vitæ Jesu Christi, nec voluisse scriptis suis systema aliquod Theologiæ Christianæ tradere, sed datis occasionibus, aut novis quæstionibus respondere, aut errores nascentes & vitia castigare: cetera supponebant Ecclesiis, ad quas epistolas dabant, ex prædicatione sua nota.* Sed quis id ignorare possit, qui vel primis labiis Apostolorum, & Patrum Apostolicorum scripta degustavit? Quæ quum sint, dum doctrina Christiana quæritur, non Apostolica tantum scripta consulenda sunt, sed veteris quoque Ecclesiæ monumenta: *ut si vetus illa Ecclesia Apostolis coæva, aut vicina*, quidquam tamquam ex Apostolis acceptum doceat, id ad doctrinam Christianam referendum sit. Atque hoc adeo Patribus tertii & quarti Ecclesiæ sæculi erat persuasum, ut istam veteris Ecclesiæ Traditionem Christianorum sæpe *REGULAM* appellent, eaque de re disserunt copiose, in primis Irenæus *adversus hæreses*, Tertullianus *de præscriptionibus*, Eusebius *in historia Eccl.* Vincentius Lirinensis *in Commonitorio*, aliique. Neque vero nunc attinet eorum hoc in loco disputationes exscribere. Pauca tantum memorabo, ne hæc ex voto magis, quam re dicere videamur. Tertullianum nunc omitto, cujus integer de *Præscriptionibus* liber esset exscribendus, si verba proferre vellemus. Vincentius Lirinensis in Commonitorio tria spectanda esse homini Christiano scribit, *universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequimur autem universitatem*, inquit, *hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos*

eræ habentur, genuinas esse, ne inter Hebræos quidem ipsos & Christianos. Nullus nempe liber est, qui variis auctoribus,

---

Sanctos majores ac Patres nostros celebrasse, *manifestum est*. *Consensionem quoque itidem*, *si in ipsa vetustate omnium*, *vel certe pene omnium Sacerdotum pariter ac magistrorum definitiones sententiasque sectemur*. Cur ita? quia scilicet didicerat a majoribus suis Traditionem esse fidei Christianæ primam regulam. Ignatius Martyr Apostolorum discipulus Christianos hortatus fuerat, *ut Apostolorum* TRADITIONIBUS *tenaciter adhærerent*, *quas ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit* (Euseb. lib. 3. hist. Eccl. cap. 36.) Serapion Evangelium Petri repudiaverat, quia in plerisque non consentiret cum *traditionibus Apostolorum* (idem lib. 6. cap. 12.). idem Eusebius quum de Clemente Alexandrino aliisque vetustis Patribus disseruisset, addiderat, *atque isti veram sacrosanctæ doctrinæ traditionem*, QUAM SUCCESSIONIS SERIE AB IPSIS SANCTIS APOSTOLIS *Petro*, *Jacobo*, *Joanne*, *& Paullo*, *deductam*, VELUT FILIUS A PATRE *acceperant* . . . *assidue conservantes*, *ad nostram ætatem usque*, *divina favente clementia*, *vitam propagarunt*, *quo antiqua illa & Apostolica doctrinæ prædicta semina in animis nostris inferrent*. Atque hæc eadem vox fuerat Apologistarum omnium Christianæ Religionis vetustissimorum. Sed eodem quoque modo deinceps loquuti sunt quarti sæculi Patres. Epiph. hæres. 60. Basilius lib. de Sp. S. cap. 2., Chrysost. in ep. ad Thessalonicenses. Rufinus in hist. Eccl. lib. 2. cap. 9 de Gregorio Nazianzeno & Basilio M. loquens, *per annos*, inquit, *ut ajunt*, *tredecim*, *omnibus Græcorum secularium libris remotis*, *solis Scripturæ divinæ voluminibus operam dabant*, *earumque intelligentiam*, *non ex propria præsumtione*, *sed ex majorum scriptis & auctoritate loquebantur*, *quos & ipsos ex* APOSTOLICA SUCCESSIONE *intelligendi* REGULAM *suscepisse constabat*. Quid igitur hoc est dementiæ, quum Ecclesia ab Apostolis edocta, aut eis vicina, *Traditionem* habeat *fidei suscipiendæ*, *& intelligendæ*, *regulam*, nos novissimos mortalium positos a majoribus terminos convellere?

Jam vero præclare hoc ipsum confirmant viri in antiquitatibus Ecclesiasticis versatissimi, subacti judicii ac perspicaces. Holden libro primo *Analysis fidei* Tertulliani argumentum hunc ferme in modum coagmentat. Constat Apostolos prius prædicasse, quam scripsisse Evangelium. Quum vero scripsissent, miserunt libros suos per universas Ecclesias, in quibus prædicaverant. Ecclesiæ autem istæ crediderunt libros missos esse Apostolicos non alio inductæ argumento, nisi quod viderent eorum librorum doctrinam cum ea consentire, quam ab ore ipso Apostolorum acceperant. Ergo ab ipso Apostolorum tempore norma Scripturæ Evangelicæ, qua illam statuerent & interpretarentur, fuit traditio. Sed & audiamus quemadmodum hoc ipsum argumentum adornat Richardus Simonius *præf. in hist. Crit. Vet. Test. Novum*, inquit, *testamentum quod attinet*, *doctrina Evangelii apud innumeras Ecclesias fundata & plantata fuit*, *antequam ullum extiterit scriptum*. *Exinde vero Ireneus*, *Tertullianus*, *& primi alii Patres in suis adversus hæreticos disputationibus non tam ad verbum Dei sacris litteris comprehensum*, *quam ad idem verbum non scriptum sed traditum*, *& in Apostolicis Ecclesiis conservatum*,

ribus, & diversorum quidem temporum, non tribuatur. De Auctoribus ipsis librorum novi Testamenti vel a primis Ecclesiæ temporibus magna extitit controversia, uti Sixtus Senensis docebit. Quod si certum esset & indubium, libros istos genuinos esse, non intelligimus, cur Christiani Theologi tanto apparatu & studio rem certam, argumentis non necessariis dubiam efficere conentur. Quid quod Richardus Simonius magno critices & eruditionis usu demonstrare conatur, libros veteris Testamenti compendiola esse majorum voluminum pluries facta, refecta, interpolata!

(1) De-

---

tum, confugerunt. Quoties vero Episcopi in Concilia & Synodos convenerunt, singuli quid in sua quique Ecclesia credebatur renunciabant, ita ut hac tradita primis Ecclesiis fides norma deinceps fuerit ad Scripturæ obscura interpretanda ..... Ejusmodi traditiones ab initio Christianismi independenter ab ipsa scriptura fundatæ compendium merito dixeris Religionis Christianæ. Juxta illud ambiguas scripturas interpretari nos decet, sicut ipsi Protestantes, & inter alios Illyricus, & Plessæus fatentur. Hæc Simonius. Quum autem scribat Protestantium quoque saniores idipsum fateri, iis, quos ille citat, exempli loco alios addemus, quo vulgus Protestantium tandem pudeat hac in re ad Patrum suorum exemplum clamare. *Lydium lapidem traditionem veterum Patrum* vocat Joannes Ernestus Grabe præfat. operibus Bulli præfixa. Sed Bullus ipse in Apologia contra Thomam Tullium, quæ extat in ejus operibus editis Londini anno 1703. velut ex instituto hanc caussam agit. Producit decretum Synodi Anglicanæ anni 1571. sub Regina Elisabetha, quo cautum est, *ne Doctores quidquam docerent pro concione, quod a populo religiose teneri & credi vellent, nisi quod consentaneum esset doctrinæ veteri ac novi testamenti, eique, quam ex illa doctrina catholici Patres ac veteres Episcopi collegerunt.* Ipse vero Bullus sic censet: *hanc esse optimam, immo unicam rationem infelicissimas, quæ Ecclesiam Christi hodiernam infinitas pene in partes sciderunt, controversias finiendi, si post sacras scripturas, primævam ac puriorem antiquitatem, unice colamus ac revereamur.* Tandem, ne simus tædiosi, Gerardus Joannes Vossius in epist. ad Forbesium præfixa hujus Instructionibus historico-Theologicis hoc super eadem re interseruerat judicium. *Quantopere*, inquit, *repugnat perspicuitati scripturarum* (scilicet ad hominem adversus suos argumentatur), *si ita exaratæ credantur, ut ab Apostolorum excessu, ne in præcipuis quidem fidei capitibus ipsi eas Ecclesiarum doctissimi ceperint Antistites? Quantum item bonitati Dei & amori erga nos, si per tot secula ad Scripturarum intelligentiam defuisse statuamus Spiritum Dei viris licet pietate & sanctimonia præcellentibus, Ecclesiæque semper commendatissimis, atque eo melioribus, quo Apostolicis propiores erant temporibus?* Quibus ex locis patet, eos inter Protestantes, in quibus Lutheri, ac Calvini furor rationem de loco deturbavit, ignorare non potuisse, in primis fontibus christianæ philosophiæ collocandam esse oralem Apostolorum tradi-

tio-

(1) Deinde demus esse genuinos: quis probabit esse integros? Nam plura iis addita non negant Christiani. Praeterea scripturæ alicujus intellectus pendet a linguæ, qua scripta est, notitia, a notitia morum populi, Scriptoris temperamento, studiis, opinionibus, aliisque adminiculis. At constat nunc veteris Hebraicæ linguæ genium ignorari, ingenue id fatentibus Clerico, Capello, Simonio, aliisque: constat mores & consuetudines Hebræorum magna ex parte intercidisse: constat latere Scriptorum indoles, & studia (2). Hinc fit ut diversæ Hebræorum atque Christianorum Sectæ, diversa dogmata ex Scriptura confirment: nec minus Scripturis contendant Hebræi, Messiam nondum venisse, quam Christiani venisse: nec minus Sociniani negantes Trinitatem, divinitatem Christi, peccatum originale, immortalitatem animorum, quam ceteri Christiani hæc affirmantes. Atque hæc sunt, quæ circa auctoritatem tuum humanam, tum divinam novelli Sceptici opponunt; a quibus producendis profecto abstinuissem, nisi scissem ea magna pompa a Bælio passim, & ab Argentio (3), Collino, *La Mettrie*, aliisque profanis Deistis, præsertim Anglis, prolata fuisse, qui ut *rationem* promoverent, *fidem* elevare magna impietate conati sunt.

---

tionem, & Ecclesiæ judicium. Sed videor modum excessisse, ac Theologorum invasisse provinciam. Mihi ut ignoscant oro ii, quorum ego sacra penetralia audentissimus adii, ac animadvertant, me non lubenter, sed a Scepticis provocatum Theologum egisse. Egone illam... Quæ me... Quæ non...

(1) In Historia Crit. Vet. Test. & responsionibus ad Dupinum. Hoc tamen ex libidine magis dicitur, quam ulla certa ratione. Itaque hic non disserunt Sceptici, sed conviciantur. Qui enim sunt tantæ rei, ac tam antiquæ testes? Quæ argumenta? Quamquam ne Simonius quidem id ita dicit, ut isti prædicant. Hoc ait, esse quosdam veteris Testamenti libros a junioribus Prophetis ex vetustioribus confectos, quod in Libris Paralipomenon, & Regum præcipue locum habet. Hoc vero tantumdem est ac si primum Prophetæ isti scriptitarint: hoc enim interest, ut Prophetici sint: qui Prophetæ scripserint, non semper refert.

(2) Hæc ratio probat quantopere judicio traditionis & Ecclesiæ adhærendum sit in divina philosophia. Nisi enim Judex in Ecclesia sit hujusmodi controversiarum, ecquis erit finis? Deus igitur litteras hominibus scripsisset, ex quibus voluisset nos discere pietatis ac morum regulas: quas tamen arbitratu nostro interpretantes scinderemus, atque iis ad nos corrumpendos, aliique alios infestandos, uteremur? Id dictu nefas est.

(3) D' Argens la Philosophie du bon sens.

9. Postquam nihil esse in auctoritate quum humana, tum Divina, pro veritate discernenda, praesidii (inquiunt emotae mentis homines, ac debacchantes) superius demonstratum est, videamus an *sensus*, *conscientia*, *ratiocinium* certiores nos facere possint. Contra sensus dicere, supervacaneum fuerit, quando veteres omnes Platonici, & recentiores Cartesiani, in primis Malebranchius (a); omnem sensuum auctoritatem elevaverunt. Ut cetera mittam, oculi sunt veluti lentes quaedam opticae. Quum autem sciamus lentibus opticis res plerumque majores, plerumque etiam minores videri, quis certum putabit, oculorum ope veram externarum rerum magnitudinem, & veras distantias percipi posse? Age vero, fingamus Deum omnibus hominibus repente oculorum tunicas corneas in microscopiorum quam optimorum naturam convertere, res omnibus milleplae, quam nunc videntur, videbuntur. Quantae igitur tunc erunt, quantae ne nunc videntur, an vero quantae tunc? Ne, quaeso, ex praejudicio judicato (1).

10. Praeterea sensus rerum, quae extra nos sunt, externas tantum modificationes, non vero interiora principia & substantias referre possunt: de essentiis igitur atque caussis rerum corporearum certi nihil a sensibus sperare possumus. Ad haec, quantilla est sensuum provincia? Nam oculi, qui omnium sunt acutissimi, confuse non quidem multum prae universi infinita extensione, distincte vero vix aliquot milliaria spectant. Quanta igitur objectorum copia sensus nostros latet, seu quod paullo distantiora sunt, seu quod nimis exigua? (2) Mitto, ut dixi, vulgaria exempla errorum sensuum circa objectorum distantias, magnitudines, figuras, motum, colores, sonos, & alia, quae certe innumera sunt & passim a Philosophis observata. Adeout mirandum sit, repertum esse qui praedicare potuerit, *sensus nunquam fallitur*, *ac proinde omnis sensio*, *omnisque phantasiae*,

---

(a) *Lib.* 1. *de inquir. ver.*

(1) Operae pretium facerent Sceptici, si ostenderent vitae & Religionis nostrae interesse, praecise ac geometrice scire absolutas corporum *magnitudines*, ut si vel latum unguem aberraverimus in lunae, aut *solis*, aut ceterarum rerum magnitudine aestimanda, tota repente vita humana, omnisque veritas evanescat necesse sit. Nae ii nugantur.

(2) Quid igitur? Ne tellurem quidem & solem esse sciverimus?

tasiæ, seu apparentiæ perceptio, vera est (a). Qui ergo ulla de re certi esse possumus, postquam deceptores sensus continenter nos interturbant (1)?

11. Jam (pergunt) conscientia & ratiocinatio, ubi auctoritas, & sensus incerti sunt, nihil scientiam nostram juvare possunt. Nam *conscientia & ratiocinatio* innituntur ideis sensuum & auctoritatis; de quibus quoniam dubitandum, quis pro certis conscientiam atque ratiocinationem habebit? Id verius est ad errores nostros plurimum conferre. Nam conscientia, phantasia, memoria sensuum ideas mirum in modum depravant atque corrumpunt. Ratiocinatio errores ceteroquin apertos confirmat. Quod si quis objiciat *claram & internam conscientiam*, *claram & evidentem ratiocinationem Criterium esse veri*, illam quidem vel ob ideas innatas, vel ob internum lumen Malebranchianum; hanc vero, quod si in iis, quæ clare & distincte percipimus, fallimur, error in Deum naturæ auctorem refunditur; si quis, inquam, hæc objiciat, ridebimus' inquiunt (2). Nam ideæ innatæ, & lumen Malebranchianum, & Poiretanum fabulæ sunt aniles, a Philosophis jam detectæ. Claritas vero & evidentia perceptionum esse nequit argumentum *certi*; quippe solet nasci a brevitate mentis, quæ in paucis ideis acquiescit, aut a pigritia quærendi, aut a consuetudine populi, cum quo ab infantia educati sumus, aut ab imperfectione sensuum, aut a reverentia, qua majores prosequimur, aut ab aliis causis. Sane gravissimi Philosophi hac apparente claritate decepti fœdissimos docuerunt errores (3). Clare & distincte cognoscere sibi videbatur Aristoteles mundum esse æternum, Epicurus esse inane, Cartesius inane repugnare, Malebranchius se omnia in Deo videre, Lockius omnia sensibus & meditatione percipere, & qui non (4)? Quorum quæ sunt vera?

 Deus,

(a) *Epicurus apud Gassend. part.* I. *Syntagm. Phil. Et de origine & varietate Logicæ cap.* VII.

(1) Argumentum fallax, a *dicto secundum quid, ad dictum simpliciter*.

(2) Nempe serio est qui contendat se nescire utrum bis quinque majora sint, quam tria? Si qui est, hanc ei solemnem edictionem edicimus, nos cum eo disputationem nullam habere. Cum hominibus homines disserimus, non cum pecudibus.

(3) Est hoc mendaciter dictum. Nemo umquam a claritate deceptus est, sed ab ea notione, quam is præcipiti judicio claram existimavit.

(4) Et hoc mendax, phantasias enim

Deus, inquit Cotta, viderit. Lubricum igitur est criterium istud claritatis, & distinctionis pro certitudine, non minus quam fatuus ille Spiritus Novatorum privatus, pro interpretanda Scriptura Sacra. Nimirum ut quilibet spiritum hunc, ita claritatem illam aliis ex causis pati potest (1).

12. Quum igitur (concludunt tandem aliquando) nullum sit certitudinis criterium, quis negaverit omnium Philosophorum prudentissimos esse Scepticos? Sed confirmemus, inquiunt, hæc exemplis pauculis. Rerum omnium tria sunt suprema genera: nam aut æternæ sunt, aut factæ, aut possibiles. Videamus quantum ex unoquoque genere nunc certo sciatur. Primum naturam ipsius æternitatis intelligi ab hominibus non posse, nemo refragatur (3). Esse aliquid æternum non certe negant; sed quale sit omnes

omnes

---

enim illi suas pro evidenti ratione habuere; quorum jecinora si quis scrutatus esset, ea fœda profecto, & palpitantia reperiisset, ut in Scepticis, qui quamvis hac incredibili confidentia obloquamur, tamen certus sum, si pandantur pectora, non minus in rebus suis dubios repertum iri, quam in iis videri volunt, quæ oppugnant.

(1) Illud non video, quid similis habeat fanaticus Novatorum Spiritus cum claritate ac perspicuitate rationis. Est ille ad errores etiam apertos tuendos excogitatus, minime constans, nemini certus, ac pro ingeniorum, temperamentorum, dicam etiam, vitiorum diversitate varius ac diversus, ut Protestantium quoque doctiores & saniores ad iram commoverit. Claritas vero & perspicuitas per se ipsa lucet, ubique eadem ac constans, ubicumque est. *Totum esse sua parte majus*, non perspicuum modo est omnibus, sed & constanter, & eodem apud omnes modo perspicuum. Nec vero usu venire in natura solet, ut quod invariatum, idemque semper ac constantissime clarum est, non id sit, quod esse intelligitur; est enim obscuratum perceptionum illud proprium, ut in dies mutentur, nec eædem sint in omnibus ac semper. Itaque Sceptici, quum in ceteris ferme omnibus, tum in hoc potissimum loco garriunt potius, quam disputant. Nam effutire continuo ac philosophi confidentia quidquid in buccam venerit, nec illud prius versare, atque ad rationis examen revocare, id ego ludere par impar esse ajo, quod quum omnes, tum eos potissimum pudere debet, qui profitentur ex incorrupta ratione philosophari. Quid autem istud est, rationem dum emendare, purgare, augere velis, non opprimere solum, sed stirpitus convellere? Profiteantur potius Sceptici, se in id armare rationem, ut homines lateres crudos efficiant, non philosophos. Quid enim sumus aliud, postquam ea quoque nobis demseris, quæ clare ac perspicue intelligimus? Qui si id repente evadant, ad quod alios provocant, ii sciant, se statim hac peste genus humanum liberatum ire.

(2) Sed & in hac re Philosophorum ego istorum serium judicium desidero. Quid hoc est, *naturam æternitatis*

tatis

omnes ignorant. Præterea unum ne sit, ut Christiani docent, an infinita corpuscula, ut Epicurei & Gentiles ferme omnes? Nam quamquam fortasse corpora externa vi coaluisse demus ut demonstratum, at nondum demonstratum est corporum principia, seu atomos, æterna non esse. Deinde Ens æternum quidam immensum faciunt, alii negant, omnes fatentur intelligi non posse mentem æternam *immensam* & *simplicem*. De Scientia mentis æternæ nihil certum: alii negant eam futura libera pervidere, alii affirmant, utrique se ignorare fatentur, qua ratione mens æterna possibilia, corpora potissimum, in se intelligere potuerit. Libertatem ejus oppugnavit Spinoza, & ita ut qui eam tuentur, affirmare videantur, a mente humana intelligi non posse, qua ratione libertas, & immutabilitas Dei inter se conciliari possint (*a*), & qua ratione mundus non ab æterno, sed heri aut nudius tertius factus sit. Nec mirum est tantam hominum ignorantiam circa res æternas regnare, ut Augustinus scribat, *Deum sciri melius*, *dum ignoratur*; idque repetant Theologi ferme omnes apud Petavium: æternæ enim sunt: in æternitate latent.

13. Videamus, an facta paullo sint clariora. Primum, universum factum ne sit, an æternum, ratio sola non assequitur; hinc Philosophi ea de re in partes diversas scissi sunt

(a) *Vide Cienfuegos in Theol. Enigmatica.*

satis ignorari? Tam enim clarum est, *aliquid esse a tota æternitate*, quam manifestum, *esse aliquid*. Quod quum sit; est etiam perspicuum esse *æternam aliquam durationem*, idest, æternitatem. Quærunt, cujus ea sit naturæ? naturam *durationis* quærunt, an *rei durantis*? perspicuum est durationem esse continuatam exsistentiam quam ii ignorare nequeunt, nisi & se exsistere ignorent. Entis æterni naturam minime adæquate nosci, id nec ignoramus, nec inficiamur: Sed id ad Scepticorum causam quid faciat non videmus. Nam nec, quod mei naturam adæquate non cognosco, id efficiam, ut ignorem me exsistere, me cogitare, me viribus, ac facultatibus meis libere uti, me genitum esse, ac interiturum, & tercenta alia. Itaque scire possum, esse quidquam æternum ac independens, idque esse necessitate suæ naturæ, ac propterea totum quod esse potest, idest undequaque absolutum & perfectum, unum præterea, in eoque esse universi rationem sufficientem, immensum & simplex, intelligentissimum & omniscium, liberrimum & sui juris, ac plura alia, quæ partim superius perspicue sunt demonstrata, partim loco suo explicabuntur, licet sint infinita, quæ ad hujus Entis naturam spectant, quæ me ignorare profiteor. Perridiculum vero id est & Philosophi gravitate indignum, omnia se fateri ignorare, quod non omnia æque clare & adæquate intelligantur, quasi nihil oculis videamus, quod non omnia videmus.

si sunt (1). Revera si dicas factum casu, quot absurda? Si dicas factum Fato, alia erunt, quæ non intelliges: si consilio, tum quis intelliget mundum factum consilio æterno, quum duratio a principio exsistentiæ mundi ad consilium æternum sit infinita, idest talis, ut a consilio æterno numquam deveniri possit ad initium mundi? Præterea universum hoc esse immensum non inscite Philosophi pronunciare videntur. Quantilla autem hujus immensi pars scitur? Pauca de toto systemate Planetario, paullo plura de Tellure. Natura Mercurii, Veneris, Lunæ, Martis, Jovis, Saturni, horumque minorum planetarum, penitus ignoratur. Ignoratur habitati ne sint (2) an vacui. Præterea qua ratione sic dispositi sint & moveantur, quis umquam assequutus est? Rationes enim quas Keplerus (3) & Newtonus protulerunt, quæ omnium sunt probatissimæ, ultra probabilitatem non assurgunt, certæ non sunt, ipsis Newtonianis fatentibus. Præterea exsistat ne spatium vacuum, in quo omnia moveantur, adhuc disputatur. Quodnam sit principium gravitationis corporum nondum constitit. Qualia sint ipsa corporum principia, & finita ne, an infinita sint, nondum scitur. Habeant corpora principia quædam plastica, quibus animentur, potissimum Plantæ, incertum. Natura animarum brutorum, & hominum adhuc latet

(1) Rationem humanam naturalibus informatam ideis, per se solam minime esse aptam iis omnibus enodandis, quæ super mundi origine ac natura quæri possunt, nemo est graviorum philosophorum, qui non ultro fateatur. Sed in hoc quasi magnarum rerum oceano sunt quædam, quæ, si attenti esse velimus, pervidemus aperte, hoc in primis, nec necessitate naturæ suæ exsistere mundum, nec admodum esse antiquum, id quod est a nobis superius demonstratum. Sed æterno, inquiunt, consilio factus ne est mundus? æterno proculdubio. Qui, inquiunt, fieri potuit, ut æternitas infinita præcurrerit? duratio enim infinita finiri nequit, nec si terminos habet, infinita est. Quid hinc concludunt Sceptici? Nam & istoc argumento mundi quoque æternitatem oppugno; ejus enim hoc temporis punctum finis est retroacti: ergo non infinita præcessit, aut si præcessit infinita, hoc punctum non venit, in quo, qui differimus, exsistimus; itaque ne nos quidem exsistimus. Ancipiti ergo illo argumento, hoc tantum unum probatur, rem tantam rationis nostræ modulo dimetiri non posse; occupatur ea animus, ac opprimitur. Interim licet hoc cum plerisque aliis ignorare, scire vero illud, per se ac ab æterno mundum esse non potuisse, nec si posset, sine cura ac vi potentissimæ Mentis esse potuisse.

(2) Putant habitatos esse Hugenius, Fontanellius, aliique.

(3) Vide de Keplero Gassendum, Phys. sect. II. lib. III. cap. VI. voluit enim a Sole per radios immateriales species exire, quibus Planetæ traherentur ad Solem. Quæ simillima sunt attractioni Newtonianæ.

latet (1). Spirituum natura ignoratur. Ignoratur natura ipsius perceptionis. Quæ quum sint, quis non videat Metaphysicam, Physicam, Medicinam, Ethicam, Theologiam non habere adhuc certa, & stabilia principia? idest nihil neque æternarum, neque factarum rerum *certo* sciri (2)? Certo dixi: nam plurima obscure, confuse, probabiliter scire nobis videmur. Quum autem ignoremus æterna & facta

(1) Si hoc *latere* vocant, quod est non *adæquate* rem cognoscere, non est ut ad ravim usque hanc nobis ignorantiam exprobrent; quippe quam & ipsi sub hujus *dissertationis* initium professi sumus. Neque enim tantum rationi humanæ adrogamus, ut intimas quoque substantiarum essentias & naturas adæquate nos scire opinemur. Interim id non efficit, quin ea attributa humanæ mentis, ut plurimarum aliarum rerum, sciamus, quæ scire nostra interest, qualia in primis sunt, ejus *incorporalitas*, *immortalitas*, *libertas*. Quas res quoniam ego copiose in tertia horum Elementorum parte edissero, nolo hic quidquam prævertere.

(2) Quin potius, quum perspicuum sit, nos Dei, universi, nostri ea scire, quæ nostra intersunt maxime, ac sine quorum cognitione vitam degere nequeamus, (vide Wollaston, & Villemandy in operibus superius laudatis) quis non supremum nostri Auctorem perpetuo commendet, ac veneretur gratus, quod nec scitu necessaria occultaverit, & superflua in obscuro posuerit? Nam inter curas humanas nihil esse nec jucundius, nec amabilius potest, quam occulti veri inquisitio, ac spes: excitat enim curiositas alacritatem; hæc hominis ingenium dum naturæ secretis intendit, & præsentia mala levat plurimum, & spe dulcissima lactat, & efficit illud, quod ad beatitudinem æternam contendentibus magnopere est necessarium, ut minus a præsentis vitæ illecebris capiamur. Porro quod non omnia sciamus, id efficere nequit, ut, quod clamitant, nulla sit inter nos disciplina, quæ certa habeat principia. Primum est hominis non solum parum verecundi, sed stultissimi pernegare nulla artium, quum mechanicarum tum liberalium certa esse fundamenta, quorum miranda opera quotidie admiramur. Deinde nonne impotentis est animi mathematicarum Scientiarum principia & certitudinem inficiari? Cujus rei si quis est, qui serio defensionem suscipere velit, is vecors sit oportet. Jam Theologia naturalis, Ethica, Œconomica, Politica geometricum in morem pertractatæ sunt a viris summis, præcipue Clarkio, Wolfio, aliisque plurimis, tantum abest, ut principiis destituantur. Theologia Christiana non in ratione, sed in divina auctoritate habet fundamentum. Hoc vero iis argumentis adstrui potest quæ geometricis pene sint paria, quod & Huetius in *Demonstratione Evangelica*, & Dicton, & Clarkius idem, ac sexcenti alii perfecere. Sceptici igitur ita obloquuntur, ut huc ex intermundiis heri aut nudius tertius devecti videantur. Nam quod attinet ad scientias mere physicas, eas non nego in lubrico esse positas: sed processimus tamen non parum, postquam vocabula cassa & abstracta non ultra Cartesium valuere, Cartesianæ phantasiæ post Newtonum evanuerunt. Itaque si aut Cornelius Agrippa, aut Hieronymus Hirnaim hæc nostra attigissent tempora, puderet eos tam inscite, velut homines lymphatos, in has disciplinas invectos fuisse.

facta, videsis an possibilia ignorentur. Sed Geometricæ res, inquiunt, & Arithmeticæ certæ sunt. Possemus, inquiunt, plurima adversus hanc certitudinem ex Thoma Hobbesio (*a*) producere. Nam principium illud Metaphysicorum, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, fides Trinitatis falsum reddit (*b*); ergo falsum quoque est & hoc Geometricum, *quæ eidem sunt æqualia, æqualia sunt inter se*, cui tota innititur Geometria. Sed contenti sumus Geometris certitudinem hanc non invidere, licet & infinita sint in ipsa Geometria, quæ ignorantur. Illud respondemus, hanc scientiam, quando cetera ignorantur, nullius esse emolumenti. Vera enim scientia est, scire quæ universi causæ, quid simus, quid victuri gignamur, qui nostri finis, quæ nos rerum series agat, & similia, quæ adhuc in Democriti puteo mersa videntur.

14. Jam si hominum facta attingamus (*c*), tum vero vel ipsum probabilitatis lumen repente evanescet. Primum, quantum antiquæ Ægyptiorum, Chaldæorum, Hebræorum, Græcorum, tum & Sinensium Chronologiæ variant? 2. Antiquissimæ rerum historiæ Mosis, Sanchoniatonis, Berosi, Manethonis non magis inter se conveniunt, quam horologia. 3. De nationum ferme omnium originibus incerta omnia: meræ, quæ proferuntur, conjecturæ. 4. Veteres nationum res, artes, Imperiorum augumenta, aut vicissitudines fabulis continuis refertæ sunt, ut sapienter Ægyptii, & hinc Romani tempus statuerint ἄδηλον, μυθικὸν, ἱστορικὸν. 5. Vel paullo recentiora variis historicorum studiis penitus ignoramus, Græcorum in primis confidentia & levitate.

15. Post quæ sic perorant verbis Lactantii (*d*). *In multas, inquiunt, sectas Philosophia divisa est, & omnes varia sentiunt. In qua ponimus veritatem? in omnibus certe non potest. Designemus quamlibet: nempe in ceteris omnibus sapientia non erit. Transeamus ad singulas: eodem modo, quicquid uni dabimus, cæteris auferemus. Unaquæque enim secta alias evertit, ut se suaque confirmet, nec ulli alteri sapere concedit, ne se desipere fateatur: sed sicut alias tollit, sic ipsa*

(a) *Lib. de Principiis & Ratiocinatione Geometrarum, tom. 2. operum ejus Philosophicorum.*

(b) *Bælius in dict. art. Pyrrho.* (c) *Voltairii sunt hæc argumenta.* (d) *Lib. 3. Instit. cap. 4.*

ipsa tollitur ab omnibus. Quum igitur omnia incerta sint, aut omnibus credendum est, aut nemini. Si nemini, sapientes ergo non sunt: quia singuli ab omnibus negantur esse sapientes. Pereunt igitur universi hoc modo. Ita seipsam Philosophia consumit & conficit. Revera, addunt, inter tot optimos libros, quibus Resp. literaria abundat, an ullus est ulla de re, qui meras controversias non crepet? An ulla de humanis aut divinis rebus sententia, cui altera non sit opposita (1)? Si sunt, in medium proferantur, & manus dabimus. Quid plura? lis definita est, si hoc fiet. Quæ quum sint, Ciceronis illo concludunt, *quam bellum est velle confiteri potius nescire quod nescias, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum sibi displicere (a)?*

16. Numquid aliud? occiderunt. Genus hominum in nihilo sciendo occupatum, lingua procax, arte versipelle. Sed tam longæ declamationi respondeamus, ac ita, ut præcipuos totius machinæ nervos incidentes, quilibet intelligere per se ipse queat, ne reliquum quidem corpus stare posse. Longiorem qui amat operam, Villemandy, longissimam, Crusatium consulat: habebit in illo plura docta & erudita; in hoc vero etiam minutissima, si eo usque patientiam continuare possit, ut integrum voret. Ac omnium primum ingenue fateamur, scientiam nostram *certis* quidem quam paucissimis, *probabilibus* paullo pluribus, *dubiis* permultis constare, atque ea ipsa quæ aut certo, aut probabiliter scimus, si comparentur cum iis, quæ omnino ignoramus, esse, quale unum ad infinita. Fateamur quoque ignorantiam nostram minimum esse malorum, si cum erro-

(a) *De nat. Deor. lib.* 2.

(1) Agamus ingenue. Nihil ne igitur est, in quo omnes consentiant homines? Id qui dicit, aut est in humana historia prorsus hospes, aut non ad philosophicam severitatem disserere vult, sed alterius patientia abuti. Si quis autem hanc rem cernat, ea in primis constare inter omnes reperiat, quæ maxime scire interest. Sed est in plurimis contentio? Non equidem id negaverim. Velim tamen ab immensa hac quæstionum sylva omnes eas sublatum iri, quas aut ambigua vocabula, aut *scholarum* populorumque studia, aut affectus, aut privata excivit utilitas. Sed & non parvam particulam complectitur id contentionum agmen, quas adrogans curiositas genuit, alitque. Hæc ingenii humani aut levitatem, aut improbitatem sane arguunt: rationis vero ac scientiæ fundamenta evellere nemo sobrius dixerit. Quo modo frugiferi agri, nisi rite recteque excolantur, magnam illi quidem veprium, atque inutilium, aut noxiarum herbarum segetem progignunt: sed ea ipsa magnum sunt ubertatis indicium.

erroribus infinitis, quibus hominum vita perturbatur, conferre velimus. At in tanta aut ignorantia, aut errorum copia sunt tamen quædam, quæ certo cognoscimus, quæque vitæ & *pietati* sufficiunt, quod satis est, ut Acatalepsia radicitus evellatur. Sed ne orationem pervertam, sequar Scepticorum objectiones.

17. Nullum esse veritatis Criterium primum causatur. Atque hoc primum est, in quo boni isti Philosophi hallucinantur. Nam ut ab auctoritate humana exordiar, *consensus hominum vox naturæ est* (a). Ergo si omnes homines aut de facto aliquo testificentur, aut aliquid *clare* & distincte percipiant, id pro certo tenendum. Sed omnes, inquiunt, homines & *mente sunt breves*, & affectibus obnoxii. Fatemur. At ad veritates istas, de quibus agimus, percipiendas, mens infinita non exigitur: sunt enim captui nostro accommodatæ, quales plures veritates, quæ historiam spectant, quæ existentiam rerum, quæ *relationes*, & similes (b). Præterea quamquam homines *affectibus sunt obnoxii*, tamen quum diversi atque permulti in eadem consentiunt, tantum abest ut affectus hunc consensum suspectum efficere valeant, ut potius securiores nos faciant. Qui enim homines diversorum affectuum in idem consensissent, nisi veritate adacti? Quando ergo Sceptici consensum omnium hominum elevare student, solida proferant argumenta oportet: nam levibus conjecturis, & suspicionibus a statis certisque sententiis dimoveri puerorum fuerit, non virorum. Nulla in re, inquiunt, hic consensus habetur. Impudenter hoc dictum. Quasi vero *Deum esse*, *mundum originem habuisse*, *esse alteram vitam*, *non posse idem simul esse & non esse*, & sexcenta alia, non sint omnium consensione firmata (c). Discordant, inquiunt, quidam. Quasi nos solliciti simus de insanientium, aut stupidorum consensu, non autem hominum recta & sana ratione utentium. Alioquin Sceptici & serio etiam dubitent, dormiant, nec ne perpetuo, quod quidam id credere videri voluerunt. Quamquam intelligo, imperite Scepticos facere, qui duo hæc miscent, *dubitare*, & *velle dubitare*, quæ immane quantum distant: illud

(a) *Cic. de Natura Deor. lib.* 1.
(b) *Vide adnotata superius*.
(c) *Vide Villemandy*, Huetium in *Quæst. Aln. & l'Vdlast. n bauche*, &c.

illud enim est serio differentium, hoc ludentium, aut aliorum patientia abutentium.

18. Videamus an meliora proferant de auctoritate divina. Ajunt ignorari, loquutus ne sit Deus. Res id facti est: res vero factæ auctoritate humana probantur. Ea autem auctoritas humana certa est, quæ proficiscitur a pluribus historicis coætaneis, & ocularibus, uti egregie adnotavit Josephus (1), cui docti omnes assentiuntur. Quum autem veteres omnes magna consensione doceant, sibi Deum loquutum esse, quidni id certum habebitur? Ergo, inquiunt, conficietur, Deum alloquutum Gentiles. Non id sequitur, sed hoc tantum, aliquam ad Nationes Gentiles a primis nationum fundatoribus divinam revelationem demandatam. Sed Revelationi divinæ, seu vetustæ illi Adamiticæ, & Noeticæ, seu recentiori alteri, infinitas fabulas Gentiles addiderunt ita, ut vix discerni queat. Si res esset hujus loci, infinitas proferremus opiniones, quæ inter nationes omnes communes reperiuntur, quæque sine revelatione Dei cognitæ numquam ab hominibus essent (2). Sed abunde id agimus lib. 1. Elementorum Theologiæ Christianæ.

19. Jam vero non ita nos sine ullo ratiocinio veterum traditioni credidimus. Examinavimus accuratissime, qua ratione vetus illa aut Synagoga, aut Ecclesia certa esse potuit de revelatione. Non negamus miracula maximum habuisse pondus, maxime quum essent talia, in quibus hominum impostura locum habere non potuit, qualia sunt, quæ Hebræorum Prophetæ, & Christus, atque Apostoli fecerunt. Potuerunt, inquiunt, esse opera Dæmonum. Bonorum rogo, an malorum? Si bonorum, quum ii nihil agant, nisi ex Dei imperio, quippe qui sunt boni; perinde est, seu a Deo, seu ab iis Deo jubente sint facta. Malorum qui esse potuerint, quum ederentur contra horum Dæmonum doctrinam, atque ut eorum regnum dissiparetur? Itaque vera miracula discernimus, & ex principiis naturæ ipsius lumine notis, & ex sanctitate doctrinæ. Ex veris porro miraculis revelationem detegimus. Certi, inquiunt, non sumus hæc miracula facta esse.

Qui

(1) Lib. 1. contra App. Gramm. Consulatur etiam Huetius in desinitionibus Demonstr. Evang.

(2) Vide Burnetium in Archæolog. Philosoph. Bochartum in Phalegiò, Huetium in demonstr. Evangelica, Grotium in notis ad librum primum de veritate Relig. Christ. Lafitau de moribus Gentium Americanarum.

facta, videsis an possibilia ignorentur. Sed Geometricæ res, inquiunt, & Arithmeticæ certæ sunt. Possemus, inquiunt, plurima adversus hanc certitudinem ex Thoma Hobbesio (*a*) producere. Nam principium illud Metaphysicorum, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, fides Trinitatis falsum reddit (*b*); ergo falsum quoque est & hoc Geometricum, *quæ eidem sunt æqualia, æqualia sunt inter se*, cui tota innititur Geometria. Sed contenti sumus Geometris certitudinem hanc non invidere, licet & infinita sint in ipsa Geometria, quæ ignorantur. Illud respondemus, hanc scientiam, quando cetera ignorantur, nullius esse emolumenti. Vera enim scientia est, *scire quæ* universi causæ, quid simus, quid victuri gignamur, qui nostri finis, quæ nos rerum series agat, & similia, quæ adhuc in Democriti puteo mersa videntur.

14. Jam si hominum facta attingamus (*c*), tum vero vel ipsum probabilitatis lumen repente evanescet. *Primum*, quantum antiquæ Ægyptiorum, Chaldæorum, *Hebræorum*, Græcorum, tum & Sinensium Chronologiæ variant? 2. Antiquissimæ rerum historiæ Mosis, Sanchoniatonis, Berosi, Manethonis non magis inter se conveniunt, quam horologia. 3. De nationum ferme omnium originibus incerta omnia: meræ, quæ proferuntur, conjecturæ. 4. Veteres nationum res, artes, Imperiorum augumenta, aut vicissitudines fabulis continuis refertæ sunt, ut sapienter Ægyptii, & hinc Romani tempus statuerint αδηλον, μυθικον, ιϛορικον. 5. Vel paullo recentiora variis historicorum studiis penitus ignoramus, Græcorum in primis confidentia & levitate.

15. Post quæ sic perorant verbis Lactantii (*d*). *In multas*, inquiunt, *sectas Philosophia divisa est, & omnes varia sentiunt. In qua ponimus veritatem? in omnibus certe non potest. Designemus quamlibet: nempe in ceteris omnibus sapientia non erit. Transeamus ad singulas: eodem modo, quicquid uni dabimus, cæteris auferemus. Unaquæque enim secta alias evertit, ut se suaque confirmet, nec ulli alteri sapere concedit, ne se desipere fateatur: sed sicut alias tollit, sic ipsa*

(a) *Lib. de Principiis & Ratiocinatione Geometrarum*, *tom. 2. operum ejus Philosophicorum*.

(b) *Bælius in dict. art. Pyrrho*. (c) *Voltairii sunt hæc argumenta*. (d) Lib. 3. Instit. cap. 4.

ipsa tollitur ab omnibus. Quum igitur omnia incerta sint, aut omnibus credendum est, aut nemini. Si nemini, sapientes ergo non sunt: quia singuli ab omnibus negantur esse sapientes. Pereunt igitur universi hoc modo. Ita seipsam Philosophia consumit & conficit. Revera, addunt, inter tot optimos libros, quibus Resp. literaria abundat, an ullus est ulla de re, qui meras controversias non crepet? An ulla de humanis aut divinis rebus sententia, cui altera non sit opposita (1)? Si sunt, in medium proferantur, & manus dabimus. Quid plura? lis definita est, si hoc fiet. Quæ quum sint, Ciceronis illo concludunt, *quam bellum est velle confiteri potius nescire quod nescias, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum sibi displicere (a)?*

16. Numquid aliud? occiderunt. Genus hominum in nihilo sciendo occupatum, lingua procax, arte versipelle. Sed tam longæ declamationi respondeamus, ac ita, ut præcipuos totius machinæ nervos incidentes, quilibet intelligere per se ipse queat, ne reliquum quidem corpus stare posse. Longiorem qui amat operam, Villemandy, longissimam, Crusatium consulat: habebit in illo plura docta & erudita; in hoc vero etiam minutissima, si eo usque patientiam continuare possit, ut integrum voret. Ac omnium primum ingenue fateamur, scientiam nostram *certis* quidem quam paucissimis, *probabilibus* paullo pluribus, *dubiis* permultis constare, atque ea ipsa quæ aut certo, aut probabiliter scimus, si comparentur cum iis, quæ omnino ignoramus, esse, quale unum ad infinita. Fateamur quoque ignorantiam nostram minimum esse malorum, si cum erro-

(a) *De nat. Deor. lib.* 2.

(1) Agamus ingenue. Nihil ne igitur est, in quo omnes consentiant homines? Id qui dicit, aut est in humana historia prorsus hospes, aut non ad philosophicam severitatem disserere vult, sed alterius patientia abuti. Si quis autem hanc rem cernat, ea in primis constare inter omnes reperiat, quæ maxime scire interest. Sed est in plurimis contentio? Non equidem id negaverim. Velim tamen ab immensa hac quæstionum sylva omnes eas sublatum iri, quas aut ambigua vocabula, aut *scholarum* populorumque studia, aut affectus, aut privata excivit utilitas. Sed & non parvam particulam complectitur id contentionum agmen, quas adrogans curiositas genuit, alitque. Hæc ingenii humani aut levitatem, aut improbitatem sane arguunt: rationis vero ac scientiæ fundamenta evellere nemo sobrius dixerit. Quo modo frugiferi agri, nisi rite recteque excolantur, magnam illi quidem veprium, atque inutilium, aut noxiarum herbarum segetem progignunt: sed ea ipsa magnum sunt ubertatis indicium.

Qui non? quum tota antiquitas id testetur? Nunquam enim efficiant Sceptici, ut non pro certis habeamus quæcunque antiquitas magna consensione, & ut testis ocularis, ad nos demandavit (a). Ut ab hac persuasione discedamus, solida argumenta proferenda sunt, non leves suspiciones & generales. Majores nostri quum Gentilismum confutarent, argumenta evidentissima protulerunt: miracula ediderunt (b). His ponderibus publica persuasio evertitur, non ridiculis Scepticorum argutationibus.

20. Idipsum veteres probabant prophetiis. Scitum enim est vim propheticam solius Dei esse: nam quis credat eam tribui posse aut vaporibus subterraneis, aut tetræ bili, ut Gentilium quidam opinati sunt? (c) nisi lapide silice stolidior sit. Posse vero mentes creatas futura quædam conjicere, non negamus. At ea prædicere, quæ post plurima sæcula ventura sunt, quæ nullam cum rebus *præsentibus*, aut caussis necessariis, connexionem habent, *quæ ab hominum* libertate tantum pendent, idque *constanter, & confidenter* ita, ut prædicta exacte impleantur, id vero est, quod est solius Dei. Hujusmodi sunt Scripturæ nostræ divinæ. An divinæ non erunt? Genuini, inquiunt, libri isti non sunt. Qui non sint, quum tota antiquitas genuinos habuerit? Neque enim aliud argumentum est genuinitatis librorum (d). Dissident, inquiunt, antiqui. Respondeo non dissidere in hoc, quod a Prophetis scripti libri illi sint, quod ante rerum eventum pluribus sæculis. Nec id inficiantur Hobbes ipse in Leviathan, & Spinoza in tractatu Theologico-politico, qui circa Esdræ tempora lucubratos veteres libros putant. At hoc satis est, ut argumentum a Prophetiis desumtum vim suam totam retineat: quippe major prophetiarum illarum pars Christum spectabat & Ecclesiam, res scilicet Esdra seculis pluribus recentiores.

21. Contendunt intelligi Scripturas non posse. Quibus tandem in rebus? Nam quæ sunt credenda, quæque sunt Moralis capita, esse in Scriptura cum traditione conjuncta, aper-

---

(a) *Vide ut hæc demonstrant Dicton, & Huttevillius.*

(b) *Vide Huet. sub initium demonstr. Evang.*

(c) *Vide Plutarch. de defect. oracul. & Fontanell. in hist. oraculorum.*

(d) *Vide Clericum in Art. Critic. & Huet. sub initium demonst. Evang.*

apertissime omnium Christianorum consensus demonstrat (*a*). Quis enim Christianorum negavit unquam *fundamentalia*, ut vocant, Christianismi dogmata? Nempe pauci quidam, aut stupidi & bruti, aut perditissimi, qui statim exterminati sunt. At an quod ille nivem esse albam negavit, toti hominum sensui præjudicium ullum fecit, qui nivem albam continenter intuentur? Neque enim consensus deficit esse communis, quod, ut diximus, unus aut alter, vel refractarius, vel stupidus refragetur. Præterea circa christianæ Moralis capita an ulla est inter sanos Christianos dissensio? Cui esse aut obscura aut ignota possunt præcepta Decalogi? Qui non intelligere *summum Christianæ legis esse caritatem*? Non igitur his in rebus ignorantia peccant homines, sed malitia, ac animi cupiditate, atque pravitate. Obscuritates igitur, quæ in divinis libris sunt, nihil omnino certitudini Religionis officiunt.

22. Accedamus ad rationem *sensuum conscientiæ*, *& demonstrationis*. Vocabulum *sensus* valde est ambiguum: aut enim organa ipsa sensoria, veluti oculi, aures; aut motiones in his organis ab objectis externis factæ; aut harum motionum perceptiones, *sensus* appellantur. Quum autem prædicant Sceptici *sensibus* non decipi, rogatos volumus, ut quanam cum notione vocabulum sensus accipiant, nobis explicent. Si cum priori, ut par est credere, non alio modo decipere nos possunt, sensus, quam cetera instrumenta, quibus utimur, idest non nisi quia objectorum externorum imagines augeant, aut minuant. Decipere ergo nos non possunt circa exsistentiam eorum objectorum, a quibus commoventur: quum enim sint organa necessaria, movere se nequeunt, aut imagines in se rerum externarum imprimere. Neque etiam circa rerum essentias decipient: quandoquidem has non sensu, sed ratiocinio pervestigandas docemus. Decipient fortasse circa rerum magnitudines, distantias, qualitates sensibiles, quod ultro fatemur. Atque hinc est, ut hæc relative tantum a nobis sciri, non absolute doceamus. Interim hujusmodi scientia satis est ad vitam: parum enim refert absolute ne, an relative quantitatem cibi ex. g., aut potus noscam, dum nosco eam alendo corpori satis esse:

(a) *Legatur August. de Doctrina Christ. lib.* II. *cap.* 19. *ubi*, *in his*, quæ aperte, *inquit*, in Scriptura posita sunt, invenientur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, *spem scilicet*, atque caritatem.

esse: nam & corpus relative quoque quantum sit agnosco: hoc enim ratiocinium mecum efformo. *Magnitudines* & *distantiæ* relativæ debent esse in ratione magnitudinum & distantiarum absolutarum: ergo si relativa magnitudo relativæ satis est, absoluta satis erit absolutæ. Quo certissimo ratiocinio tuto vitam, & societatem nostram regimus, parumque refert absolutas ne, an relativas magnitudines noscamus. Eodem modo de ceteris corporeis proprietatibus disputabimus.

23. Quum ergo constet, neque in omnibus ab auctoritate nos falli posse, & sensibus plura certo perspicere, nullius ponderis sunt ea, quæ Acataleptici contra *conscientiam* & *ratiocinationem* opponunt. Quod spectat ad *claritatem*, & *evidentiam* perceptionum, quam pro Criterio veritatis produxerunt olim Epicurei atque Stoici, nunc vero Cartesiani, ita censemus, tum demum perspicuitatem, & evidentiam *notam* esse veritatis, quum omnium sana ratione & judicio utentium consensus *accesserit*. *Itaque* etiamsi sciamus quædam aliquibus demonstrata videri, tamen si alii & docti, & judicio acri pollentes adversentur, ea nondum certa habemus. Atqui hæc satis esse possent ad Scepticorum impudentiam reprimendam. Sed videamus quid porro clamitent.

24. Opponunt ignorantiam nostram circa res æternas. Dividimus quæstionem. Exsistentiam Entis æterni, & præcipuarum ejus proprietatum, ejusmodi rationes demonstrant, ut nullus adhuc, nisi emotæ mentis, negaverit esse aliquod ens æternum, cogitans, potentissimum, optimum. Athei ipsi, quum non possent id negare, eo tandem dementiæ evaserunt, ut id cum universo confunderent: quod esse falsum & ineptum ex iis, quæ in tota hac Metaphysicæ parte demonstravimus, patet. Atomos & principia materiæ non esse æterna, eo quam manifeste demonstratur, quod variæ mutationi subsunt, quod naturæ Entis æterni repugnat (1). Nec negotium facessit, quod intelligere nequeamus

(1) Adeatur, si licet, Bælius in Dict. Art. Epicurus, & Cudworthus in systemate intellectuali. Interim advertatur, rationem, qua nititur Bælius, non satis esse solidam. Sic enim ratiocinatur. Si statuantur materiæ elementa æterna, fore, ut nullo pacto Dei imperio ea subsint: æternum nempe in æternum jus nullum habet. Probat id Limborchius in Theologia Christiana lib. II. cap. xx. §. 6. *Quis*, inquit, *si materia illa fuisset increata & Deo coæterna, Deus ex se jus* in

mus horum elementorum creationem: id enim auferre non potest scientiam, quam eorum originis habemus. Lege Lactantium lib. 2. cap. 8. pag. 220. edit. Walchii. Præterea quod ratio naturalis nec naturam, nec omnes Entis hujus proprietates cernat, id fatemur: sed id Scepticorum causse nihil omnino facit. Nam quum mentes humanæ finitæ sint, rem infinitam si comprehendere nequeant, mirum non est. Interim plurima de natura Dei, quæ rationem naturalem fugiunt, certissima revelatione didicimus. Sed plurima etiam inter Theologos Christianos disputantur: Nempe ea, quæ aut revelata non sunt, aut non aperte revelata. Ceterum harum rerum rationes Scepticis, idest pro-

---

in illam non habuisse eam pro arbitrio mutandi, tanquam in rem ex asse suam, sed omne Dei jus in illam fuisse tantum primi occupantis. Ratio, inquam, non satis solida. Etenim si statuatur materia isthæc æterna, sed iners, non video quid prohibere possit, ne Dei imperio subjecta sit. Nec magis solide ratiocinatur Lockius (lib. IV. de Intell. human. cap. X. §. 18.) ut probet, non admodum difficilem esse intellectu materiæ originem. Nam, inquit, licet sciam materiam corporis mei longe ortum meum præcessisse, at vis cogitandi non certe præcessit, nisi ineptire velimus. Quum ergo intelligam Principium cogitandi, quod in me est, originem habuisse, quod prohibet, ut & materiam ortum habuisse intelligam? Qui enim intelligit Spiritum potuisse creari, is intelligit etiam potuisse & materiam. Non satis recta & solida ratiocinatio. Nam qui statuit materiam æternam, is statuit etiam vires motricem, & cogitantem materiæ coævas, atque materiam undequaque permeantes, quorum commixtione varia efficiantur universi entia, quemadmodum Spinoza putat. Quæ idcirco observavi ut intelligatur, celeberrimos illos Anglos, doctos ceteroquin & acutos, *dormitare* aliquando. Quanto validius Lactantius lib. II. cap. 8. *Quicquid enim est,* inquit, *solido & contrectabili corpori, accipit externam vim; quod accipit vim, dissolubile est; quod dissolvitur, interit; quod interit, ortum sit necesse est: quod ortum est, habuit fontem, unde oriretur, idest factorem aliquem sentientem, providum, peritumque faciendi.* Et paullo post. *Materia vero semper fuisse non potest, quia mutationem non caperet si fuisset. Quod enim semper fuit, non desinit: & unde abfuit principium, abesse hinc etiam finem necesse est. Quin etiam facilius est, ut id, quod habuit initium, fine careat, quam ut habeat finem, quod initio caruit. Materia ergo si facta non est, nec fieri ex ea quicquam potest. Si fieri ex ea non potest, nec materia quidem erit: materia enim est, ex qua fit aliquid. Omne autem, quod fit, quia recipit opificis manum, destruitur, & aliud esse incipit. Ergo quoniam finem habuit materia* (intelligit Lactantius priorem, & æternam, ut putabant Græci, materiæ formam) *tum quum factus est ex ea Mundus, & initium quoque habuit. Nam quod destruitur, ædificatum est: quod solvitur, alligatum; quod finitur, inceptum.*

profanis, reddendas non putamus: apti enim auditores non sunt.

25. Persequamur binis verbis quæ restant. Ex iis, quæ facta sunt maximam partem ignorari objiciunt. Annuimus. Pleraque esse in omnibus scientiis hinc inde controversa. Non refragamur. Veterum rerum historiam aut ignorari, aut fabulis adumbratam esse, si paucula excipias. Quis negavit? Philosophos acerrime Philosophis reluctari, omnia partium dissidiis plena esse. Fatemur.

Quid concludent? omnia ignorari? nihil certo comprehendi? non sequitur. Demonstrare enim debent Sceptici non *maximam partem*, non *pleraque*, non *plurima*, sed *omnia* ignorari, controverti, disputari, si rite concludere velint. Nobis enim ad Acatalepticos confutandos satis est, si rem unam certo sciamus. Nam qui rem unam certo scit, is veri & certi notam adeptus sit necesse est. At qui semel veri tesseram est intuitus, is habebit unde copiose Scepticos ignorantiæ redarguet.

Pro coronide apponam hic viri inclyti & amicissimi lepidissimos versiculos, quibus ille salse Scepticos deridet, atque acute perstringit.



AD

FRANCISCUM DANIELEM

DE PYRRHONISTARUM DEMENTIA

EPISTOLA M. S. (*)

Nempe ego disserui nihil unquam insanius esse,
Quam sapiens Pyrrhonis de grege; fluctuat anceps
Qui omnibus in rebus, quidquam nec repperit, in quo
Sit potis incertos animi sedare tumultus,
Effutiens quæcumque hic sunt, sensusque lacessunt,
Aut Animæ assensum eliciunt, aut rejiciuntur
Omnia, res prorsus veras non esse, sed umbras,
Queis, velut a spectro, timet usque illudier. An non
Dignus & hic mane, & sero cui verbera centum
Per caput & circa saliant latus? Hippocrates quem
Helleboro frustra cupiat sanare potenti
Anticyram ablegandum? Nam ratione carere
Is se dum probat, & veri nihil esse, potest ne
Veri per seipsum quid noscere? si queat, ultro
Vera dari fateatur oportet: si neget a se
Dignosci; & qui nam verum suadere valebit
Esse, mihi id quod ait? premit hac lupus, hac canis urget.
Quid quod si veri nil sensibus, ac ratione
Assequimur; non ipse quidem se extare necessum est
Confiteatur, nec nos? quin dum cogitat ipse,
Non tamen esse opus est: risu diducere rictum
Quis neget excipiens fatui hæc effata sophistæ?
Non sic materno fœdatum sanguine Orestem
Insanire inspexit Græcia: Penthea nec sic
Exactum Bacchi furiis ultricibus: aut tot
Signa furoris conscenso super edidit Œta is,
Quem Centaureo contacta subucula viro
Egit sacrificis vivum se tradere flammis,

(*) *Marchio Spiriti in Suprema Commercii Curia a Consiliis.*

Iret ut invita in numerum Junone Deorum.
Sed tandem amoto repetamus seria ludo,
Et tu mi DANIEL cui mens bona judiciumque
Bœotorum haud crasso deductum ex aere, quamvis
Barba manum tonsoris adhuc non senserit, audi.
Quo rem deducam: caveas avertier istis
Usque dolis, certumque habeas non omnia nobis
Scire datum, Jovis hoc etenim est, pariterque nec omnia
Ignorare; hominum & brutorum ne foret una
Sors & conditio: poterit ratio bene multa
Promere & in lucem proferre, ambage remota,
Multa nequit: satis hoc tibi sit, neque pergere tenta
Ulterius, nisi quo Tibi fas sit, non ego stultum
Cum veto te fieri, nec quicquam scire fateri,
Elatum esse volo, medio tutissimus ibis.
Cetera, quæ possem his superaddere, fac doceat Te
Victuri æternum GENUENSIS pagina nostri.



APPENDIX

AD PRIOREM METAPHYSICÆ PARTEM

Qua quædam paullo obſcuriora clarius explicantur, & argumenta Scepticorum fuſius diluuntur.

ΚΡΟΝΟΣ ΕΥΜΑΡΗΣ ΘΕΟΣ

Sophocles in Electra.

EMINENTISSIMO DOMINO

JOSEPHO SPINELLI

S. R. E. C.

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO.



UUM in publicam lucem elementa Metaphysicæ generalis ederem, haud quaquam augurabat animus, fore me, ut perditi quidam homines, qui mihi famæque meæ consultum iri ægro ferunt animo, argumento ab invidia impeterent, meque impudentissime & apud EMINENTIAM TUAM, *& apud populum læsæ adversus Deum pietatis, gravissimorumque, si superis placet, in patriam religionem errorum insimularent. Eram enim mihi egregie conscius, me, confutatis Spinozistarum, Hobbesianorum, Scepticorum, aliorumque impiorum, partim monstrosis & absurdis, partim etiam ineptis opinionibus, & pietatem erga Deum magnopere fovisse, & Religioni, hominumque societati, quæ Religione continetur, quoad in me erat, consuluisse. Sed (quæ sunt hominum judicia!) fefellit me animus. Quosdam enim mihi, immerito licet, infestos (quorum nominibus parco) in me concitatos sentio, qui me indignum clamitant, qui auras vitales vivam. Nullus est urbis locus, quo eorum voces non subrepserint, aut quo reus non traducar, majore hominum parte, uti fieri in plebe solet, in immensum incertos rumores urgente. Et belle hercle atque ex animi sententia res eis cecidisset, nisi summa in primis* EMINENTIÆ TUÆ, *tum & doctissimi viri optimique Sacerdotis Julii Tornii, aliorumque tuæ hujus Neapolitanæ Ecclesiæ ministrorum, doctrina, charitas, atque humanitas improbo eorum conatui restitisset, meque turbatum certe recreasset. Sic enim habe,* EMINENTISSIME DOMINE, *me etsi alias persæpe, at nunquam tamen manifestius tui, tuorumque sapientiam, prudentiam, atque minime fucatam caritatem cognovisse, quam quum in tanta imbecillium hominum concitatione præsentissimam tui tuorumque opem expertus sum. Sed quamquam hæc tua in me clementia,*

tuumque, atque Ecclesiæ tuæ gravissimum judicium me apud viros doctos ac bonos omni criminis suspicione liberet absolvatque; at concitatos semel rumores, & per invidum genus in vulgus sparsos, vix cohiberi posse puto, nisi eos, qui nomini officiunt meo, ad silentium adigam. Oro te igitur atque obtestor, ut scriptionem hanc meam, quocumque ea nomine appelletur, æquo accipias animo. Ita enim spem facies, ut gravioris argumenti, quæ nunc meditor, opera, in primis Christianæ Theologiæ elementa, celeberrimo nomine tuo ornem. Eam autem ut scriberem tria me commoverunt maxime. Primum, quod quum non nostri tantum, sed totius hominum Societatis intersit plurimum, ne cujus famæ publice injuria inferatur, quippe quod nemo sibi soli nascitur; ut offusas nomini meo tenebras, quoad possum, dispergam, publico naturæ, & gentium jure compellor. Est enim hæc non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus; ut si vita, aut fama nostra in aliquas insidias inimicorum incidisset, honesta eius tuendæ ratio justa esset & necessaria. Alterum, quo moveor, est, quod ea esse Sacerdotum vitæ ratio debet, ut non crimine tantum, sed & criminis suspicione vacet. Accedit tertium EMINENTIÆ *nimirum* TUÆ *jussa, quibus ut loca quædam accuratius explicem, & argumentis quibusdam Scepticorum* prolixius *respondeam, mihi imperas, quæque exsequi mihi jus fasque est. Cur autem hanc lucubratiunculam nomini tuo scribam, ea est ratio, nimirum ut qua humanitate primum me excepisti adversus eos, qui nomen meum velut parum pium* EMINENTIÆ TUÆ *detulerant, eadem animi mei sinceritatem atque integritatem pernoscas, penitiusque inspicias. Adesto ergo animo,* EMINENTISSIME DOMINE, *atque perspice, utra vera sint, quæ isti in me deblaterant, an quæ ipse prudentia tua intelligis, judicasque. Datum Neapoli* IV. *nonas januarias anno* 1744.

EMINENTISSIMO NOMINI TUO

Addictissimus
Antonius Genuensis.

LIBER PRIMUS,

In quo clarius explicatur, quænam sit vera philosophandi libertas, verusque librorum damnatæ memoriæ usus.

EUSEBIUS, ET PANTASCOPUS.

P. EUsebium egone intueor, an Eusebii manes?
E. Quin Eusebium intuearis?
P. Atqui ego te aut apud Inferos versari, aut quavis potius, quam Neapoli, certus eram.
E. Quæ te inferiæ agitant, Pantascope? Sanus ne es?
P. Sanus ne sim rogas? tandem aliquando elementa illa Metaphysicæ edidisti!
E. Id tu dicis, quasi monstrum ediderim ita, ut expiari me sit necesse.
P. Et quale monstrum! Africa tetrius nullum fert.
E. Nisi statim eloquaris quid rei isthuc sit, scito, mihi abs rebus meis tantum ocii non esse, ut tecum garriam, Pantascope.
P. Hui, tam cito irasceris? at efficiam ego verbis meis mox ut palleas, totusque exanimeris. Metaphysica illa tua bene non audit.
E. Ludis? quibus tandem? nempe iis, qui mihi ut bene est, dolent. His autem quid facerem? nihil eis satis tectum & munitum est. Quin lætor iis me displicere. Scin, Pantascope, quid dico? Lucrum est, quum abs rebus nostris iis oculi dolent, quorum trecentis, ut ille ait, versibus, impuritias traloqui nemo potest.
P. Quid si aliis etiam doleant?
E. Nisi judices sint integri, docti nempe, & adfectu vacui, nihil moror. Sic enim habeto, Pantascope, me qualibet in re eorum tantum judicia revereri, qui quum doctrina & eruditione pollent, tum vero vel maxime ab omni adfectu sunt liberi, præditi autem humanitate, atque caritate. Cum his enim errare malo, quam cum aliis sapere.
P. An ullos habes ejusmodi, qui lucubratiunculæ illi tuæ suffragantur?

E. Habeo equidem, Pantascope, & plurimos, & tales, quos quum audieris, obmutescas oportebit.

P. Quinam isti quæso?

E. Quantus vir, Deus immortalis, Neapolitanæ hujus Ecclesiæ ANTISTES?

P. Maximum & doctrina, & rerum agendarum providentia, & morum integritate, & christiana potissimum caritate, prædicari audio.

E. Novistin familiariter?

P. Nondum.

E. Si noveris, tum te nihil omnino de illo *audivisse fateberis*. Minora enim omnia fert fama. Quantus ergo *judex*? Deinde qualis & solida eruditione & morum gravitate atque integritate, qui invictissimo Regi nostro est a Sacris, Regiorum Studiorum Præfectus, Thessalonicensis Episcopus CÆLESTINUS GALIANUS? quantus JULIUS TORNIUS divinarum humanarumque *rerum* peritissimus, literis & pietate celeberrimus? *Quantus & acumine* mentis & capacitate, & ratiocinii facilitate, & non in Theologicis modo rebus, sed in intima ipsa Philosophia maxima cum gloria exercitatus BERNARDUS CANCIANUS Neapolitanæ Ecclesiæ Canonicus, atque Theologus? qualis quantusque Regiæ nostræ Academiæ ornamentum atque decus, quem honoris gratia nomino, JOSEPHUS ORLANDUS? mitto alios, ne longior sim. Quales isti tibi quantique judices videntur, Pantascope?

P. Omnium certe acerrimi atque optimi.

E. Omnes isti uno ore fatentur, non solum nihil esse in se in libro meo criminis, tantum si breviora quædam & obscura paullo *prolixius* explicavero, verum esse non pauca non vulgaris pretii atque utilitatis. Ain nunc me expiatione indigere?

P. Ajo hercle vero. Ita enim calleo libellum illum tuum non sanum esse, ut non magis calleat aprugnum callum.

E. Age sane igitur, quando tot te, ac tantorum *virorum* auctoritas nihil commovet, dic, obsecro, quænam sunt isthæc, quæ non sana esse prædicas?

P. Qui omnium nunc reminiscar? scito generatim in tria capita conferri posse. Nam primum, quæ tua est impudentia, qui Britannicam philosophandi libertatem in Italia aut exoptes, aut desideres? Deinde an pius est tot damnatæ memoriæ librorum usus, & farrago? Tandem an

non

non Scepticorum argumenta ornas provehisque vehementer, nec omnia diluis, nec pari elegantia, & orationis contentione? Hæc non ſana eſſe, non ſanus juret Oreſtes.

E. Grates ſuperis. Scimus tandem quæ ſint hæc errorum monſtra. Sed illud rogaverim, Pantaſcope, legiſtin tu librum, an ex aliis narrari hæc audiviſti?

P. Partim quidem legi, partim vero ex amicis meis, viris nec indoctis, & bonis, audivi.

E. Patieris ne ſi oſtendam, te iſtoſque amicos tuos cantherino ritu adſtantes ſomniare?

P. Dum quidem brevis ſis futurus, aures patientes commodabo.

E. Pro rerum numero & varietate etiam breviſſimus. Et primum quidem te non latere opinor, verbo huic, *libertas philoſophandi*, tres eſſe diverſas notiones ſubjectas. Nempe aut de *libertate naturæ*, aut de libertate *a religione publice ſuſcepta & auctoritate divina*, aut de libertate *ab auctoritate humana* atque ſcholis Philoſophorum intelligi poteſt. Libertatem naturæ voco eam animi noſtri facultatem, quæ appetitiones noſtras moderatur, qua prout libitum fuerit, agere aliquid, aut non agere, ſequi, aut averſari poſſumus, cujus regula *eſt recta ratio*, incitamentum vero voluptas, aut dolor, & voluptatis cupido, aut doloris metus. Hanc, Pantaſcope, libertatem oppugnant ii, qui Fato omnia regi trahique docent. Libertatem a publice ſuſcepta religione & divina auctoritate eam appello, qua fit, ut ex rationis lumine philoſophantes, impune licet & ſuſceptæ religionis dogmata examini ſubjicere, & doctrinam revelatam expendere, & a publice receptis ſententiis, ſi nobis minus recte videantur, nullo pœnæ metu deſciſcere. Libertatem ab auctoritate humana ac ſcholis eam dico, qua ex recta ratione philoſophantes licet a ſecta Philoſophorum quacumque diſcedere, & Eclecticorum in morem philoſophari. Tenes, Pantaſcope, quotuplex ſit philoſophandi libertas?

P. Niſi lapide ſilice ſtultior ſim.

E. Ageſis nunc cedo, quænam iſthæc eſt philoſophandi libertas, quam ego in Anglis commendo, deſidero vero in Italia?

P. Primam non opinor.

E. Opinor narras? non recte accipis: certa res eſt: nam qui eam libertatem Italis ineſſe negat, is negat & Britannis,

nis, nisi si tu putes Britannos aliud esse hominum genus, aliaque natura præditos, quam sunt Itali. Præterea eam libertatem Metaphysicæ meæ *propositione LXXV.* (a) asserui. Tandem quum libertatis hujus intime sim conscius, qui, quæ ratio & voluntas suaserit, ago, puternque nihil a me humani, quod insit in ceteris Italis popularibus meis, alienum esse; qui me prædicant hanc libertatem in Italia desiderare, ii insanire me solemnia etiam prædicent necesse est.

P. Ajunt te interno naturæ nostræ fato hominum voluntates subjectas prædicare: appetitiones in nobis erumpere velimus nolimus; ac quæ sunt ejusdem generis.

E. Faciunt imperite, Pantascope. Oportuit enim appetitiones a voluntatibus distinguere. Illæ naturæ sunt, quæ nequeat iis non tangi, quæ sibi aut consentanea, aut adversa videntur. Hæ electionis, qua appetitiones regimus ac moderamur. Quo modo (nam utor hoc Platonis exemplo libentissime) Equi est quidem vis *atque impetus*: sed frena aut laxare, aut cohibere equitis. Præest igitur naturæ ratio atque dominatur. In illa impetus est: in hac consultatio, deliberatio, libertas denique.

P. De secundo igitur libertatis genere intelligunt fortassis qui te accusant.

E. Egregie prorsus! qui id mihi imputari queat, quum mentem meam luce clarius meridiana in epistola ad lectorem explicuerim? videsis, Pantascope, ne id sit non judicare, sed calumniari. Sed quoniam & hæc libertas duas habet partes, alteram, qua capita religionis publice susceptæ impune in disputationem revocare, deque iis scholarum in morem in utramque partem disserere nefas non habetur: alteram, qua licet impune ab illis desciscere, si minus alicui recta videantur, dic obsecro, qua de parte me accusant.

P. Fortassis de utraque.

E. Atqui si id ita est, ut narras, me isti non errare, sed pueriliter ineptire volunt. Nam qui primam partem aut in Anglis admirer, aut in Italis desiderem? neque enim puto me tam esse rerum nostrarum imperitum, qui ignorem continenter, qua privatim, qua publice, qua voce, qua sciptionibus, in scholis, in concionibus, hinc inde dogmata nostræ religionis agitari, & adversus eos, qui aut

toti

(a) *Spectat primam hujus operis editionem.*

toti Christianæ Religioni, aut nomini Romano adversantur, defendi? Hanc scholarum libertatem, hunc morem, tantum abest, ut Ecclesia nostra damnet, ut approbet potius, & commendet. Sic enim per ludicra ad veras cum Atheis, atque Hæreticis pugnas ingenia exerceri intelligit. Neque eam ob rem sibi & doctrinæ suæ metuit; secura est enim VERITATE, quæ dum teritur, longe lateque splendidior evadit. Per summum igitur nefas hanc nobis calumniam imponunt quicumque ab Ecclesia Romana desciverunt. Muhammedanismi hoc proprium est, Pantascope, severis legibus cavere, ne susceptam religionem ulli liceat examini subjicere, ne si id fiat, vaferrimi impostoris ineptiæ detegantur. At religionis nostræ quum auctor sit Deus, id est SUMMA RATIO, is voluit *obsequium nostrum esse rationabile*, id est *cogitando adsentiri*, quæ est fides, quemadmodum Augustinus loquitur. Voluit nos, non uti inertia pecora trahi, sed intelligere *& probare spiritus, utrum a Deo sint*, (scilicet facta ad liquidum perducere, quibus nostræ Religionis demonstratio continetur, *& scripturas scrutari*, *& pseudoprophetarum fraudes investigare*, quæ est vera illa libertas, in quam Christus Servator noster, idest Dei *ratio & sapientia*, quæ tenebras hominum omnium dispulit, adseruit. An hæc unquam Ecclesia catholica divini spiritus interpres prohibuit? nubem testium proferre possem (1), nisi id supervacaneum esset, & tu brevitati ut studerem superius monuisses.

P. Alteram ergo exigis partem.

E. Hem! Egon istuc optarem? qui enim isthanc libertatem, non dicam in Italia, sed ubilibet gentium exigit, is rempublicam, & genus hominum funditus eversum iri cupit. Is præterea religionem Christianam ex orbe exterminari optat: quumque nulla sit alia vera religio, is una opera Atheismum regnare vult. Etenim si ea detur libertas, jam adolescentes novarum rerum percupidi & singularium opinionum amantes, jam scioli, qui per fas nefas litterati videri volunt, jam facinorosi homines & perditissimi, quibus exleges vivere volupe est: jam factiosi, qui omnia dissidiis agitari cupiunt, & id genus omne scelestorum,

(1) Nimirum eos omnes qui in morem agitarunt, quorum multi ipsa Ecclesia Catholica præcipua etiam sanctitatis fama sunt illu- Religionis capita Academicum in stres.

rum, infinita novare, vetera instituta, legesque publice & sanctissime traditas subvertere, omnia in partes trahere molientur. Ita primum religionem, mox etiam rempublicam pessumdabunt. Hanc ego, qui nihil a me non humani modo, sed etiam christiani alienum esse puto, ut in Italia libertatem cupiam, hanc ut ullibi admirer? quam ne in republica sua quidem Plato toleravit (1)? nisi insaniam. Avertat Deus omen. Nam si societatis tranquillitatem litteræ perturbaturæ sunt, infelices litteræ, & omni barbarie deteriores. Præstat enim, Pantascope, pecudem esse, quam hujusmodi Philosophum, qui religionem atque hominum societatem funditus eversum iri quærat. Non est enim hæc libertas, nec sapere, sed desipere: nempe non potest nec religio a sapientia separari, nec sapientia religione secerni: quia idem Deus est, qui & *intelligi* debet, quod sapientiæ, & honorari, quod est *religionis*, inquit perelegantissime Lactantius. Sed (quamquam *invita in* hoc loco versatur oratio) temperari mihi *nequeo, quin dicam*, mirari me valde, eos, quibus meæ docendi rationes probe sunt perspectæ, id de me, non dicam dicere, sed cogitare potuisse. Qui enim in scriptionibus meis continenter declamo, mentem nostram suapte natura esse brevem; esse imbecillem; infinitis errorum caussis quasi obsideri; falli nos ab effræni sciendi cupidine; falli a nostri ipsorum amore, adfectibusque plurimis, qui inde nascuntur; cavendum a temeritate judicandi; neminem tuto soli prudentiæ suæ fidere; sed consulendum omni in re communem sapientum sensum; timendum nobis a subdolis quibusdam judiciis, quæ nobis plerumque vel invitis incessunt; pauca esse naturali rationi pervia: sapientiam a Deo petendam; de Deo vero rebusque divinis ex rebus atque notionibus nostris non esse judicandum; in religione nostra id verum, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; in eamque ingredientes, oportere intellectum Dei rationi, & verbo submittere; recolendam egregiam illam & pene divinam Platonis legem, fas non esse adolescentes & juvenes in patriam religionem inquirere, sed has curas publicis religionis ministris relinquendas; qui hæc, inquam, continenter declamo, ut eam in Italia philosophandi libertatem optem, eam ut ullibi admirer? Si id ita se habet, non solum

(1) Cavit Plato, ne in sua repub. adolescentes in patriam religionem inquirerent.

solum vivus videnſque, ſed prudens etiam ſcienſque inſanio.

P. Ne te crucia, obſecro, Euſebi. Scio te virum ab infantia in Chriſtiana pietate innutritum tetrificis his imaginibus horrere. Sed fortaſſis levitate quadam juvenili id ſcripſeris.

E. Me juvenilis levitatis ut omnino vacuum prædicem, impudentiæ fuerit, Pantaſcope. Sed hoc tamen in loco confidenter me hujus vitii abſolvo. Nec dubito quin æque me abſolvant accuſatores ipſi mei, ſi ingenui eſſe velint: illi quæ ſcripſi, ego quæ cogitavi dum recolamus.

P. Quam ergo libertatem exoptas in Italis Philoſophis, atque fruſtra, ut dicis, deſideras?

E. Nempe eam, Pantaſcope, quam tute ipſe intelligis: eam quæ ab auctoritate humana eſt: eam, quam perelegantiſſimis Horatii verbis deſcribere ſolemus,

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cumque rapit tempeſtas deferor hoſpes.

Eam, quam in omnibus exigit Lactantius, ut quiſque ſuopte judicio ſuiſque ſenſibus nitatur ad inquirendam atque perpendendam veritatem, quam alienis credens erroribus decipiatur, tamquam ipſe rationis expers: eam, qua non veremur a ſuſcepta ſemel Philoſophorum ſecta deſciſcere, ſi minus recta videatur: eam, quam veri amator Plato, veluti a Deo incitatus, inquit Clemens Alexandrinus, his verbis prædicat, *ego*, ait, *ſum ejuſmodi, ut nulli alii credam, niſi rationi, quæ mihi conſideranti optima viſa fuerit* (a): eam, qua confidenter vel graviſſimorum Philoſophorum errores detegere conamur, & confutare: eam, qua fit ut tumida illa & reſonantia nomina Pythagoræ, Democriti, Platonis, Ariſtotelis, Gaſſendi, Carteſii, Lockii, Newtoni, Leibnitii, Wolfii, & innumera alia, nihil ponderis ſententiis addere credantur, ut Philoſophis imponant, ut etiam ſine ratione valeat auctoritas: eam tandem, quam Potamonici, ſeu Eclectici tuentur, ut ſingulis in rebus non unius Philoſophi etiam doctiſſimi opinionem, ſeu ad experimenta, aut rationem, aut auctoritatem, quæ falli nequeat, exquiramus. Tenes nunc qualem libertatem philoſophandi amem? qualem commendem? qualem in ſcholis pleriſque, & juventute Italiæ exigam?

P. Flu-

(a) *Clemens Alex. lib.* 1. *Strom.*

P. Flumine quasi verborum obruis me, Eusebi. Ego te in hac familiari disputatione paullo pacatiorem amarem. Nollem te intumescere, atque cothurno delitigare.

E. Difficile est, Pantascope, orationis impetum continere, dum natura ipsa nullius sibi criminis conscia ad sui defensionem nititur: neque enim aliud est majus certiusque insontis animi argumentum atque indicium. Quippe qui aliquid sibi consciunt, culpa pallent, atque obstupescunt, ut nullum verbum proloqui possint: nullam caussam, ineptam saltem, falsam, iniquam, excogitare audent.

P. Persuasisti itaque mihi hanc te libertatem cupere, prorsus, ut a me suspicionem omnem de te amoveris. Quid autem si id non æque, nec recte cupias?

E. Quonam id dicis modo?

P. Nempe, quando tumidum os deposuisti, non video hanc libertatem aut umquam Italis Philosophis defuisse, aut nunc deesse.

E. Quæstionem moves ancipitem. Quæri enim posse videtur, defuerit ne hujusmodi Italis libertas superiori tempore ad initium usque præsentis seculi? deinde desit ne etiamnum? quod spectat ad primum, haud dubium id quidem est. Qui historiam Italiæ litterariam legerit, is pernoscet profecto, ex eo tempore, quo Arabico-Peripatetica Philosophia Europam invasit, ex genio Aristotelis plerosque omnes Italos philosophatos esse. Quum autem nihil ignorasse, nihil errasse Philosophus ille Stagiræ videretur, is illis erat & dux, & ratio. Quasi nempe Deus, ut gravissimus Philosophus jocatur, quum ceteros homines ex molliori argilla finxisset, & duabus manibus, ac duobus pedibus instruxisset, Aristoteli curam commiserit, ratione illos ut ornaret. Itaque Aristotelis opinionem aperte oppugnare, capitale erat: tantum interpretari fas. An ignota loquor? quid attinet convicta rebus verbis probare? vel unius Launoii de varia Aristotelis fortuna libellum legere satis superque erit. Non igitur inscite Georgius Hornius libro historiæ philosophicæ sexto scripsit, *Italos Aristotelem superstitiose coluisse, hodieque colere*. Non ignoro decimo quinto, & decimo sexto seculo plures Italos, in primis Marsilium Ficinium, Franciscum Patritium, Bernardinum Telesium, aliosque, cœpisse Aristotelis jugum excutere. Sed primum an publicarum scholarum, Theologorum maxime, qui ex hujus Philosophi genio res sacras docebant,

cebant, vultum immutarunt? Deinde non nos in philosophandi libertatem vindicarunt, sed præ Aristotele, Platonem ut adoraremus exemplo suo adigere conati sunt: quum incertum sit, uter auctoritate sua bonæ Philosophiæ & Christianæ religioni nocuerit. Certe quod ad postremum spectat, utrumque veteres recentioresque Theologi accusant: ita ut Nazianzenus non minus facundiæ Platonis præstigias, quam Aristotelis pravum artificium, tamquam Ægyptia quædam flagella in Ecclesiam invasisse, gravissime queratur (1).

P. Esto, quod narras, Eusebi. Sed an etiam nunc hæc libertas in Italia desideratur?

E. Si publicas Italiæ scholas specto, non hercle, saltem in præcipuis. Sed si privata quædam claustra lustrare placet, quotusquisque eclecticam hanc philosophandi rationem sectari invenietur? Nondum enim ex magna Italiæ parte Arabum barbaries disterminata est: vivit quinimmo vigetque vel in tanta Europæ luce. Nimirum plures adhuc sunt, qui, ut Philosophus ille Luciani sesquipedalem impexamque barbam, ita isti philosophiæ ineptias & dehonestamenta perdite amant, quos si deponere jusseris, illacrymantur. Neque is ego sum tantum, qui hæc observo: Antonius Muratorius, vir litteris & judicio tota Europa celebratus, hoc idem servile in Italis ingenium arguit, quamquam alias acumen atque nativam Italorum solertiam passim prædicat. Sic enim habe, Pantascope, nullam esse in Europa nationem, quæ quum in aliis, tum potissimum in litteris Italos superare aut æquare posset, si serio tandem germanæ philosophandi rationi animum intenderemus. Ex paucis Italorum libris demonstrari id posset, si esset opus. Confidenter dico, pauca esse apud alias nationes in litteris, quæ hodie commendantur, & approbantur maxime, quorum prima semina non suppetierint Itali. At jacet nunc illa Italorum generosa indoles, & tamquam iners despicitur. Nihil apud nos, nisi externum sit, suspicitur. Ruimus jamdudum in vile servitium. Pauci qui id agnoscunt, ingemunt morbo longe lateque grassanti, & con-

(1) Referti sunt hujusmodi accusationibus libri Clementis Alexandrini, Lactantii, Augustini de Civitate Dei, aliorumque veterum Christianismi Theologorum. Legatur & S. Epiphanius hæres. LXXVI.

tenti apud se sapere, sententiam tenent, linguam cohibent.

P. Bene habet, Eusebi. Priorem accusationem ita diluisti, ut nemo posthac friguttiat. Sed quid ad illa? quod libros publice damnatos laudes, & in iis egregie gloriari videris? aut enim gloriolæ hæc tumorem, aut certe animum non sanum ostendunt.

E. Me fortassis gloria aliqua litterarum, & sapientiæ vehementissimo desiderio tangi, haud negaverim, Pantascope. Nam quis non? ingenitum id est, mortaliumque animis a natura insculptum gloriæ, excellentiæ, imperii, sapientiæ, & beatitudinis desiderium. Hoc ne modum excedat efficere quidem possumus, evellere non possumus. Quinimmo qui ab animo humano desiderium hoc extirpatum volunt, ii etiam homines truncos facere, & crudos lateres volunt. Itaque facile amor laudis subrepere vel mihi invito ea in opella potuit. Interim ita me Deus adjuvet, ut nihil ea de re, dum scripsi, excogitavi. Qui me norunt, ii me alienum esse a puerili isthac jactantia sciunt. Quocirca quum libros laudo, aut id facio ut alios ad bonorum lectionem adhorter, aut ut eorum, quæ dico, testes habeam paratos.

P. Cavesis isthuc dixeris, Eusebi. An enim pium est lectores ad damnatorum librorum lectionem adhortari?

E. Librorum damnatorum, Pantascope, non una est classis, neque unum omnium meritum. Quidam sunt, qui religionis potissima capita aut evertere, aut in dubium revocare nituntur: alii qui mores depravare & rempublicam perturbare possunt: alii medii, qui licet aliquando in his errant, at numquam tamen ex instituto iis de rebus agunt, & qui, quum nullos habeamus in eo genere meliores, lectu sunt aut necessarii, aut utiles. Primi atque secundi generis libros nunquam adolescentibus commendaverim: quinimmo ne viris quidem, nisi gravissimis. Postremos, si per Ecclesiam liceat, cur non commendaverim? Itaque non vereor juvenes ad lectionem Galilæi, Cartesii, Malebranchii, Regii, Nicolii, Grotii, Pufendorfii, Cudwortii, Newtoni, Parcerkeri, Lockii *de intellectu humano*, aliorumque, dum per Ecclesiam, ut dixi, liceat, adhortari. Moneo tamen diligenter quæ sunt in his libris, a quibus cavere oporteat. An non idem egerunt veteres Christiani? Nam non idcirco Origenis, Tertulliani, Arnobii, Lactan-

ctantii, Eusebii libros urendos putaverunt, quod aliquæ essent in illis errata: imo Origenis Hieronymus, Tertulliani Cyprianus, lectione impense sunt delectati, quamquam non raro illi a Christianæ Religionis dogmatibus exorbitent.

P. Non te purgas, Eusebi: laterem lavas. Non videtur satis pium hujusmodi libros legere, & minus etiam laudare.

E. Legere igitur nemini eos licet? ne iis quidem qui adversus eorum errores scripturi sunt? ne si per Ecclesiam quidem fiat venia? Si id verum est, quid in Christianorum perstant bibliothecis? qui eos legendi Romana Ecclesia facit potestatem? Qui Theologi nostri eos refellunt, quorum, nisi legant, sententias ignorent oportet? perridiculi enim sunt, qui eos confutant libros, quos ne inspexerunt quidem. Bene autem habet, quod hanc caussam acute & erudite peroravit olim vir humanarum divinarumque rerum peritissimus Clemens Alexandrinus sub initium libri primi stromatωn.

P. Sed quid adtinebat eos commendare?

E. Rogo te, Pantascope, an eos commendo in iis, in quibus errant? an uspiam eorum errores probo?

P. Nemo id dixerit: quinimmo omni, quo potes, conatu, eorum errores confutas. Sed probas tamen eorum quædam aut acute inventa, aut egregie observata, aut feliciter demonstrata, aut accurate industrioseque collecta.

E. Beasti me. Quid ergo, quæso te, mali est, si id faciam? an ullum crimen est, naturæ dotes in inimicis nostris laudare? nam si non licet Anglum vocare doctum, nec Anglam pulchram dicere licebit. Id vero est Dei dona hominibus invidere. Ego, Pantascope, sic sum a natura comparatus, ut vitia, errorem, ignorantiam vel in nostris averser; virtutem vero, & eruditionem vel in hostibus laudabilem putem. Ita quoque veteres Ecclesiæ Patres, & recentiorum Theologorum doctissimi me docent. Illi enim non dubitarunt Gentilium farragine libros suos ornare, & quæ Philosophis ratio patefecerat, aut vetus traditio ostenderat, tamquam a furibus repetere, ut Clemens Alexandrinus in primo Stromatωn loquitur. Pleni sunt Philosophorum sententiis Justini, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Gregorii Nysseni, Basilii, Hieronymi, Augustini libri, virorum nempe doctissimorum, & magna ex parte sanctissimorum. Id ipsum ætate nostra

egerunt Dupinus, Simonius, Lamy, Mabillonius, Bossuetius, Calmetus, aliique, dum Erasmum, Grotium, Buxtorfium, Cappellum, Vossios, Bochartum, Clericum, aliosque, & Hebræos potissimum, passim laudant, atque commendant. His addi possunt Neapolitani plurimi litteris clari, Aulisius, Vicus, Nicolaus Cyrillus, Mazochius, Josephus Cyrillus, Johannes Capassus, Milante, aliique. Quid? Scholastici omnes, ipseque Thomas Aquinas, vir non litteris modo, sed sanctitate etiam illustris, nonne Aristotelem, Averroem, Avicennam, aliosque viros aperte impios (*a*) laudant, & ita ut nihil ferme aliud eorum singulæ paginæ crepent? Miror mihi crimini verti posse, quod in aliis non improbatur.

P. Videris nimium admirari auctores, quos citas.

E. Non ita tamen ut Aristotelem Scholastici. Sed quis id Eclectico Philosopho objicere possit? quis mihi, qui animadverterit, me Spinozæ toto opere, Hobbii passim, non raro Bælii, Mori, Lockii, Clarki, Newtoni aliorumque sententias confutare, addereque eos *dormitare* plerumque, *ineptire*, non sibi *constare*, non solide *ratiocinari*, in quibus urbanitatis leges (1) mihi plerumque excessisse videor? Jam vero, quod aut doctos, aut eruditos appello, quod *egregie*, *perspecte*, *accurate quædam observasse aut demonstrasse* scribo, an id nullum est crimen? memini ego Clementem Alexandrinum passim hæc usurpare, *divinus Plato*, *bene ac divina Heraclitus*, & quæ sunt his similia. Sanctum Augustinum nobilissimum Philosophum vocat Porphyrium, quum tamen nemo fuerit Christianæ Religioni infestior. Quid? homines idcirco sunt bardi, & trunci habendi, quod aut nativitatis, aut educationis, aut ignorantiæ, aut etiam malitiæ caussa a vera religione sunt extorres? nullusne igitur erit aut egregius Pictor, Sculptor, Nauta, Architectus; aut Geometra, Philosophus, Medicus, Philologus apud eos, qui in Italia non sunt nati? Videant ne hæc dum prædicant, nos exteris nationibus deridiculos faciant. Sed age, Pantascope, dic, scis qualem Ecclesia nostra habuerit Origenem?

P. Nempe plurimorum in religione christiana errorum auctorem (2).

E. Eum

(*a*) *Vide Walchium de Atheismo Aristotelis in Parergis*.

(1) Vir dignitate & literis Neapoli clarissimus amice ea de re auctorem monuit, quod inurbanum id esset.

(2) Damnati sunt Origeniani in V. Synodo Œcumenica.

E. Eum tamen Hieronymus non veretur doctissimum appellare, & *secundum Apostolos Ecclesiæ magistrum*. Præterea Tertullianum quantis laudibus ornat Vincentius Lirinensis in Commonitorio (1)? Viros doctos, & eruditos appellat Augustinus Faustum, & Pelagium. Et, ut vetustos mittam, idem facit Bossuetius cum Melanchthone; Mabillonius cum Episcopio, & Grotio, quos *impense doctos* vocat, aliique cum aliis.

P. Sed utcumque hæc æstimentur, quid adtinebat argumenta quædam impiorum propriis illorum verbis, & nativo colore in vulgus efferre? Satius enim est hæc errorum monstra silentio sepelire, atque ex hominum memoria oblitterare.

E. Recte id tu quidem, Pantascope, si nulli hodie essent, qui ea defenderent, aut vulgarent. At quando hujusmodi errorum Patroni vel in ipso Christianismo (infandum!) non desunt, deesse oppugnatores, turpe est. Oppugnare autem impios nemo rite instituit, qui, quæ illi pro re sua proferunt, non satis diluerit: jam vero qui integra adversariorum argumenta diluisse dici potest, qui aut ea dolo malo dissimulat, aut non integra exhibet, aut narrando elevat? manifesto enim veram caussam produnt; aut ei diffidere videntur, qui ita adversarios impugnant. Nos autem talem habemus cum impiis caussam, quam nec prodere fas est, & cui diffidere, nisi inertes simus & ignavi, non possumus.

P. Potest aliquis his argumentis abuti.

E. An ulla culpa erit Scriptoris? eja ergo, si ita est, urantur Prophetarum, Apostolorum, Sanctorum libri. Nullus enim eorum est, quo non sit aliquis abusus hæreticorum, dum errores suos confirmaret. Quis in animum induxisset suum, Spinozam, & Tolandum eo insaniæ evadere potuisse, ut Pantheismum auctoritate Prophetarum & Apostolorum velleat probare? evaserunt tamen. Quis sibi persuasisset Hobbium Dei corporalitatem, Codwardum animi mortalitatem ex Scripturis Sacris, & veterum Christianorum libris demonstrare conaturos fuisse? conati sunt.

S 2 Abu-

(1) Sed, *inquit*, & Tertulliani quoque eadem ratio est. Nam sicut ille (*Origenes*) apud Græcos, ita apud Latinos nostrorum omnium facile Princeps judicandus. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? (Commonit. cap. XVII. vide & capite XVI. judicium de Origene).

Abutebantur olim Donatistæ Cypriani sanctissimi & doctissimi viri libris: alii Origenis: alii Tertulliani; alii aliorum: ætate prope nostra Augustini, Jansenistæ. Quid ergo? an Moses, Salomon, Daniel, Paulus, Cyprianus, Augustinus, quod aliquid scripserunt, accusandi? In Salomonis præterea Ecclesiaste, in Syrachidis Sapientia, quædam etiam Atheorum argumenta proferuntur. Integras Celsi adversus Christianismum argutationes exhibuit Origenes; Juliani Cyrillus; Porphyrii aliorumque Eusebius; Fausti non modo argumenta, sed vel verba, tum & Pelagii, Juliani, Maximini, aliorumque, Augustinus. Facit idem cum hæreticis ferme omnibus Bellarminus, ut ne quid dicam de aliis innumeris. Abutuntur his nunc plurimi. Quid? an auctoribus crimini vertendum? quid, quod mortales passim ipsius Dei O. M. operibus abutuntur? Sic ergo habeto, Pantascope, nihil esse, quo perditi viri abuti nequeant, & bonos etiam malis recte uti. Sed missa hæc faciamus, videamusque quid porro mihi objiciunt: nam priores illas accusationes satis, ut arbitror, habes explicatas, atque moderatione magna confutatas. Quod si quis est, qui dictum in se inclementius existimavit esse, quod certe non recolo, sic existimet, responsum, non dictum esse; quia læsit prior.

P. Mihi paullo fessus dicendo videris, Eusebi. Quare ut hæc in crastinum diem differantur, auctor fuerim.

E. Differantur, quando tibi ita placet.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER

LIBER SECUNDUS,

In quo Scepticismi accusatio diluitur, Scepticorumque argumentis respondetur prolixius.

E. QUid te subtristiorem aspicio, Pantascope? noluerim te hoc potissimum die, quo mea causa peroranda est, non satis ex animo esse.

P. Vereor ut possis sceptici notam purgare, Eusebi. Itaque quod tibi metuam, palleo.

E. Hem! nunc isthaec tibi incessit religio? gratias habeo. Sed nae egregii isti sunt dialectici, qui me accusant! Qui enim Scepticismum esse, aut ludicrum, aut insaniam, ita probavi, ut theoremata ipsa Geometrarum non probentur evidentius, scepticus audio; cur non etiam spinozistam vocant, quod Spinozismum confutaverim? non enim inanis est timor: quippe vetus est mos, eorum litteratos viros errorum insimulare, quos vehementius oppugnaverint. Quis crederet de Roberto Bellarmino viro doctissimo, & vitae integerrimo, scribere ullum potuisse, *atheus est*? scripsit id tamen Scaliger, vir certe doctus, sed paullo impudentis oris. Bene autem habet, quod apertae calumniae ipsae sese confutant. Ceterum quando ita placet, propius obsecro, pressiusque rem agamus. Primum rogo, negant me Scepticismi genera quaedam statuisse?

P. Non hercle. Nam & *moderatum*, & *effraenem* Scepticismum dispescuisti.

E. Quem igitur me scepticum esse ajunt, moderatum ne, an effraenem?

P. Fortassis utrumque.

E. Tenes ne quid respondeas? nam qui me effraenem facit scepticum, is qui faciat moderatum? Sed an est ullus tam impudens, ineptusve, qui eum mihi errorem tribuere queat, quem toto opere vehementissime evertere conor? vix est ut mihi persuadeam, id de me ulli in mentem venire potuisse, cui, aut ego, aut liber meus non penitus est ignotus. Apage, Pantascope, non id efficies, ut hoc de adversariis meis opiner.

P. Fieri potest ut animum tuum non plane noris: difficile est enim illud, *nosce te ipsum*, id est animo ipso animum videre.

E. Certe si hæc, quæ tu narras, vera sunt, ut Sosia ille Plautinus exclamem, oportet, *Dii immortales, obsecro vestram fidem, ubi ego perii? ubi immutatus sum? ubi ego formam perdidi? vivo fit, quod numquam quisquam mortuo faciet mihi!*

P. Atque id de *amico* audivi.

E. O Pantascope, bene illo proverbio Græcorum præcipitur, *quam quisque norit artem in hac se exerceat.*

P. Quid si te moderatum scepticum habent?

E. Habet & sic Scepticismus gradus suos. Sunt qui nihil ratione naturali certo sciri posse contendunt: itaque ad solam revelationem, tamquam in tutum portum, confugiendum docent. Illi & auctoritatem quoque humanam penitus excutiunt. Hujusmodi, præter alios, fuere Petrus Daniel Huetius in libello *de imbecillitate intellectus humani*, & Hieronymus Hirnhaim Bohemus in libro, quem inscripsit, *de typo generis humani.* Alii vero *pauca lumine naturali*, pauca auctoritate humana sciri volunt; *revelatione* vero ea tantum, quæ fidem, spem, & mores nostros spectant. Quidam paullo plura ratione naturæ, auctoritate humana, & divina revelatione certa esse pronuntiant. Sed addunt infinita pene esse, quæ ratio, & sensus non attingunt; infinita in historia, aut ignota, aut incerta: infinita in ipsis libris Sacris, atque in Theologia, quæ intelligi, aut definiri ingenio, & judicio nostro nequeunt sine temeritate, & quorum intellectum à Dei spiritu orare debeamus. Atque in his postremis nomen profiteor meum. Sciant ergo qui scepticus ego sim. Nempe non tantum effrænem scepticismum insaniam esse censeo; sed vel ipsius moderati primum secundumque gradum nec sanum puto, nec rectum. Quod quibus rationibus ostendam, audi. Primum, qui nihil sensibus, nihil ratione, & conjectura, nihil auctoritate humana certo comprehendi posse docent, ii revelationem quoque omnem subvertunt. Scilicet, si sibi consentanei esse volunt, conficient, nec Prophetas & Apostolos olim certos esse potuisse Deum sibi loqui, nec nos hodie esse, si illi non fuerunt. Nam illi nec ratione, nec sensu, nec auctoritate ulla humana niti poterant, si hæc sunt vera, quæ isti disputant. Quid ergo? an Deum sibi loqui revelatione divina discebant? revelationem vero auctoritate divina? & divinam auctoritatem revelatione? non puto ullum esse, qui sic ineptiat. Qui igitur pri-

mum hunc Scepticismi gradum tuentur, ii profecto extremes sunt sceptici, si recte concludo. Deinde alter Scepticismi gradus, licet nullo modo damnari possit ut impius, minus tamen verus est. Nam si sensibus, ratione, conjectura, auctoritate humana, atque revelatione, pauca sciri posse isti non refragantur; facile est demonstrare, non ea tantum sciri posse, quæ vitam & religionem attinent, quod contendit Lockius, sed plurima quoque alia, aut utilia, aut curiosa. Nam, ut mittam quæ lumen naturæ spectant, si tam pauca in libris sacris clara sunt & certa, reliqua vero innumera densis tenebris involuta, videbitur frustra Deum curasse, ut illa scriberentur. Nam si illorum verba tam obscura sunt, ut intelligi nullo modo possint, ea divinæ voluntatis signa haberi non possunt, quandoquidem Deus tam bonus est, ut dum nobis loquitur haud dubium velit a nobis intelligi: quod si intelligi non vult, nulla est caussa cur loquatur. Hæc autem non impediunt, quominus in his libris quædam reperiantur, quæ aut nunc non satis intelliguntur, ob rerum vetustatem; aut ad cælestem civitatem spectant, & captum superant humanum, quæque idcirco credere satius est, quam investigare.

P. Fortassis & hic, quem tu profiteris, Scepticismus, censoris eget, & judicis.

E. Non video cur ab homine, qui nihil a se humani alienum putat, Scepticismus hic, seu potius modus, ac modestia, improbari possit: nisi si quis nihil se ignorare opinetur, satiusque habeat quidvis effutiendo nauseare, quam ingenue profiteri, se nescire, quod nescit (1). Præterquam quod nemini crimini verti potest aut plurium rerum ignoratio, aut mentis brevitas, aut etiam error intellectus, modo omnis absit dolus malus, & pervicacia: nisi etiam in iis peccare nos quis velit, quæ nullo modo in animi nostri potestate posita sunt. Sed longiori disputationi hic se occasionem præbere video, a qua, ne sim molestus, temperandum mihi est.

P. An tu, quum me in summam expectationem adduxeris, deseris? perge itaque obsecro: voluptas enim mihi est te, his præsertim de rebus, disserentem audire.

(1) Aureum hoc Aristotelis lib. 2. de cælo & mundo. *Enuntiare de omnibus, & prætermittere nihil, signum videri potest magnæ stultitiæ.*

E. Intellectum nostrum vim esse, atque facultatem necessariam, scitum est, dictatumque in Philosophorum scholis. Quamquam id non recte Cartesiani mihi accipere videntur, qui actiones & judicia animi nostri non ad intellectum, sed ad voluntatem referendas esse opinantur. Est enim & intellectus (quidquid ille sit, quod haud dubium ignoramus) αὐτοκίνητος, ut Platonis vocabulo utar, activa scilicet, & sese perciens facultas. Quin immo quum voluntates sint mentis determinationes quædam, quæ a perceptionibus pendent, qui intellectui omnem negant actionem, perceptionesque, aut ideas nostras a Deo, aut ab *extrinseca* alia caussa derivant, ii omnem animo actionem denegant, eumque proinde esse ullum in nobis, si sibi consentire volunt, inficiantur; quod rationi æque atque revelationi adversantur. Quamobrem intellectus eam ob rationem necessaria facultas est, non quod perceptiones & cogitationes, actiones qualescumque (nam & harum naturam ignoramus) *non* sint; sed quod non ipse se ad internum assensum *aut dissensum* agat, sed rationum agatur momentis atque ponderibus. Perceptionum nempe aut evidentia & certitudo, aut probabilitas intellectum huc illuc impellunt: adversus hæc *pondera* niti non potest. Sed ut hæc plenius intelligantur, paullo prolixius deducam. Sunt animi status, quod ad rerum cognitionem attinet, omnino quatuor, *ignorantia*, *dubium*, *probabilitas*, *seu opinio*, & *certitudo*: quæ & ipsa duplex est: nam aut cum evidentia est conjuncta, aut ea destituitur. Ea ignoramus, quorum nec sensibus ullas, nec ratiocinio & conjectura, nec auctoritate, nec ulla alia via notiones aut habere possumus, aut habemus. Dubitamus autem iis de rebus, quarum quidem notiones aliquas habemus, sed eæ sunt hujusmodi, ut earum ope nec adfirmare aliquid certi, nec negare valemus, idest quum aut neutra ex parte momenta, quæ animum impellant, præsto adsunt, aut ex utraque æqualia. Opinamur vero, si ex alterutra tantum parte rationes adsint, non certæ tamen, neque evidentes, ut animum plene impellant: aut ex utraque, sed alterutra graviores. Certi autem sumus, quum nullæ de judiciis nostris suspicandi rationes animo obversantur; seu quia certa auctoritate impellimur; seu quia perspicua perceptione, & ratiocinatione occupamur; & illa quidem certitudo fides, hæc autem scientia appellatur. Est prætere*a certitudo* aut cum veritate ipsa consentiens, aut non;

certi-

certitudinem autem appello hanc animi constitutionem, non rem ipsam. Nam quædam fortassis judicia videri nobis possunt certa, quamquam falsa, idcirco quod ob mentis brevitatem de iis dubitare nesciamus. Hinc fit, ut quædam uni sint certa, alteri incerta. Tenes, Pantascope, quot sint animi status, quod ad cognitionem spectat?

P. Teneo. Sed quorsum hæc pertinent?

E. Nempe ut intelligamus, quod quemadmodum intellectus in statu certitudinis nullam habet internam libertatem ut a certo, & evidente dissentire possit; ita nullam habet in dubio, ut in alterutram partem se inclinet: aut in opinione ut minori potius, quam majori cedat momento. Est quidem animus noster in eo liber, ut possit investigare rationes, quibus a certitudine, dubio, vel opinione dimoveatur: ut etiam in dubio ac opinione sese aliquo impellat: ut agat denique, aut cesset: at ut non sit certus, dubius, vel opinans, dum est, id vero est, quod efficere nullo modo potest. Idipsum de ignoratione dictum volo. Possumus equidem ut sciamus inquirere: at si diligente inquisitione nihil repererimus, tum ignorantia nostra crimini verti non potest. Quæ quum sint, ut non videor reprehendendus, quod quæ ignoro, aut de quibus dubito, aut opinor, dicam me ignorare, aut de iis dubitare, vel opinari, nisi si aliquis velit ea me scire, quæ nescio, aut quæ nullo modo ab hominibus sciri possunt. An ullum est crimen ejusmodi ingenuitas, maxime si ex ea nulla in republica mala proveniant? Alioqui non ignoro & ignorantiam caute tegendam, quum ut ea tegatur illa ipsa jura efflagitant, quæ cavent, ut & veritas quandoque profanum vulgus celetur. Sed philosophandum non est apud tunicatum, ut ait ille, popellum: sapientia edisserenda est inter perfectos. An tu disciplinæ Pythagoræ es oblitus? In his porro, Pantascope, Lactantii illud libentissime usurpo: *Ubi*, inquit, *Sapientia? ut neque omnia te scire putes, quod est Dei; neque omnia nescire, quod est pecudis: est enim scientia nostra cum ignoratione conjuncta & temperata*.

P. Non probo hæc adolescentibus inculcari: tardiores enim in philosophando evadunt.

E. Non probas? ii demum tibi probe, perfecteque tirones erudire videntur, qui sub initium magna sapientiæ confidentia imbuunt, inflantque? qui montes, ut aiunt,

Per-

Persicos pollicentur? qui verba verborumque involucra pro sincera scientia venditant, atque incautis propinanda præbent? qui captum humanum ultra quam par est provehunt, atque arrogantes, temerarios, & omnium contemtores discipulos dimittunt? o Pantascope, memineris capacitatem mentis nostræ ad earum rerum numerum, quæ sunt, comparatam esse veluti unum ad infinitum: memineris scientiam nostram cum Dei sapientia collatam veram esse ignorantiam; memineris gravissimi illius Philosophorum moniti, multos ad sapientiam perventuros, nisi ad eam se pervenisse putarent. Quod ad me attinet, malo auditores meos imbecillitatis suæ & ignorantiæ conscios efficere, quam inani spe, & sapientiæ opinione inflatos deludere.

P. Posset hic tuus Scepticismus religioni esse perniciosus.

E. Modus ac modestia (sic enim vocari illum velim, quem nescio cur tu Scepticismum vocites) pietati ut officiat? Si quidem ignorantiam aut dubitationem circa religionis dogmata affectarem, prædicaremve. At quum nihil mihi æque sit perspectum certumque, quam religionis Christianæ dogmata; & ignoratio mea ea spectet, quæ religionem non spectant; non video, cur religioni scepticismus iste nocere possit. Interim id scito, Pantascope, me, sicubi agnosco, hanc philosophandi rationem alicui nocere posse, non dubitare, aut tacere, aut dissimulare. Illud non dissimulabo, nihil tam cum pietate & sapientia pugnare, quam temeritatem; nec aliunde oborta tot errorum in Religione monstra, quæ tam late pervagantur, quam ex ea affirmandi prurigine atque adrogantia. Nostin illud Minervæ apud Ægyptios monitum? *Ego sum, quæ fui, quæ est, quæ erit: meumque peplum nemo unquam mortalium detexit*. Hoc ego præscriptum non in vestibulis modo templorum velim, Pantascope, sed cordium, atque eorum præsertim, qui ad rerum divinarum studia adgrediuntur. Tum scito probe & ex more auspicato eos ingredi.

P. Quidquid ejus sit, nondum tamen evicisti librum tuum insontem esse. Promovet enim aut effrænem Scepticismum, aut eum quo omnis rerum divinarum scientia everti possit.

E. Vide ne me non jure arguas, Pantascope. Te enim

parum

parum considerate hæc jactantem dixerit quicumque animadverterit, me geometrica ratione & via divinarum humanarumque rerum principia demonstravisse; præterea iis evicisse argumentis, Scepticismum insaniam esse meram, aut differentium ludos, quibus ne refractarii quidem refragari ausint. Scepticorum quidem argutationes retuli diligenter: id differentium officium est. At an ullibi Scepticorum argumenta probavi?

P. Non quidem probasti. Sed quum nimia vehementia & contentione protuleris, non æquali tamen vi, nec omnia particulatim confutasti.

E. Dei hominumque fidem obtestor, Pantascope, me scepticorum argumenta languidius etiam produxisse, quam ab illis proferri soleant: quod ii intelligent clarissime, qui vel solum Bælium consulent. Quod autem non pari vi confutavi, is mihi opponere potest, qui sciat validius aliter confutasse. Quod porro non omnia confutaverim articulatim, duæ potissimum fuerunt caussæ: Prior, quod quædam illarum objectionum locis suis aut confutatæ sunt, aut certe sunt refellendæ. Altera, quod convulsis Scepticorum fundamentis, cetera minoris momenti facile atque ipsa sponte sua corruunt, ut necesse non sit lectoris patientia abuti: non enim verba verbis sunt objectanda, sed res rebus. Sed quando profusior confutatio exigitur, sine, obsecro, me *prolixe* hæc retractare atque refellere; pernosces quam nullius momenti sunt, quæ prætermisi.

P. Tu vero perge.

E. Primum rogo, quum Sceptici conarentur ostendere nullum esse veritatis criterium, ostendi ne esse aliquod & in auctoritate humana, & in divina, & in sensibus, & in ratiocinio?

P. Ostendisti id certe. Sed argumenta Scepticorum quæ auctoritatem quum humanam, tum vero præcipue divinam evertunt, aut leviter, aut nullo modo attigisti.

E. Ego putabam, Pantascope, me totum argumentum §. quarti, quo auctoritas oppugnatur humana, 16. tandem §. confutasse. Eo enim in loco ostendo, consensum omnium gentium naturæ vocem quandam esse, adeoque certam hujusmodi rerum notam, quæ ab auctoritate humana pendent. Qua semel constituta, quis non ipse per se animadvertit, quam levia sint sophismata, quæ tanta verborum pompa demens isthæc hominum genus jactat?

P. Sed

P. Sed exempla Scepticorum non diluisti.

E. Quando ita placet, demonstremus, nihil esse in his exemplis, quod Scepticorum caussæ faveat. Fabula, inquiunt, aliqua persuaderi potest paucis: ergo & pluribus; ergo omnibus. Non sequitur, potissimum per diuturnum tempus: nam & plures acutius, quam pauci, vident: & commenta hominum delet dies, veritatem vero confirmat. Proferunt oracula: ea meras fuisse imposturas, omnibus interim persuasas, putant. Eam in rem Wandalio & Fontanellio auctoribus utuntur. Nullius momenti argumentum. Primum fatemur plures factas in *oraculis* fraudes: negamus autem eas perspicacioribus occultas fuisse. Philosophi omnes & viri paullo astutiores jam olim eas subodorati sunt, quod ipse Wandalius plurima veterum eruditione demonstrat. Scitum vulgatumque Demosthenis illud, Apollo φιλιππίζει. Sed & Dæmones se oraculis immiscuisse, non Gentilium modo Philosophorum auctoritate, potissimum Plutarchi, cujus liber *de oraculorum defectu* attente legendus est, sed & ipsorum, quæ feruntur, oraculorum natura, & auctoritate Scripturarum Divinarum, omniumque ferme veterum Ecclesiæ Patrum, hominum nempe nec facile credulorum, & doctissimorum consensione, demonstratur. Teraphim certe statuas fuisse, unde occulta vi responsa ederentur, diserte traditur Ezechieli & Zachariæ (*a*). Quam rem docte persecuti sunt Leo Allatius (*b*), Edmundus Dickinsonus (*c*), Georgius Moebius (*d*), Stephanus Morinus (*e*), qui consulendi sunt, ut Wandalii, Fontanellii, & Beckeri systema nullo certo stare talo intelligatur. Ergo seu oracula habeantur inposturæ, & quum detectæ fuerint Peripateticis,

Stoi-

(a) *Cap. X. v. 2. legatur Spencerus in differt. de Urim & Thummim cap. 3. sect. 7., & Ludovicus de Dieu ad Genes. XXX. v. 19.*

(b) *In Syntagmate de Engastrimita.*

(c) *In Delphis phœnicizantibus cap. 19.*

(d) *De oraculorum ethnicorum origine, propagatione & duratione.*

(e) *In differt. de oraculis & cur desierunt.*

Stoicis, Cynicis, Epicureis (*a*), nullum inde argumentum pro re sua desument Sceptici; seu Dæmonum fuerint ludibria, & falsum est fabulam universo hominum generi persuasam. Neutro modo ex hoc loco argumentari Sceptici possunt. Proferunt porro Muhammedanismum. Non recte, neque sapienter. Primum præcipua capita Muhammedanismi communia ei sunt cum omnibus religionibus, veluti, Deum esse, ab eo mundum factum, ab eodem conservari, nobis loqui per Prophetas, esse alteram vitam beatam vel miseram (*b*), & quæ sunt ejus generis, ut ex Muhammedis Koran patet. Deinde impostura hæc vi atque armis divulgata est, vi atque armis continetur. Doctrina enim est Muhammedanæ religionis potissima, religionem armorum vi refractario, ut inquiunt, hominum generi inculcandam; summusque ille dolorum opifex Mahumetes, nulla circumitione, sed diserte dicere ausus est, se, quandoquidem Moses, & Christus nihil doctrina, & miraculis egissent, ferro atque igne missum a Deo (*c*). Quid igitur mirum si a pluribus complectatur? Tum plures esse in ipso Muhammedanismo puto, qui etsi imposturæ hujusmodi sint conscii, tamen aut metu pœnæ, aut aliis de caussis a publice suscepta religione desciscere non audent (*d*). Præterea Muhammedanismum ipso esse Christianismo vulgatiorem, putidum est mendacium, in quo Bælii ingenuitatem desiderem. Quis enim ignorat exiguam Europæ partem obtinere, paullo vero grandiorem Africæ, nec tam magnam Asiæ? Sic enim puto, Pantascope, nullo modo Muhammedanos cum Christianis, qui ubique gentium magno numero exsistunt, conferri pos-

---

(a) *Lege Cælium Rhodiginum antiquarum lectionum lib.* 2. *cap.* 12.

(b) *Huetius in Alnet. lib. II. cap.* 24. *pag.* 238. *Relandus de Rel. Mah. Salmon in descript. Persidis, aliique.*

(c) *Passim in Alkorano. Legatur & Pridaux in vita Mahummedis.*

(d) *Salmon de Imperio Turcico tom. 6. & Ricaut.*

ri posse (1). Quod autem de Solone, Lycurgo, Numa addunt, religionem nempe commentos esse, vix confutatione dignum est. Nam ex veteri patet historia, patet a poetis, Hesiodo potissimum, & Homero, qui Lycurgo, Solone, Numa seniores sunt, religionem jam olim extitisse, quum isti leges darent. Quod si qui narrent, nationum fundatores religionem quoque commentos, ita intelligendum est, aut paucis aliquot & feris religionem naturalem explicasse, veluti Incas apud Peruanos (a), aut ab antiquioribus & cultioribus nationibus ad barbaros derivasse, ut ab Asia quum in continentis nostræ occidentem, tum in Americam (b). Ita quum auctor Titanomachiæ apud Clementem Alexandrinum in primo Stromatωn, ait de Chirone Centauro sapiente, quod is primus

Ad justum duxit mortalia secula, monstrans
Jusjurandum, & sacra Deum, cœlique figuram,

ita intelligitur ut aut rudibus quibusdam primus religionem dederit, aut quod eam morum feritate *depravatam repurgare* conatus fuerit. Quamquam id fabulosum habeo, quandoquidem Chironis alumnus Achilles non admodum religiosus fabulæ dicitur, qui neget sibi jura nata, nihil non arroget armis. Eodem modo quum Justinus scribit de Lycurgi legibus, *hæc quoniam primo, solutis antea moribus, dura videbat esse, auctorem earum Apollinem Delphicum* FINGIT .... *ut consuescendi tædium* METUS RELIGIONIS *vincat* (c): iis haud dubium religionem publice obtinuisse indicat: publice nempe religionis METU leges firmabat, quod sciebat fulcrum esse societatis religionem (2). Quo-

(a) *Vide historiam Peruanam Garcislassi.*
(b) *Lafiteau les Moeurs des Sauvages.*
(c) *Lib. 3.*

(1) De immenso Christianorum numero, qui sub Mahummedanis vivunt, præcipue in Syria, Chaldæa, Armenia, Georgia, ut ne quid dicam de Græcia, Wallachia, &c. legatur Salmon de Imperio Turcico. His adde eos, qui in Persidem, Indiam, & Sinas, tum vero & per Africam, Ægyptum potissimum, & Æthiopiam, tandem & per Americam utramque sunt sparsi.

(2) Sagaristio Plautinus Persa Act. IV. scena IV. rogat personatam virginem, ut munitum muro Athenarum oppidum ei videretur. Cui illa

Si incolæ bene sunt morati, pulchre munitum arbitror.
Perfidia & Peculatus & Avaritia si exulant,
Quarta Invidia, quinta Ambitio, sexta Obtrectatio
Septi-

ratiocinatur (*a*). Miraculis porro illis vera doctrina confirmatur: ergo aut a Deo, aut certe ab hominibus Dei jussu sunt facta. Divina est igitur doctrina illa hujusmodi miraculis probata. Nec horum miraculorum vim Gentilium miracula elevare ullo modo possunt. Primum enim et ipsi Gentiles miracula illa rident tamquam aut ficta, aut ipsius natura vi facta. *Sanguinem pluisse*, inquit secundo de Divinatione libro Marcus Tullius Cicero, *Senatui nunciatum est: atratum fluvium fluxisse sanguine: deorum sudasse simulacra. Num censes his nunciis Thaletem, aut Anaxagoram, aut quemquam physicum crediturum fuisse? nec enim sanguis, nec sudor, nisi e corpore. Sed & decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse, & humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus Austro sudorem videri. Atque hæc in bello plura, & majora videntur* TIMENTIBUS; *eadem non tam animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in* METU, *&* PERICULO *cum creduntur facilius, tum* FINGUNTUR *impunius. Nos autem ita leves atque inconsiderati sumus, ut si mures corroserint aliquid, monstrum putemus? an vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude, aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, una ratio est; quidquid enim oritur, qualecumque est, caussam habeat a natura necesse est, ut etiam si præter consuetudinem extiterit, præter naturam tamen non possit existere. Causam igitur investigato in re nova, atque admirabili, si poteris: si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa.* Habes, Pantascope, gravissimum de miraculis Gentilium viri doctissimi judicium. Deinde etiamsi quædam Gentilium miracula facta non dubitemus, tamen facile est ostendere a Dæmonibus facta: quippe quæ falsam religionem comprobant (*b*). Tandem quod addunt de Apollonio, nihilo solidius est: eum enim manifesto impostorem fuisse evicit Eusebius (*c*). Quod vel ex Philostrati Romanensi potius, quam severa historia, probatur. Quis enim in ani-

(a) *Adeatur & Chrysostomus hom. 4. in Matth. & Damascen. lib. 4. cap. 4.*

(b) *Legantur priores libri August. de Civit. Dei.*

(c) *Vide Fleurium tom. 1. hist. Ecclesiast. & Hornium Hist. Phil. lib. v. cap. v. pag. 273.*

gant: esse post hanc vitam quum beatorum, tum miserorum sedes; & trecenta alia, quæ magna consensione Ægyptiis, Chaldæis, Hebræis, Græcis, ac barbaris etiam tradita reperiuntur, uti demonstrant ex vetustis Clemens Alexandrinus in Stromatibus, Eusebius in præparatione Evangelica, aliique; ex recentioribus Grotius in libro de veritate religionis Christianæ primo, Huetius Alnetanarum secundo, Pfannerus in systemate Theologiæ gentilis, Vossius, aliique. Accedunt eodem libri quidam, qui semper divini Judæis & Christianis sunt habiti, quique divinitatis characteres omnes habent, vim scilicet propheticam, edita miracula, sublimitatem, veritatem, & sanctitatem doctrinæ. Nam qui potuerint mortales aut futura tam constanter & confidenter prædicere; aut miracula suapte vi efficere, quæ haud dubium naturæ humanæ vires superant; aut cetera corrupti, & infinitis depravati erroribus, doctrinam moralem tam omnibus numeris *absolutam, tam rectam*, tam sanctam edere? compertum enim habemus *Philosophorum* maximos & doctissimos, *Socratem*, *Platonem*, *Aristotelem*, *Zenonem*, *Ciceronem*, *Epictetum*, *Senecam*, aliosque, qui Philosophiæ moralis coryphæi habentur, in hac sapientiæ humanæ parte veluti infantes desipuisse, & pueriles errores docuisse (*a*). Quod argumentum tale tantumque est, ut ne miraculis quidem atque prophetiis egeamus, ut horum librorum divinitatem demonstremus. Quid vero si ea addantur? Nam profecto & miracula illa facta reapse fuisse, & iis librorum illorum divinitatem probari, non video, qui possit inficiari qui librorum illorum sanctitatem, sinceritatemque recoluerit, tum & *Judæorum* omnium, Gentilium, & Christianorum consensionem observaverit (*b*). Quid enim? Scriptores illos cetera sanctos, sinceros, probos, tam impudenter mentitos dicamus? Sine ullis miraculis universum hominum genus, viros potissimum omni litterarum genere ornatos, acutos, perspicaces, minime credulos, quales Christi tempore omnium cultissimo in Græcia, Asia, Italia fuerunt, novæ, & minime sensui indulgenti doctrinæ nomen dedisse? At id miraculorum fuerit miraculum, uti perspecte B. Augustinus ratio-

(a) *Legatur l'Histoire de la Philosophie païenne cap.* 34 *& sequentibus*. (b) *Adeatur Grotius de verit. Rel. lib.* 1 *§. 16. & lib.* 2. §. 4. & 5.

tiocinatur (a). Miraculis porro illis vera doctrina confirmatur: ergo aut a Deo, aut certe ab hominibus Dei vi sunt facta. Divina est igitur doctrina illa hujusmodi miraculis probata. Nec horum miraculorum vim Gentium miracula elevare ullo modo possunt. Primum enim el ipsi Gentiles miracula illa rident tamquam aut ficta, t ipsius natura vi facta. *Sanguinem pluisse*, inquit sendo de Divinatione libro Marcus Tullius Cicero, *Senui nunciatum est: atratum fluvium fluxisse sanguine: orum sudasse simulacra. Num censes his nunciis Tha-, aut Anaxagoram, aut quemquam physicum creditu- fuisse? nec enim sanguis, nec sudor, nisi e corpore. Sed & decoloratio quædam ex aliqua contagione ter- maxime potest sanguinis similis esse, & humor alla-s extrinsecus, ut in tectoriis videmus Austro sudorem tari. Atque hæc in bello plura, & majora videntur* TI-ENTIBUS; *eadem non tam animadvertuntur in pace. edit illud etiam, quod in* METU, *&* PERICULO *m creduntur facilius, tum* FINGUNTUR *impunius. s autem ita leves atque inconsiderati sumus, ut si mures roserint aliquid, monstrum putemus? an vero illa nos rent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude, aut ex mine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, una tio est; quidquid enim oritur, qualecumque est, caussam beat a natura necesse est, ut etiam si præter consuetudinem titerit; præter naturam tamen non possit existere. Causam itur investigato in re nova, atque admirabili, si poteris: si ullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri tuisse sine causa.* Habes, Pantascope, gravissimum de miculis Gentilium viri doctissimi judicium. Deinde etiamsi uædam Gentilium miracula facta non dubitemus, tamen cile est ostendere a Dæmonibus facta: quippe quæ falsam ligionem comprobant (b). Tandem quod addunt de Apollonio, nihilo solidius est: eum enim manifesto impostorem isse evicit Eusebius (c). Quod vel ex Philostrati Romansi potius, quam severa historia, probatur. Quis enim

 in ani-

(a) *Adeatur & Chrysostomus hom. 4. in Matth. & Damasc. lib. 4. cap. 4.*

(b) *Legantur priores libri August. de Civit. Dei.*

(c) *Vide Fleurium tom. 1. hist. Ecclesiast. & Hornium in hist. Phil. lib. v. cap. v. pag. 273.*

in animum induxerit, virum ineptissimum innatam artium & disciplinarum scientiam habuisse, volucrum linguas calluisse, & trecenta alia, quibus Philostratus libros de ejus vita saburravit? Scitum est eo tempore Gentiles rerum suarum desperatione actos, omnia movisse, ut eversæ patriæ religioni vim, & auctoritatem restituerent, in primis Plotinum, Jamblicum, Porphyrium (*a*). At rerum eventus eorum facile detexit fraudes, atque inania commenta tempus delevit. Opponunt nulla nunc apud Christianos miracula videri. Mendacium est apertum, quod confutatione non eget. Qui Ecclesiæ perlegerit historiam, is numquam miracula in Christianismo defuisse facile intelliget. *Illud* non inficiamur, religione jam firmata, rariora esse: neque enim necesse est: sed sunt tamen. Quod addunt, antiquos homines paullo fuisse simpliciores, & minus credulos, id fortassis ad Pyrrhæ secula referre possis. At qui aut Judæos tempore Mosis cum callidissimis Ægyptiis versatos, aut Gentiles Christi tempore, *quo nullum fuit* in Europa umquam cultius, simplices, & credulos fuisse affirmat, is aut corde, aut pudore vacuus sit oportet.

Venio ad vim propheticam, quam frustra elevare *Sceptici* conantur. Proferunt Prophetias Gentilium. *Quasi* vero eas Democritici, Peripatetici, Cynici, Stoici, & Cicero ipse in libris de divinatione, ceu meras imposturas non exploserint. Præterea qui apud Ethnicos Prophetæ vocabantur, aut Sacerdotes erant in decipiendo popello occupati (*b*)? aut de circo Astrologi, uti Clemens Alexandrinus in secundo Stromate demonstravit. Audiendus est Ennius loco aureo apud Tullium de divinatione *primo*:

Non habeo denique nauci Marsum Augurem.
Non Aruspices vicanos, non de circo Astrologos,
Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium.
Non enim sunt ii aut SCIENTIA aut ARTE Divini,
Sed superstitiosi vates, impudentesque Arioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat;
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:

Papæ! Qualis, quantusque locus, Pantascope! Jam oracula ipsa Gentium rident Philosophi. *Sed jam ad te venio, o Sancte Apollo* (inquit Cicero lepidissime (*c*).) *Tuis enim oracu-*

(a) *Lege Hornium ibidem, & Mosshemium ad Cudworthum.*
(b) *V. Horn. lib. 2. cap. 7. Histor. Phil.* (c) *Lib. 2. de Divinat.*

oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime: partim flexiloquis, & obscuris, ut interpres egeat interprete, & sors ipsa referenda sit ad sortes: partim ambiguis, & quæ ad Dialecticum referenda sint. Idem, inquiunt, dici potest de omnibus, quæ prophetiæ esse dicuntur. Non sequitur. Nam prophetiæ, de quibus nunc agimus, exstant seculis ante eventum pluribus descriptæ, verbis claris, & perspicuis (1). Quod si quæ in iis obscuritas est, non ea ex verbis, sed ex temporum & rerum ignoratione nascitur (2). Sunt allegoriæ, inquiunt, longe detortæ. Bene habet, quod impudentiam hanc olim in Fausto Augustinus, in aliis alii, nunc vero in Socinianis, præter alios, castigavit Huetius, edito etiam veterum & novorum librorum parallelismo. Ceterum Episcopium, Arminium, Grotium Fausto ipso Socino (3) longe doctiores, Prophetias pernegasse, is dicet, qui eorum libros ne inspexit quidem. Hoc tantum efficere conati sunt, plerasque prophetias, quæ ad Christum ab aliquibus referuntur, aliis veteribus personis, Salomoni, Zorobabeli, Cyro, aptari posse, quod non est prophetias negare, sed diversa ab aliis mente interpretari. Sane quis effutierit vaticinia Isaiæ, & Danielis, quum quæ Christum, tum quæ alias res spectant, allegorias esse longe distortas? Nisi fortassis qui nec libros illos umquam inspexit, nec veterem umquam historiam didicit, cuique proinde omnia sint nova & ignorabilia. Vetat me sermonis hujusmodi brevitas longiorem esse: qui sunt paullo delicatuli, magnorumque voluminum lectionem horrent, at legant saltem historiam Judæorum viri doctissimi Pridai, qua simul & veterum Asiæ, Africæque Gentium historiam, & Prophetiarum ferme omnium cursum non discent modo, sed cernent. Id in præsentia dico, Porphyrium virum non ineptum, nec indoctum, & in Christianos odio (Philosopho licet indigno) agitatum, quum instituisset prophetias omnes evellere, reperissetque tantam esse inter Danielis prædictiones, quæ Monarchias spe-

(1) Talibus nempe, quæ manifeste ostendunt futuras res spectare, quæque ex animo futuri præscio provenire aperte cernuntur.

(2) Aut etiam ex eo, quod quædam Prophetæ per imagines moribus vetustis adaptatas prædixerunt.

(3) Socinus quam eruditionis Theologo necessariæ ad Scripturarum interpretationem imperitus accesserit, vide apud Parckerum de Deo disp. 2. pag. 104. & 105.

spectant, & facta ipsa, consensionem, qualis vix reperitur inter accuratam historiam, & res, quas gestas narrat, hoc eodem argumenro, quo libri illius divinitatem agnoscere debebat, usum esse, ut diceret, Danielis librum historiam esse post res gestas scriptam, non prophetiam, quæ futura aperiat. Quo demonstratur magnum Philosophum, & Criticum rei evidentia convictum ut ne caussam injustam deferret, argumento maluisse uti ineptissimo. Tantum igitur abest, ut prophetiæ allegoriæ sint longe detortæ, ut potius viris non ineptis nihil fuerit reliquum, quod reponerent, quam frigide, historias esse post eventus scriptas (a). Sed pudet me in re evidente argumentatione uti non necessaria: perspicuitas enim & certitudo argumentatione elevatur.

Quod vero suspicantur, ne non Dæmonum perspicacia editæ sint prophetiæ, omnium est ineptissimum. Primum nulla esse potest creatarum mentium vis tanta, quæ futuras hominum liberasque actiones multis ante seculis prævideat. Quocirca salse eos ridet Cicero, qui artem *divinandi aliquam* comparari posse docent. Quemadmodum *enim totus naturalium* rerum ordo uni Dei scientiæ & voluntati debet originem, ita Deo tantum præsciri potest. Quippe hæc tanta universi machina ex tot minutis catenulis compacta est, progrediturque, ut vix externum rerum apparatum creatæ mentes admirari possint, tantum abest ut aut intimiorem structuram, aut, qui olim futurus est, cursum perspicere valeant. Hinc Ethnici ipsi magna consensione docuerunt *futuri temporis exitum caliginosa nocte premere Deum* (1). Quæ quum in ceteris rebus sunt vera, tum in iis verissima quæ ex humana libertate profluunt. Hujusmodi enim res non naturæ fato, sed nostræ libertati attribuendæ sunt. Præest autem libertas appetitui, eumque pro lubitu huc illuc flectit. Quis igitur quo inclinatura sit ipse per se, aut a natura edoctus præsentire poterit? Deinde quum prophetiæ istæ, a viris sanctis ederentur, integramque atque omnium sanctissimam doctrinam continerent, & qua Dæmonum regnum & potestas evertitur, eas a Dæmonibus editas qui dicit, is plane repugnantia dicit. Quid enim? an Dæmones ipsi regnum suum

(a) *Vide Hieronymum in Ezechielem, & Pridaum in Historia Judæorum &c. lib.* XII. *prope finem.*

(1) Legatur Huetius sub initium Demonstrationis Evangelicæ, & Joannes Smith in Dissert. de vi prophetica, quam Clericus Commentario philologico in prophetas præmisit.

ſuum data opera evertere volebant? Sed homines, inquiunt, aut phantaſtici, aut atra bile laborantes vaticinia edere poſſunt. Mirum eſt, Pantaſcope, id efficere morbum & corporis intemperiem poſſe, quod ſana mens non valeat. Quid? non pudet Scepticos, viros, ut videri volunt, acutos, Epicoreorum has, & Peripateticorum nugas pro cauſſa ſua in medium adferre? Ego ſane quotieſcumque cum hujuſmodi hominibus diſputare me comparo, non poſſum mecum ipſe Philoſophos iſtos ut leves nugatores non ridere. Mira enim eorum indoles eſt. Proferas ſolidiſſima argumenta, graviſſimorum hominum auctoritatem; caput ſcalpunt, hiant, tergiverſantur, vultu rident invito. At dum ipſi leviſſimas & pueriles ſuſpiciones reponunt, ſuperbamque illam affectant rerum omnium ignorationem, nullis etiam prolatis pronunciatorum ſuorum argumentis, ſolidiſſime ratiocinari videri volunt, plauſumque belle exſpectant. Oh lepidiſſima capita!

Reponunt. Prophetarum libri non ſunt genuini: interpolati ſunt, aut trunci. Quibus hæc tandem rationibus probant Sceptici? ſuſpicionibus nempe ſuis? ne flocci quidem facimus: nam quum nullum ſit aliud argumentum genuinitatis & integritatis libri alicujus, quam firmatus æqualium, & qui proxime ſequuti ſunt, conſenſus, idque graviſſimum ſit & certiſſimum, eoque divinorum librorum genuinitas & integritas probetur (*a*); velle contra moliri nihil interim ipſe ſolidi proferens, deſipere eſt, non ratiocinari. Nos igitur hac in re non putamus Scepticos ſine faſtidio audiri poſſe. Niſi ſi quis adeo ſit impudens, ut credere velit cum Arduino, libros Platonis, Ariſtotelis, Virgilii, aliorumque veterum, a Monachis in Monaſteriis, heri, aut nudius tertius cuſos. Scilicet!

Pergunt autem Sceptici, atque nos rogant, quibus nunc argumentis revelationem diſcernere valeamus, ſcriptiſne libris, an traditione? Utroque, Pantaſcope. Nam primum ſi omnes Hebræi, aut Chriſtiani a Prophetarum uſque atque Apoſtolorum tempore magna conſenſione nec ullibi interrupta ſucceſſione doctrinam aliquam tamquam revelatam ad nos demandaverint, eaque & rectæ rationi, & libris divinitus inſpiratis conformis ſit, Dei præterea ſanctitatem, & bonitatem deceat; nulla ratio eſt, cur

eam

(a) *Legatur Demonſtratio Evangelica Huetii.*

eam ut divinam non habeamus. Tractu, inquiunt, temporis vel veræ historiæ depravantur. Respondemus nunquam temporis diuturnitate veras historias & doctrinas ita depravari, ut nullo modo ab acutis & doctis hominibus perspici queant. Sed demus id tantisper: nihil inde adversus Christianas traditiones inferri potest: nam hæ & literis a sua origine mandatæ sunt, & moribus canonibusque confirmatæ. Ex hac constante successione, & morum ad doctrinas quasdam, quæ ut divinæ habentur, diuturna conformatione, gravissimum Grotius pro veritate Christianæ Religionis argumentum jure desumit (a). Sed ego traditionum oppugnatores valde mirari soleo. Nam isti si quid a Zoroastro, vel Pythagora dictum, etiam non magna veterum consensione, repererint, si quid ab alio Philosophorum, quod unus Laertius narret, haud ambigunt id dictum, factumque affirmare: si a Prophetis, Christo, Apostolis dictum, factumve accipiunt, respuunt. Quis non videt affectibus subagitari? Atqui hoc Sceptico homine indignum est, qui incorruptum profitetur judicium.

Deinde Scriptionibus, quæ canonicæ a nobis dicuntur, probari revelationem asserimus: nam eæ, ut demonstratum est, & genuinæ sunt, & integræ, & divinæ. Nec nobis opponant Simonii singularem opinionem: nam præterquam quod ea gravissime confutata est a Dupino, Spanhemio, Clerico, Huetio, doctisque omnibus, & ita, ut pœnitere eum potuerit temeritatis suæ; quis in animum induxerit Hebræos, qui a Deo didicerant, ut ne jota unum, unumve apicem Prophetarum libris adderent, quique in exscribendis libris publicis si litera esset vitiata ex integro rem excipiebant (b), qui tandem hanc consuetudinem hodieque magno cum rigore servant; quis inquam arbitretur passuros fuisse libros Prophetarum publico usui destinatos, in compendiola redigi, ac veteres sanctissimosque codices obliterari? narrent ista pueris, Pantascope. Quid quod Simonii opinio Scepticorum caussæ nihil facit? Contendit enim ille, compendiola ista & a Prophetis facta, quos semper in Republica Hebræa fuisse, libris publicis scribendis, exscribendisve addictos, auctoritate Josephi (c) demon-

(a) *De Verit. Relig. Christ. lib.* 1. §. 14.
(b) *Legatur Buxtorfii Masora.*
(c) *In libris contra Appionem.*

demonstrare conatur. Ex Richardi ergo sententia non sequitur, non habere nos libros Divinos. Quum enim Spiritus Prophetarum sit unus idemque Dei Spiritus, & qui compendia librorum illorum dederunt, Prophetæ fuerunt ex Simonii sententia; perinde est seu ab illis majoribus, seu a minoribus istis, libros descriptos habeamus.

Jam vero clamare, scripturas esse obscuras, id est potius quidvis mordicus arripere, quam sano judicio caussæ suæ patrocinari. Nam quæ fidem continent, spem, mores, is negabit non intelligi, qui eas nunquam, ne e limine quidem, salutavit, quique sit iis artibus omnibus vacuus, quæ ad scripturarum sacrarum interpretationem sunt necessariæ. Ecquis est qui sibi Decalogum obscurum esse serio profiteri possit? Qui leges & instituta Evangelica? Sed rogaverim Scepticos, cuinam scripturas dicunt obscuras, privatis ne, an Ecclesiæ, cui tamquam sacrum depositum creditæ sunt? si privatis, mirum non est: nullus enim liber est, qui æque omnibus sit clarus, & perspicuus. Ecclesiæ non dicent. Ei enim non verbum tantum Dei, sed & Dei spiritus, quo Dei verba interpretantur, datus est; qui enim Scripturas divinas primum vulgavere, ii prædicatione reconditiora sensa in primorum Christianorum animos injecere. Itaque quicumque Ecclesiæ vocem audire non gravantur, clarissimas etiam reperient Scripturas Divinas. Quod addunt linguæ genium intercidisse, consuetudines antiquitate sepultas, id nihil juvat. Nam fatemur eam ob rem quædam esse in scripturis, quæ nullo modo sciri queant: at id non efficit, ut nihil sit in illis clari, & aperti. Quid enim? an quod paucorum verborum vim non satis teneamus, de tota Hebræa lingua actum erit? An quod radicem, aut pronunciationem vocabuli *jehovah*, ut id exempli loco proferam, ignoremus (1), idcirco ignorabimus etiam, in scriptura divina Mentem æternam sapientissimam, potentissimam, hujus mundi auctorem & gubernatorem prædicari? Actum ergo erit pauca ob hæc de lingua Hebraica? An Bochartus, Simonius, Buxtorfii, Cappelli, Clericus, Ludovicus Dei, Imperator, Ligtfootus, & trecenti alii, qui in hujus

jus

(1) Legi possunt Dissertationes virorum eruditissimorum Drusii, Amamæ, Cappelli, Buxtorfii, Altingii, Fulleri, Gatakeri, Leusdenii, sub titulo, Decas exercitationum Philologicarum de vera pronuntiatione Nominis Jehovah.

jus linguæ studio ætatem omnem consumserunt, hanc Scepticorum confidentiam & temeritatem laturi essent ita, ut paterentur sibi persuaderi, se nihil omnino in Hebraicarum rerum scientia profecisse? Quod si Christianorum quidam, pauci illi tamen & ignobiles, in rebus ab universo Christianismo traditis descifcunt, nihil mirum: ubique enim gentium sunt, qui cum ratione insaniunt. Nam exempli caussa, quod Sceptici nihil sciri, nihil comprehendi posse doceant, an idcirco tota litteraria Respublica pessum ibit? Atque hoc potissimum de Socinianis dictum volo, qui quum religionem revelatam ex captu humano expendere per summum nefas sint ausi, disterminarunt ab ea quæcumque non satis evidenter intelligebant, ne si admitterent, quædam cogerentur credere, quam scire. Quæ temeritas ferri haud quaquam potest. Quis enim ferret, brevem, imbecillem, sensuum præjudiciis depravatam rationem, Dei ipsius rationi æternæ præferri? (1) Quandoquidem ipsa humana ratio dictat, Deum *nec falli, nec fallere*, atque oportere, hominem, qui non sit penitus sibi ignotus, in iis rebus, quas a Deo constat esse dictatas, RATIONEM Dei suam facere rationem: Si enim id agimus in infantia cum doctoribus nostris, quamquam & falli ipsi, & fallere nos possunt: quanto æquius est, ut id cum Deo efficiamus, cujus & scientiam, & bonitatem non penitus ignoramus? Sane quid attinuisset religionem a Deo e cælo demitti, si ratio humana suapte natura eam invenire & intelligere potuisset? Placet itaque Socinianis e sublimi quadam specula, unde universum hominum genus exaudire possit, Persianum illud inclamare,

O curvos in terris animos, & cælestium inanes!

Sed videor mihi, Pantascope, Scepticorum particulatim, & nervose argumenta, quæ auctoritatem spectabant, diluisse, nisi tu quid aliud. Nam quæ circa ignorationem rerum æternarum illi opponunt, altera Metaphysicæ parte, si vita viresque suppetent, quum de Deo disputavero, explicabo uberius. Cetera nullius sunt pretii. Quæ quum sint, si qui sunt præterea, qui me posthac Scepticum facere pergunt, pergant dum libuerit. Nam ego, quod ad me

(1) Exemplis Mathematicis demonstrat vir doctissimus Josephus Orlandus (in Sectionibus Conicis quas edidit ad Tacqueti calcem,) quam minime toleranda sit hæc Socinianorum impudentia.

me attinet, etsi in tanta litteratorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate, & magnitudine eorum, qui nomini officiunt meo, me consolabor. Interea Dei hominumque omnium,

Clam postulo, obsecro, oro, ploro, atque imploro fidem.

ut adsint, atque cognoscant, me in Romana Ecclesia natum, in ea vivere, ejus mea omnia judicio submittere, ei, quoad auras vitales vivam, adhærere. Certum id mihi jamdudum, atque immoto animo statutum.

P. Næ ego incautus, qui cum viro acuto, & oratoriæ artis non ignaro, congredi sum ausus. Sed euge, Eusebi, effecisti oratione tua, ut Pantascopus non vereatur Scepticus esse Eusebianus.

FINIS.

Est profecto res stabilis & firma, conscientia bona in malis, quæ injuste accidunt, omnibus: quæ nisi quis patientia vincat, indicium de se malæ suspicionis præbet. Innocentius Papa I. Epist. XXVIII. *quæ est ad Sanctum Joan. Chrysostomum.*